

*Rec Colegio de la Comp de S. Cruz de la Compañía de S. Cruz*

*R. 4539*

*OR*

V B E R T I

F O L I E T A E

OPERA. SVBSICIVA


OPVSCVLA. VARIA

DE. LINGVAE. LATINAE

VSV. ET. PRAESTANTIA

CLARORVM. LIGVRVM

ELOGIA.



SVPERIORVM. PERMISSV

DE LA LIBRERIA  
 DEL REAL COLEGIO MAYOR  
 Reunido de Santa Cruz, y  
 Santa Catalina.  
 E. 1.º C. 20. N. 1.º



2 400 40 Safa

*Rec Colegio de la Comp<sup>a</sup> de S<sup>ta</sup> Catalina con a*

*R. 4539*

*Pl*

V B E R T I

F O L I E T A E

OPERA. SVBSICIVA

O P V S C V L A. V A R I A

D E. L I N G V A E. L A T I N A E

V S V. E T. P R A E S T A N T I A


C L A R O R V M. L I G V R V M

E L O G I A.



S V P E R I O R V M. P E R M I S S V

DE LA LIBRERIA  
DEL REAL COLEGIO MAYOR  
Reunido de Santa Cruz, y  
Santa Catalina.  
E. 1.º C. 20. N. 1.º





VBERTVS. FOLIETA  
OCTAVIO. AFFAITATO  
PATRITIO. CREMONENSI  
PRIMARIO. S. P. D.



Vamquam O'ctavi Af-  
faitate omni mea cura  
intenta, omniq; opera  
occupata in vniuersa  
nostrorum temporum  
historia conscribenda  
re immensi laboris, &  
nunquam ad finē per-  
ducēdi operis, vix satis

otij ad alias cogitationes habere videri possim,  
satisq; tanta res, si modo in ea nō omnino infeli-  
citer versatus fuero, per se valere sit cēsenda ad  
nomen meū ab obliuione hominum vindican-  
dum, tamen cū interdum aliquid laxamenti ab  
acri illa contentione animo dandū sit, nulla di-  
uerticula amæniora inuenio, quam in litteris  
ipsis. Multa igitur per varias occasiones, quas a-  
micorū familiaria colloquia sæpe mihi præbue-  
runt multis tēporibus horis, quod aiunt, subsici-  
uis scripsi, ac postulātibus amicis edidi. quæ pas-

sim sparsa nullū non omnino operæpretiū me  
facturum existimaui, si colligerem, & tamquam  
in vnum corpus contraherem, cum præsertim  
multa in illis emendarim, ac nonnulla detraxe-  
rim, neq; pauca addiderim, vt certe opus hoc  
in manus hominum limatius sit venturū. quod  
nullo titulo insignius putavi fore, quam nomi-  
nis tui inscriptione, quod tibi amplum faciunt  
cum nobilitas tum multæ eaq; neutiquam vul-  
gatæ laudes tuæ. genus enim est tibi vtraq; fami-  
lia clarum. quod paternum Affaitatorum inter  
Cremonenses tuos vetustate, opum amplitudi-  
ne in Principibus semper fuit, multasq; claras fa-  
milias non modo Cremonenses sed exterarum  
quoq; affinitatibus est complexum; ad hoc mul-  
torum populorum dominatu multisq; claris vi-  
ris, quos tulit, insigne. in quibus patrum nostro-  
rum ætate fuit Petrus Martyr Affaitatus magna-  
rum opum vir, ad hoc domestici cultus splen-  
dore, liberalitate, omniq; magnificentia genere  
conspicuit. cuius domus Procerum ac magna-  
tum Cremonam accedentium perpetuum ho-  
spitium fuerit. quiq; eo potentia in patria per-  
uenerit, eumq; gratia & auctoritatis locum  
apud Gallorum Regem obtinuerit, vt Cremo-  
næ tamquam caput rerum esset, Guelfarumq;  
partium palam suscepto patrocinio non dubi-  
tarit

tarit Nicolao Varolo, quæ gens Cremonæ mul-  
tos annos rerum potita est, acriter ac constanter  
resistere. vt multos alios egregios viros ac factis  
& opibus claros præteream. in quibus in pri-  
mis nostra ætate conspectus est Ludouicus Af-  
faitatus Comes Ioannis Baptistæ filius ex Isabel-  
la Luna Ioannis Lunæ arcis Mediolanensis Præ-  
fecti filia susceptus. Maternum vero genus per-  
illustre à Comitibus Archij ducis, quæ familia  
inter ceteros Italiae Proceres magnum semper  
dignitatis locum obtinuit, multosq; omni æta-  
te clari nominis viros tulit belli, & pacis artibus  
in primis instructos, compluribusq; ac peram-  
plis muneribus, & procurationibus à Cæsaribus  
alijsq; summis Principibus mandatis egregie  
perfunctus. in quibus præterire non possum Pro-  
sperum, quem ad belli quamplurima parta de-  
cora, Legatio Cæsaris ad Põtificem Maximum,  
qua complures annos cum maxima ingenij,  
consilij, fidei laude perfunctus est, insignem fa-  
cit. cui addendi sunt Baptista & Vinciguerra  
Archij Comites auunculi tui ambo legionum  
Germanicarum Ductores, quos vulgo Colum-  
nellos appellant. Virtutes vero ac multiplices  
laudes tuæ, id quod plurimi à me, & à te ipso,  
& vero ab omnibus præstantibus viris semper  
factum est, maiorum gloriae abunde respon-  
dent

dent morum grauitas, versatile ad omnia ingenium, litterarum haud contemnenda cognitio, ad hoc comitas & quædam naturæ habilitas ad omnia hominum genera, ac quotidianas consuetudines accommodata, quoq; nihil est ad hominum voluntates potentibus & opulentis viris attrahendas aptius, singularis humanitas. vt omittam opum magnitudinem & domestici cultus splendorem. Me quidem præstantes hæ virtutes, tum præterea multa ac non exigua in me merita tua ita tibi deuinxerunt, vt singularia studia tibi me debere confitear. quam rem hoc qualicumq; munere nostro etiam ad posteritatem volui esse testatam.

# VBERTI. FOLIETAE

OPVSCVLA. NONNVLLA



DE. VITAE. ET. STVDIORVM. RA-  
TIONE. HOMINIS. SA-  
CRIS. INITIATI

DE. RATIONE. SCRIBENDAE.  
HISTORIAE

TYBVRTINVM. HIPPOLYTI. CARDI-  
NALIS. FERRARIENSIS

BRVMANVS. SIVE. DE. LAVDIBVS  
VRBIS. NEAPOLIS

DE. NONNVLLIS. IN. QVIBVS. PLA-  
TO. AB. ARISTOTELE. RE-  
PREHENDITVR

DE. NORMA. POLYBIANA


ORATIO. IN. FESTO. DIE. OMNIVM  
SANCTORVM

PTOLEMAEO. GALLIO  
 CARDINALI. COMENSI  
 AMPLISSIMO  
 VBERTVS. FOLIETA. S. P. D.

**S**VMMA dignitas, & amplitudo tua, ac status mei tenuitas faciunt, PTOLOMAEE. AMPLISSIME vt non modo tuis in me meritis referre parem gratiā nullam possim, sed in hac ipsa qualicūque referenda gratia, nō tam obseruantia ac studij, quod tibi summū debeo, onus leuare, quā augere videar. Etenim in libellis meis, quos amicorū hortatu edere decreui, tibi nuncupandis beneficiū me potius accepturū, quam daturū intelligo, neq. enim tibi, clarissimarumq. virtutū tuarū gloriā, quae excello loco posita ab omnibus conspicitur, quidquā lucis scriptis meis possum asferre, sed contra hęc ipsa scripta per se obscura futura nomine tuo præferēdo mire illustrabuntur, quae vero splendidior esse possit inscriptio, quā nominis tui, cum tu is extiteris, qui nullis exernis opibus subnixus, sed meritorū tantū tuorum gradibus ex priuata fortuna ad altissimū istum honoris & auctoritatis locum conscenderis, cuiusq. eximia & præstātes virtutes, in primis vero singularis prudētia ita enituerint, vt nō modo Pius Quartus te in Senatū legerit, atq. ad interiora consilia perpetuo abhibuerit, summāq. grauiorū negotiorū præfecerit, sed Gregorius quoq. Tertiusdecimus, cū quo nihil priuati iuris aut necessitudinis tibi intercedebat, raro, atq. haud scio, an vnico ex multorū sæculorū memoria exemplo idem tibi munus mandarit. quas summas & singulares virtutes tuas nō necesse habeo in præsentia stilo persequi, cū quod eae splendore ipsae suo sine cuiusquam oratione satis sunt illustres, tum ne eas tibi ipsi narrando pudorē tuū onerare videar voluisse. Atq. ea cū ita sint, tuæ tamen sapiētiae & æquitatis est PTOLOMAEE. CLARISSIME, voluntate ac pietate mea, quod vnū facultatis meae est, in quaq. me a nemine vinci vinq. patiari, te satis remuneratū putare, in hisq. lucubratiunculis accipiēdis te ita humanitati tuæ proximū esse, vt in studio & obseruantia mea tum, cum illā ad te detuli, amplectenda fuisti; ac quemadmodū tum quantū tuæ gratiae & beneuolentiae mihi impartireris, ex eadem potius humanitate tua, quā ex meis vllis meritis statuisti, ita nunc quā grata tibi esse debeant opuscula hęc nostra, non ex eo quanti ipsa faciēda iudicabis, sed ex amore in me tuo statuas oro. Vale.

VBERTI. FOLIETAE  
 DE. VITAE. ET. STUDIORVM  
 RATIONE. HOMINIS  
 SACRIS. INITIATI.

AD. ROBERTVM. NOBILEM  
 CARD. AMPLISSIMVM



*T* si hominum tui studiosorum neminem omnino esse puto, cui secunda res tue incundiores sint, quam mihi, tamen in ista tua amplissimi honoris accessione duae me res à gratulatione retraherant. Altera, quod occupationibus tuis parcendum esse statuebā; nolebamq. in tam magno gratulantium numero, quibus tu omnibus pro tua humanitate voles respondere, necessitatem meis quoque litteris respondendi tibi imponere; Altera quod cum iam diu gradus iste honoris à Pontifice tibi sit non modo destinatus, ac promissus, sed pene delatus, existimabā voluptatem ex ea re iam ex eo tempore animo conceptam meo tibi ita cognitam esse, ac perspectā, vt litterarum testificatione non indigeret. cum praesertim saepe coram tecū hanc ipsam honoris adeptionē gratulatione praecurrissem. Sed tamen cum audissem te Cardinalem factum, quamuis voluptas iam (vt dixi) inueterata cumulata non sit, neque enim vllus erat cumulo locus, tamen nouos quosdam letitia motus eo nuntio mihi sensu in animo excitari, quos non ita potui comprimere, vt nō hanc Epistolam statim exararem, qua primum tibi iterum gratularer, atque ita gratularer, vt magis ex animo nō possem; eamq. rem precarer tibi bene, feliciterq. euenire: deinde vt incredibili meo erga te amoris obsequerem, in te nonnullis de rebus admonendo, quae res quamquam minime necessaria potest videri, cum quod virtus tua nō egeat monitōre, tū quod sint apud te multi cum eximia doctrina, tum singulari prudentia praediti viri, qui te admonitionibus, & consilio inuare possint, & regere, tuus praesertim optimus, & sapientissimus parens, a cuius voluntate nunquam tibi est discedendum, tamen non omnino alienum duxi à singulari meo erga te studio, si hęc quoque veluti meae obseruantia signa ad te peruenirent. quibus tu tantum tribues, quantum & ipse tribuendum censabis, &

bis, & ceterorū iudicia, qui me prudentia antecedunt, ab ijs intelliges non discrepare. Quorum primū est, vt Diuinā benignitatis erga te magnitudinem agnoscas, quæ tibi in tam altum dignitatis locum præbuerit ascensum, in ea præsertim ætate, quæ ab eo gradu absit longissime; neque in hac re aut quidquam tibi, aut Pontificis Max. propinquitati assumes, quasi idcirco debitus tibi fuerit iste honor. nam contra ea res maiorem in te animi demissionem debet excitare. Etenim hoc ipsum, nactum fuisse te Auunculum magnum Pontificem Maximum, magnus est Diuinæ benignitatis cumulus. Quare Diuino numini tantæ gratia à te sunt habendæ, quantas animus tuus capere potest maximas. Quod eo etiā facies impensius, si tecum reputare volueris, tam multos homines partim generis splendore, partim innumerabilibus virtutum laudibus florentes in Romana Aula consensisse, neque tamen ad istum gradum, quæ tu puer es adeptus, potuisse peruenire. Omnis igitur (vt dixi) tibi ætas esse debet in tanto beneficio grata recordatione colendo, gratiaq; ob illud Deo habenda, quam debes. cuius rei faciendæ via est tantum via, si te in omnibus non solum factis, & dictis tuis, sed etiam cogitationibus ad præceptorum Diuinorum præscriptum conformabis. Proximum monitum est, vt cum præstantissimū inter sacros homines obtineas locum, ad eas res mentem cogitationemq; adicias, quas sacerdotis professio postulat. Etenim plerique nostra ætate (quod lucendū sit) dignitatē tantūmodo, atq; opes in Sacerdotio spectantes, ijsq; hianti cupiditate imminentes, quanti oneris, quantæq; sollicitudinis res sit Sacerdotium, sibi curandum non putant; eaq; re fit, vt nullam officij sui partem in Sacerdotio gerendo tueantur. qua re quid dici potest indignius? Nam si nullum est tam sordidum artificium, aut tam humile, vt ad illud sese conferentes, non sibi prius querendum putent, quod sit illius artificij officium, quidue sit illi propositum, vt ad illud possint industriam, & diligentiam suam accommodare, quam turpe est, in re omnium maxima, & grauissima ab infimi generis hominibus vincere neque reputare, quæ sint Sacerdotum partes; cuiusq; numeris colendi causa à Deo institutum sit Sacerdotium? Hoc te genus hominū à veteri Sacerdotum virtute tant opere degenerantium nequaquam volo imitari: sed contra considerare, cum nihil aliud sit Sacerdos, quam inter Deū, & hominem internuntius quidam, atque interpres, precibusq;, & sacrificijs Deum hominibus propitium reddendo, humana apud Deum; sacris vero Mysterijs hominibus communicandis, iisdemq;, Diuinorum sermonum vberissimo pabulo alendis, & ad Diuinum amorem excitandis;

dis, Diuina apud homines Legatione mutuo fingatur, quantum, ac quā magnum munus sit Sacerdotiū, quamq;, non modo ad honorem, & ad dignitatem insigne, sed ad curam, animiq;, sollicitudinem graue. Cuius sustinendi cum duplex omnino ratio sit morū, & doctrinae, in vtraque summa tibi cura, diligentiaq;, est ponenda; & (quod ad mores attinet) danda opera, vt manum, linguam, mentem ab omni sceleris contagione castam, & integram serues; cauendumq;, ne quod in omni vita vilius flagitij vestigium appareat. Omnium præterea voluptatum, & libidinum illecebræ declinandæ sunt, quod nulla res maiorem vim habeat ad animos adolescentiū corrumpendos, & ab officij regione deducendos. quæ res tametsi difficultatem nonnullam videtur habere, tamen si secum reputare voluerint ij, qui sacris initiantur, sese Dei esse administratos, facile intelligent, qui apud homines Deum referunt potestatem, eosdem illum ipsum Deum vitæ imitatione, & similitudine exprimere oportere. Neque enim Sacerdotibus communi tantūmodo omnium Christianorum officio cursus quidam vitæ ab omni vitio distinctæ, & cum virtute coniunctæ est tenendus, sed præcipua quedam, & magis necessaria ratio virtutis à Deo ipso illis est imposta, cum illorum vitū edito loco sitam esse diceret, in qua ceteris hominibus exemplum ad imitandū esset propositum; cumq;, illos lucernarū persimiles esse prædicaret in montiū vertice constitutarum, quarum virtute, ac splendore lumē ceteris mortalibus præferretur. quæ præcepta si nostri temporis Sacerdotes secū ipsi interdum agitarēt, & cum Deo maiore in gratia, & cum hominibus maiore essent in honore; minusq;, ex inuidia, & populorum offensione laborarent. nunc illorū nonnulli Diuinorum monitorū penitus obliti, flagitijsq;, & sceleribus contaminati in summo iacent populorū contemptu. Ab hac tam perditā, tamq;, profligatā ratione te volo Roberte abhorreere: neque putare (quod plerique stulti facere solent) in ceterorū vitijs, si iisdem tu, quibus illi, fueris inquinatus, tibi excusationē inesse: sed contra potius, eo maiore laude dignam fore virtutē tuam, quo pauciores socios habebis. Quare omnis vitæ ratio ad eorum similitudinem tibi est accommodanda, quorū laude ordo Sacerdotalis, qui ceterorum infamia premitur, subleuatur. Neque tamen cum ab ipsorum lutulentis vitijs abfueris, perfectū opus tibi debes existimare, sed alia quedam superesse putare, quæ tibi nequaquam sint negligenda. In primis modestiæ ratio, quæ virtus vt est propria ætatis tuæ, ita tibi alia maiore ratione seorsum a ceteris adolescentibus magnopere est amplectenda. Nihil est enim, quod mortalium mentes ab

tes ab officio magis abducatur, quam secundæ res, bonæq; fortuna. hæc solum let animos hominum inflare, spiritusq; quosdam elationis, & arrogantia plenos secum asferre. quæ res facit, ut cum amplitudo fortunæ non satis æquis oculis a maxima hominum parte aspici soleat, si ad illam superbiam præterea, arrogantiamq; adiunxeris, intolerabilis res fiat; summusq; in omnium odio versetur. Quare omni ratione cōhibendus est hic impetus, modestiaq; freno coercendus, omnisq; asperitas vitanda, contraq; summa humanitas, atque in omnibus & dictis, & factis suavitas induenda. qua virtute, ut nulla est Christianæ professioni coniunctior, ita nec quæ magis secundæ fortunæ invidiam mitiget; maioremq; benevolentiam illi vulgo conciliet. Neque tamen ut in vnaquaque re magnam habet reprehensionem nimium esse, ita in hac nobis est committendū, ut dum modestia laudem nimium consecramur, ad levitatem dilabamur, sed ita temperanda est tota ratio, ut simul cum humanitate gravitatis rationem habeamus. Neque enim cum aditus faciles laudo, idcirco proiectam, nimisq; familiarem cum quibuscumque hominibus etiam ignotis consuetudinem probo: neque si superbum supercilium, & frontis contractionem detestor, ideo minorem mihi stomachum facit levitatis, ac fuci cuiusdam plena submissio. Sit igitur in vultu cum dignitate quadam coniuncta hilaritas, absit humilis blanditia; sit in sermone suavitas, vitetur assentatio; sit in quotidiana cōsuetudine facilitas, & comitas, faceat dissolutio. Atque ut summam dicam, non ita humanitatis laudem amplectemur, ut gravitati, & dignitati parum consulamus; neque rursus gravitatis retinendæ cupiditate ita efferamur, ut ab humanitatis ratione abhorreamus. quamquam si in alterutram partem peccandum sit, ad humanitatem potius est incumbendū, quod gravitas, & dignitas fortunæ splendore facile sese tueantur. Ad mores adiungenda est doctrina. In qua re si tu, ut reliqui adolescentes liberam haberes voluntatem, ad quod te studium potissimum conferres, plus operæ sumeres in sententia mea ea de re tibi exponenda; plurimumq; dar in animi tui propensione, quam ut sequeris, te hortarer. Cum vero Sacerdotis officium in Christiana doctrina hominibus tradenda in primis sit explicandū: eiusque doctrina promulgandæ, ac cum hominibus comunicandæ causa a Christo ipso Domino toto orbe terrarum legati sint Sacerdotes, intelligis profecto, hanc tibi libertatem a Sacerdotis professione præcidi: Theologiæq; studium, quod ceteris quoque hominibus sua nobilitate omnium studiorum debeat esse incunctissimum, tibi etiam esse necessarium. Hoc igitur tibi propositum esse debet,

eoq;

eoq; omnis labor, opera diligentia tua est conferenda, ceteraq; omnia quæcumq; leges, & audies, ad illud sunt referenda. Ac Theologiæ studium est eiusmodi, quod etiam si omnibus ornamentis careat, quibus cetera studia commendari solent, tamen subiectæ materiæ dignitate, quæ est Deus, maximaq; utilitate, quod ad æternam salutem beatitudinemq; hominibus iter monstrat, ac patefaciat, omnes homines neglectis ceteris ad se attrahere debeat. Cum vero ad materiæ nobilitatem omnis generis ornamenta acceperint, quam non probanda est illorum ratio, ne dicam vituperanda, qui ab hoc studio abhorrent. Cave enim putes Roberte, vllum doctrinæ genus aut maiore copia, ac rerum varietate, aut maiore eloquentia, aut subtiliore disputandi ratione, aut à præstantioribus hominum ingenijs vnaquam fuisse tractatum. ut veritas, quæ huic studio subiuncta est, quæ etiā sine vlllo fuco nuda, & simplex sua pulchritudine, & specie est incūda, admirabiliores etiam habeat decorationes luce orationis ornata. Nam ut omittā sacros ipsos vtriusque testamēti libros, qui cum Divino spiritu dictante conscripti sint, sua se se maiestate sine vlllo fuco, aut verborū ornamentis satis commendant; quis Basilio in disputando acrior, aut subtilior, aut gravior? quis maioribus ingenij, aut doctrinæ opibus instructus? Quid? in Nazianzeni oratione præter eximiam sacrarum rerum scientiam, ob quam merito est Theologus appellatus, præstantemq; in omni genere doctrinā an Demosthenis sonitus, & fulgura desideramus? Chrysostomus vero an non beatissima illa copia, & vbertate, omniumq; fere ornamentorū genere, ingenij præterea nobilitate Ciceronem nobis expressit? Multiplicem vero Hieronymi doctrinam; omniumq; magnarum rerum absolutā notitiam, & orationis copiam, acerrimum quoque Tertulliani ingenium, variamq; eruditionem, quo in gradu laudis collocabimus? In Augustini vero celestis ingenij acie an non præstantissimorum Philosophorum laudibus Christiana gloria respondit. cuius in disputando, erroribusq; refellendis, ac vera doctrina asserenda acerrimam vim quæ satis æquare possit admiratio? Quid? Recentior hæc Scholasticorum industria an est silentio prætereunda? quorum ratio disputandi quamvis nonnullis paulo angustior, pauloque exilior, ac spinosior videri possit, tamen negare non possumus, lumen ab ea præferri, iterq; monstrari, quo minore cum erratione quæ contraria videantur inter se aptare; ambigua distinguere, ac denique in amplissimis illis sacrarum librorū spatijs liberius possumus, minoreq; cum offendendi periculo excurrere. Deinde cum ad doctrinas consequendas magnam partē sine dubio ordo obtineat, certe veterum

veterum scripta splendida illa quidem, ac prope Diuina hac commoditate carent; neque quisquam siue de Græcis, siue de Latinis fuit, qui illud susceperit, ac spectarit, quemadmodum totam Theologiæ doctrinam plenam, & absolutam traderet; remq; à principio ad extremum ordine quodam perduceret. sed modo hanc, modo illam rem tractantes, disputationes suas ad Ecclesiæ tempora accommodabant. Quorum egregia scripta cum hac ordinis luce carerent, Diuino consilio factum puto, vt recentiora hæc ingenia existerent, quæ quod superioribus deerat, id ipsa acumine, & diligentia sua adderent, confusasq; illas, & sparsim tractatas quæstiones in ordinem digerent; seriemq; quandã conficerent, qua rebus alijs ex alijs annexis, & dilucidior esset hæc doctrina, & ad perdiscendum facilior. Quorum hominum labor, & industria haudquaquam videtur aspernanda. nam et si multa sæpe inculcant à Philosophis sumpta, quæ fortasse omittere potuissent; nonnullisq; quæstionibus forte supernacaneis hoc studium consperferunt, tamen ijs reiectis possumus quæ utilia in ipsis sunt, carperè. Quid illa? quanta est huius doctrinæ commendatio? quod cum reliqua studia ingenia tantum hominum, vimq; intelligendi oblectent, ac teneant, sacra litteræ animi quoq; affectum pascant, & eo quidem pabulo, quo nulli sit aut ad sensum iucundius, aut ad fructum utilius. animos enim hominum terrenis his, & caducis bonis incubantes, totos immutant, & ad celestium rerum amorem traducunt, sublimesq; quosdam, ac Diuinos spiritus paulatim instillant, quibus humiles has, fluxasq; res despiciant; ac pro nihilo ducant; contra Diuinas suspiciant; in easq; omnibus animi motibus tantummodo ferantur. Quare fit, vt sic affecte mentes purissima, ac perpetua tranquillitate fruantur, nullis egritudinibus lacerentur, nulla inani lætitia titillentur, nullis denique perturbationibus exagitentur, quippe quibus omnia humana contemptui sint, futuraq; beatitudo ab ijs studijs etiam in hac vita fere representetur. Illud quoque accedit, quod Theologiæ utilitas non æterna illa, celestiq; beatitudine tantummodo terminatur, sed humanarum quoq; rerum administrationem complectitur. Neque enim ab vllis Philosophorum scholis vitæ ciuilibis præcepta aut subtilius sunt, aut elegantius, aut vero etiam vberius tradita, quam a Theologis nostris. Quare cum tu maxime omnium reipublicæ Senator creatus sis: ob eamq; rem politicarum rerum cognitio tibi in primis sit necessaria, debes te toto pectore ad illud studium conferre, quod te in illis facere possit instructior em. Neque tamen te ad Theologiam tam vehementer hortor, vt

à reliquis

à reliquis bonarum artium studijs plane deterream, sed vt moncam, tibi in ijs ita esse versandum, quasi ex illis ad Diuinam doctrinam tibi gradus quidam fiat, vt enim insectores nõ statim, neque remore quamcumque lanam conchylio tingunt, ne per rudem materiam aliquid de purpura splendore detrahatur, sed lanam prius viliori fucio inspicunt; ac molliorem reddunt, vt superinductum ostrum splendidius niteat, sic adolescentium animi, in quos Diuina doctrina est infundenda, ingenius prius sunt artibus informandi, atque imbuendi. quibus perpolitè sensa illa Diuinarum rerum non quidem præstantiora efficiant (neque enim possunt vllò modo) sed & ad ea percipièda instructiores fiant, & percepta maiore cum dignitate possint efferre. Ac quemadmodum non sè ad fructuum copiam, & suauitatem nihil folia valent, sunt tamè frondes plane abiiciendæ, quod arboris decor plurimum illarum ornatu commendetur, ita nec si Diuina doctrina nullo extrinsecus præsidio subnixæ suis tamen radicibus firmissime hæret, seseq; viribus suis abunde tuetur, sunt tamen ideo ab illa ceterarum doctrinarum ornamenta repellenda. quæ & si eam meliorem non faciunt, homines tamen, in quibus ea sunt, non modo exornant, sed magna etiam illis ad illam tractandam afferunt adiumenta. Itaque tibi impedimento esse non possumus, quo minus aliquot etiam ætatis tuæ annos ponas in ijs studijs, sed ita, vt non illa existimes Christiano homini, Sacerdoti præsertim per se esse quærenda, sed (vt dixi) ex ijs putes expeditiorem viam tibi ad Diuinam doctrinam comminiri: neque (quod plerique faciunt) vt omnem tibi ætatem in ijs studijs ponendam censeas, sed susceptam in ijs diligentiam eo vsque perducendã, quo ad te ad grauiorem doctrinam satis ab illis instructum sentias, ad quam cetera omnia studia, & consilia tua tibi sunt dirigenda, illiusq; utilitate processus in ceteris artibus terminandi. Hæc fere sunt Roberte amplissime, quæ ego & ætati tuæ, & honori, quem es affectus, singulare meum erga te, ac parentem tuum, totamq; domum vestram studium debere existimari, in quibus exponendis cum videam, me epistolæ modum pæne transgressum, finem tandè faciam cum ea clausula, vt Deum immortalem tibi istum honorem velim fortunare, teq; orem, vt parenti, ac fratribus, meis verbis quæ plurimam salutem dicas. Vale.



# VBERTI. FOLIETAE

DE. RATIONE. SCRIBENDAE  
HISTORIAE

AD. OCTAVIANVM. PASQVAM  
EPISCOPVM

HIERACENSEM



**M**ULTORVM studijs & adhortationibus impulsus Octauiane Pasqua, cum ad vniuersam nostrorū temporum historiam conscribendam animum & cogitationē contulisset, duae me res ab eo consilio magnopere deterebant. altera erat rei ipsius magnitudo, cui me haudquaquā parēni existimabam. arduum enim in primis est opus, ac perdifficile, plurimūq; ac diuturni laboris, quodq; cum excellens ingenium, ac singularem eloquentiam postulat, tum acres quosdam & viuidos animi motus, qui ad excogitandum sunt celeres, & ad inueniendum acuti, atque ad explicandum copiosi: praeterea civilium & bellicarū atque omnium fere magnarū rerum haud mediocrem scientiam & vsum. quae omnia aut nulla, aut perexigua in me esse intelligebam. altera quae me deterebat res, erat, inuidorū & obtrektorū, quorum plena sunt omnia, malevolentia & improbitas, insitāq; quorūdam ingenijs peruersitas, ac prauiū studium de eorū, quos aliquo numero esse aegre ferunt, laudibus detrahendi. quippe qui alienam gloriam ad suū dedecus reuocent. animis enim minuti, ac ieiunis homines; imbecillitatisq; suae conscij cum se se attollere non sperent posse, quantum alios altius euolantes cernunt, tantumdem se infimo loco relictos deprimi putant. Quibus igitur assurgendo se se nō valent aquare, eos ad imum, quantum in ipsis est, deprimendo sibi pares facere contendunt. Quae incōmoda eo magis mihi erant formidanda & cauenda, quo iij, qui natura simplici sunt & aperta, qualem me esse, nemo est de ijs, quibus notus sum, qui nesciat, grauius ijs rebus offenduntur: ego quidem me animo quibusuis iniurijs facile irritabili esse sentio. Quare verebar, ne labore ipse meo negotium mihi permole-

stum

sum struerem, magnamq; contentionum molem, a quibus ingenio longe abhorrens semper fui, constarem. Verum cum nullum instandi & urgendi finem facerent iij viri, quorum complures amicitia & beneuolentia, multi etiā auctoritate apud me plurimū valebant, obsequi tandem tantae hominum voluntati quāuis inuitus & retractans sum coactus, cum praesertim illi bono me animo esse iuberent, fortiterq; agendum dicerent. nam quod ad ingenium & facultatem attinet, plus me aliorum iudicio de me, quā meo tribuere debere: neque obtreccationem & inuidiam mihi esse pertimescendum. quā si veriti essent graues viri ac docti, neminem omnino animum ad scribendum adiecturum vniquam fuisse. nullam enim aetatem eius vitij experire, aut ab ea labe sinceram atque integram fuisse: neque liuorem & improbitatem cuiquam ex omni saeculorum memoria pepercisse. Vt in cōmuni incommodo me vnum eximium esse postulare non debeam, ac ne optare quidem. Verum non me sefellit opinio mea. In varias enim reprehensiones incurrimus, neque eas genere leues. Quibus faciendum mihi putauī, vt responderem; hominumq; importunam temeritatem refellerem. quod non omnino ieiune me hoc libro fecisse arbitror. quem ad te Octauiane Pasqua multis de causis mittendum duxi. primū, quod id a me postulare videbatur studiū meū ab egregia tua voluntate, tuisq; haud lenibus in me meritis & officijs prouocatum. quae merita si pari referenda gratia remunerari haudquaquam possum, at hoc saltem grati memorisq; animi testimonio illustranda duxi. Deberi praeterea hoc a me putauī veteri nostrae animorum coniunctioni, compluribusq; necessitudinis causis inter nos intercedentibus, in primis vtro obseruantiae atque adeo pietati, qua Simonem Pasquam patrū tuum Cardinalem amplissimum perpetua prosecutus sum omnibus officijs, omniq; beneuolentiae significatione cum in vrbe & in Tridentino Concilio, tum multis alijs locis ab illo amplexus. Nihil autē maioris ponderis fuit, quā dignitas tua, ex qua haud parū commendationis huic nostrae disputationi accessurum intelligebā. Illae sunt enim in omni genere laudes tuae, quas si stilo paullo diligentius & prolixius persequi velim, nemini, cui ille notae sunt, aut nimius fuisse, aut plus aequo gratiae tribuisse videri debeam; difficileq; sit statuere, vtrum in te ingenij, an morum & virtutum gloria magis excellat. nam ingenij praeclarum specimen iam inde a primis annis, qui eloquentiae studijs & politioribus artibus dati sunt, caepit apparere; & in adolescentia, quae tota in iure civili perdiscendo posita est, maxime enituit. Innocentia vero, integritas,

B 2 fides,

fides, probitas, diligentia, industria, doctrina in forensi opera, qua uetustis tempora per octo annos in Romana Aula in causis iudicandis, atque in utroq; munere supplicum libellorum fungendo districta fuerunt, conspecta sunt. Iam uero morum sanctitas, continentia, religio in omni uita caste & diligenter culta cum omnibus admirationi fuit, tū uero Gregorio Tertio decimo Principi sapientissimo, minimumq; gratia largienti, ac premiorum modum meritorum momenti metiēri ita probata, ut te dignum iudicaret, cui tertium & trigesimum annū aetatis nondum egresso insignem Locrorum Episcopatum, quem Hieracensem uocant, ultro deserret, cunctis approbantibus, & ampliore honore te dignum iudicantibus. Ad haec accedit singularis humanitas, tantaq; in quotidiana consuetudine comitas & naturae suauitas, ut nemo a te tristis unquam discesserit; Romaq; ad mandatū munus profectus ardentissimum omnibus tui desiderium reliqueris. Quibus rebus fit, ut in te ornando minimum, aut nihil omnino sit de generis commendatione petendum. quod tibi utraq; familia nobile & insigne est. Nam paternum Cardinalatus honore praesulget, quo a Pio Quarto Simon Pasqua patruus, ut diximus, cum ob ceteras praestantes uirtutes, tum ob multiplicem eximiamq; doctrinam donatus est. Ut omittā alios complures, qui eiusdem familiae tuae gloriam laudibus suis amplificauerunt; in primis Stephanum Pasquam parentem tuū uirum in omni uita re-cti exēpli, atque in multis partibus Genuensis reipublicae administrandis, primarijsq; magistratibus gerendis ita uersatum, ut eius opera, consilium, fides, integritas, pacis & concordiae studium in summo praesertim Magistratu positi difficillimis ac turbulētis temporibus magno usui patriae fuerit. Maternum uero Marchesiorum nomen perpetua iuris civilis laude floruit, multisq; insignibus stemmatibus clarū est, memorabili illo in primis fratruū pari Francisco Iuriconsulto, qui abauus tuus fuit, & Leonardo Inzannorum Episcopo, quorum ille perpetua reipublicae in magnis & arduis rebus domi forisq; nauata opera nobilitatur; hic singulari pietate, religione, doctrina, morū sanctitate praeditus in Episcopatu administrando, cui multos annos praesuit, quae sunt eius muneris magna & praeclara cumulate impleuit. Nec paruo decori familiae fuit Petrus Marchesius Hierosolymitanus eques bellicis laudibus florens. Tria igitur uiri acutissimi nobis obijciunt. Principio consilium meum magnopere reprehendunt, qui latine historiam scribendam duxerim, requiruntq;, quid ita qui ueterum imitationem tantopere uidelicet iactem, illorumq; auctoritati in reliquis rebus tantum tribuam,

tribuam, in hac una, in qua minime oportebat, a perpetuo, & communi scribentium more discesserim. illud enim constare affirmant, omnes omnium aetatum, omniumq; gentium scriptores patrio, non alieno sermone historiam scripsisse. idem igitur mihi faciendum fuisse, populariq; Itala lingua nostra in rebus gestis nostrorum temporum narrandis, litterarumq; monumentis mandandis uendum. quod idem multos claros aetatis nostrae uiros magna cum ipsorum laude, atque omnium approbatione uidemus fecisse. in qua re eo me, ac ceteros, qui idem consilium non sunt amplexi, grauius affirmant peccare, quod ueteribus libera fuerint consilia, qua lingua scriberent; at nobis libertas haec sit erepta: Italoq; populari sermone scribendi necessitas a re ipsa nobis imponatur, tot nouis post latinae linguae usum extinctum exortis rebus, quae latino nomine careant. innumera enim munitio-num genera reperta, quae uetribus plane ignota ne latino quidem uocabulo notata sint, neque nobis notare liceat in aliena uidelicet lingua; infinita praeterea machinarum, tormentorum, bellicorum instrumentorum, telorum; armorum genera: ad hoc innumerabiles magistratuum, ac procurationum, & honorum, tam civilium, quam militarium titulos, quae omnia tot, ac tam varia, cum nomen latinum non habeant, frequentissimeq; in historiam incidant, atque adeo maximam partem historiae obtineant, necessarioq; in omni rei gestae narratione, in omniq; consiliorum explicatione sint exprimenda, ac creberime repetenda, nouoq; proinde uocabulo popularisq; linguae sint appellanda, efficitur, ut ex duobus diuersis inter se sermonibus historia necessario sit contexenda. quae res praeterquam quod nullo exemplo fiet, ac non ferenda erit audacia, & temeritatis, quid tandem ea dici poterit absurdius? aut quod magis aures respuant? aut quod tandem id erit monstrum ex dissimilibus, tamq; parum inter se congruentibus membris conflatum? Sequitur altera oppugatio, in qua se se non minus illorum iactat oratio, quaeq; cum reprehensione insignem iniuriam, & contumeliam meam habeat conueniam. Negant enim me non ad uniuersam modo, sed ad historiam omnino scribendam esse aptum, minusq; me suscepisse affirmant, cui nullo modo par sim. neque enim cuiusuis esse, quamuis excellenti ingenio, atque eximia eloquentia, scribendiq; arte praediti, ac quamuis ingenius artibus exculti historiam conscribere, sed opus haud sciunt an dicant omnium maximum, & praestantissimum uni tantum hominum generi conuenire, quod ut planum fiat, illud disputationi praemuniunt,

præmuniunt, historiam veram esse oportere. neq; enim aliud esse historiam, quam veram rerum narrationem. nam si historia narratio dumtaxat sit, tum vero historia nihil ab Epicuri Poeta narratione differat: quippe quod utraque res gestas contineat. una igitur veritate duas has narrationes inter se distingui. Denique veritatem ita esse propriam historiam, ut pars eius essentia sit, qua veritate carentem narrationem non pravam modo, ac malam historiam esse, sed ne historiam quidem esse, neque historiae nomen omnino posse obtinere. Itaque quamvis apta, ornata, copiosa, elegans sit narratio, quæq; omnia locis, temporibus, personis, conveniëntia plane servet, consilia apte, & luculenter explicet; egregijs descriptionibus situs locorum, formas urbium, ac munitamentorum, instructiones acierum, ordines præliorum, discrimina, & casus ante oculos ponat, ac veluti in rem præsentem legentium animos inducat, ac pro auditoribus spectatores faciat, omnibus denique eloquentiæ, & artis numeris expleta sit, si veritas in illa desideretur, decoram quidem, & aptam fore narrationem, at historiam non dico falsam, & pravam, sed nullam omnino futuram; contra si rudi, & incœpto scribendi genere litteris sit mandata narratio, neque vllas partes ex ijs habeat, quas Rhetorum præcepta præscribunt; omnibusq; ornamentis plane sit orbata, ad hoc consilia, & causas inepte explicet, res gestas confusi narratione obscuret, ac pro eo ut lucem afferat, tenebras rebus offundat, veritas tamen adsit, vilem quidem, & ineptam, ac despiciendam rem fore, historiae tamen vim, & nomen retenturam. Magnopere igitur normam similitudinem à Polybio commentam veluti rei mirifice aptam probant. Ut enim (inquit) norma ex auro, & ex quamvis pretiosa materia facta, si recta non sit, res quidem pretiosa est, at norma nullo modo esse potest, cum enim norma causa dirigendi operis inuenta sit, munus suum præstare non potest, nisi si recta ipsa sit, quare ne norma quidem erit; contra si recta sit ex quamvis vili materia fabricata, nullius quidem pretij erit, sed norma tamen erit; ita cum idem sit verum in historia, quod rectum in norma, efficitur id quod diximus, ut falsa narratio neque sit, neque appellanda sit historia, quamvis omnibus verborum, & sententiarum luminibus illustrata, ac politissimo genere conscripta; contra vera quamvis sordida, & inops, atque inepta, re & nomine sit historia. Qua re probe fixa & stabilita ita disputat, ad veritatem rerum, quæ explicandæ sunt, perveniri nullo modo posse, nisi ab ijs viris, qui res ipsa tractarunt; quicq; rebus gerendis, & consilijs interfuerunt, ac veras, & certas, non autem commentitias, ac

vulgo,

vulgo, & forensibus sermonibus iactatas causas cognoverunt. ij autem sunt, qui ad interiora Principum consilia adhibiti sunt, qui in liberarum Civitatum Senatu fuerunt, qui legationes obierunt, quorum opera in federibus sancendis; in conditionibus pacis componendis, in belli consilijs explicandis multum diuq; sit versata; quicq; exercitus duxerint, prælijs interfuerint, discrimina subierint, belli subita, & improvisa subinde exorientia cognoverint, quæ vulgo ignota. Duces sæpe coegerint suscepta rerum gerendarum ratione omissa ad novos casus nova consilia accommodare. Quærent igitur, qua ratione me ad abditas rerum causas penetraturum somniarim, qui nullam gerendæ reipublicæ partem unquam attigerim. in quibus enim Principum consilijs, aut in quo Senatu me tandem fuisse? quas legationes obijisse? quibus deliberationibus de bello, de pace, deq; ceteris publicis ac magnis rebus unquam adhibiti fuisse? quibus prælijs interfuisse? quæ bella tractasse? quam deniq; reipublicæ partem mihi unquam commissam? & tamen me hominem omnium publicorum negotiorum expertem historiam, & eam quidem uniuersam de rebus gestis nostrorum temporum perscripturum profiteri ausum, illudq; munus suscipere non veritum esse, quod viri in omnibus ijs, quas diximus, rebus diu multumq; versati, diuturnoq; reipublicæ gerendæ vsu cõrriti, vix se implere posse sperent. Qua oratione in speciem non spernenda fidem, & auctoritatem historiae meæ nituntur derogare. Extrema est reprehensio, quæ non tam in me, quam in omnium gentium, omniumq; seculorum auctoritatē inuadat, perpetuumq; atq; ab omnibus atq; ab omnibusq; scriptoribus vsurpatum, & approbatum morem damnare non dubitet; adeo nullus est audaciæ, & confidentiæ modus. Negant enim conciones rectas in historia vlllo modo ferendas esse. nam cum prima historiae professio, & commendatio veritas sit, atque adeo ut diximus, ipsius historiae essentia pars, & forma, qua detracta historia vim, & nomen suum retinere non possit, quem non pudeat eiusmodi concionibus, quas res commentitias esse, & a se confictas, ne ipsi quidem, qui eas confixerunt, inficias eunt, in historia tam frequentem locum dare? se se igitur priorum seculorum, ac tot clarorum virorum omnibus ceteroqui naturæ, & industriæ præsidijs consulatorum vicem pudere, quos ambitio, & gloriæ cupiditas ita transversos egerit, ut impotenti ingenij, & eloquentiæ ostentandæ cupiditate elati professionis suscepta plane sint obliui; legemq; historiae perspicue perregerint, quam dum minime necessarijs ornamentis illustrare nimium student, eius naturam corrumpere non sint veriti.

Cum

Cum hac igitur una exceptione præclara ingenia esse laudanda; neque ullam quamvis magnam, & consentientem aucto ita etiam tam evidenti rationi debere præponderare. Non quidem genere leuia videntur hæc Octavianæ, quæ nobis obijciuntur, neque prima specie ita parum probabilia, ut non in rem minus acriter intuentibus errorem possint obijcere. quem tamen errorem nos facile erepturos confidimus, verum ijs tantum hominibus, qui ad intimam rationem possint penetrare, ingenijq; aciem in rem bene penitus desigere, quiq; veritatem subtilitate disputationis ad tenuem sciunt limare, ac singula momentis suis ponderare; qui deniq; non ex eo genere sint hominum, qui ab anticipationibus ita possideantur, itaq; semel comprehensa opinionis pertinaciter sint retinentes, ut si eam ratio labefecerit, si veritas extorserit, illam tamen deponere in animum non inducant. Ac negantibus historiam hoc tempore posse latino sermone conscribi, satis copiose, vi fallimur, in libris nostris, de lingua latina vsu & præstantia respondimus, remq; diligentissima, ac satis, ut putamus, subtili disputatione persecuti sumus; docuimusq; & historiam, & omnes magnas res nostra ætate non modo commode, & dilucide posse, sed debere quoq; litteris latine mandari; idq; longe rectius, & præstabilius esse, ac cum legentibus vtilius, tum scribentibus gloriosius. non igitur necesse habeo eundem laborem aut mihi scribendi, aut tibi legendi iterare. Quare quod secundo loco obijcitur, magisq; rem continet, videamus. In quo, quæ de natura, aut veritate historia præmuniuntur, ea omnia non retractanter concedo, Polybijq; sententiam, & comparationem in præsentia accipio. quamquam non sum nescius, multa ad ea posse responderi, esseq; nonnullos, neque eos indoctos, qui a Polybio magnopere dissentiant, comparationemq; ab illo inductam improbant, ac rem ad iudiciorum similitudinem reuocant; asseruntq; eandem esse veritatis in historia rationem, quam in iudicijs iustitiæ; ac quemadmodum iniustus Iudex, Iudex tamen est, & iniustum iudicium, iudicium tamen est, ita mendacem historicum, historicum tamen esse, & falsam historiam, historiam tamen esse. quæ quamquam a nonnullis dicuntur subtiliter, neque parum in speciem probabiliter, a nobis tamen in præsentia omittenda sunt tamquam quæ nihil ad nos pertineant, nihilq; sit, quod de illis pugnemus. quippe qui a tota hac ratione longe absumus; Polybioq; & ijs, qui historiam, quæ eadem vera non sit, vere esse historiam, eoque nomine appellandam negant, magnopere assentiamur. Neque nos hæc attrigimus, quod veritati historiae nostræ diffidamus. neque enim plus

plus diligentia aut studij a quoquam omnino nostra ætate in rebus quæ rendis & inuestigandis adhibitum putamus, eaq; nostri documenta in omni vita dedisse speramus, ut minus esse in nobis fidei, quam in ceteris ijs, quibus noti sumus, numquam sint existimaturi, sed historiam scribentium patrocinium suscepimus, quos ætate nostra indignissima inuidia videmus laborare, in qua homines vitium, quod est in re, ad scribentes transferunt, insita in humanis ingenijs importunitate de aliena laude, perinde quasi in illa vituperatio ipsorum sit, quantum quisq; potest, detrahendi. a quibus illud quero, cum homines in veritate perquirenda & inuestiganda, eaq; ex altissimis tenebris in lucem extrahenda omnia summa fecerint, an satis fecisse officio illos putent? & an quisquam præter diligentiam & fidem vlla omnino in re præstare amplius sit obstrictus? Quod si ea est humanarum rerum conditio, ut quamplurimas earum cum ipsas tum illarum causas non modo vulgo, sed ipsis quoq; summis viris, quibus publicas res, ac bella & paces, negotiaq; Principum tractant, ignotas esse necesse sit, quæ, malum, tanta est ista in quorundam ingenijs peruersitas, ut scriptorum tamen laborem & industriam lacerare non desistant, quos intelligant omni culpa a re ipsa liberari? Qui homines male de hominum genere mereri sunt existimandi, qui tam iniquam legem in se ipsos, & in ceteros statuunt, ut necessitati culpam assignent. Quod si dicant, quamvis scriptores omnes diligentia & suscepti muneris partes impleuerint, ac proinde ipsi quidem crimine sint liberandi, non tamen ideo effici, ut perfecta sit historia tanto vulnere sauciata, dicant queso, qui ita disputant, quæ tandem de omnibus artibus, omnibusq; doctrinæ professionibus ad perfectionem sit adducta? & in qua non multa desiderentur? Quid igitur in communi vitio unam scribendam historiae facultatem ad vituperandum & insectandum arripiunt? cum ceteras non ferant modo, sed laudent quoque? Verum communi defensione ommissa tempus est, ut ad ea, quæ mihi propiora sunt, tandem veniam, ijsq; respondeam, qui a me historiam præsertim uniuersam scribi posse negant. Odiosus est hic locus & lubricus; meq; (quod aiunt) lupo & præcipitijs interpositum video. Concedam illis quod obijciunt? tum vero me non ferendam temeritatis, & summæ stultitiæ, proiectaq; impudentiæ ipse condemnare, qui eam rem tanto conatu, tantaq; operæ & studij impensa susceperim, cui me haudquaquam parem constitear: tantiq; exudati labores proyiciendi fuerint, atq; inchoata opera, quæq; iam multum processerit, interrumpenda, omnisq; industria plane deponenda. Refellam oppugnantem? at quomodo arrogantia & leuitatis

& leuitatis notam effugero, si in caussa mea defendenda aliquid de me  
 sublatus & magnificentius dicere coactus fuero? Sed fortiter agen-  
 dum est; neq; arrogantia crimen formidandum, quod necessitas omni-  
 bus rebus validior a me deprecatur. cum præsertim auctoritate ipso-  
 rum sapientia Antistitum subleuer. qui licere hominibus tradiderunt,  
 se se sine leuitatis nota multis locis laudare. quorum ille maxime cele-  
 bratur, cum egregiorum hominum virtus detrahentium inuidia & ma-  
 ledictis incescitur; recte q; facta ac merita calumnijs & obtreptione  
 maleuolorum premuntur. quam tamen rem faciam modice, neq; quid-  
 quam mihi assumam, in quo quisquam repugnet, quodq; non omnium  
 consensu mihi tribuatur. Equidem nescio, qualem isti hominem fingat,  
 quem ad historiam scribendam admittunt. Nam si eum, qui hebeti, ac  
 taro sit ingenio, nulla q; doctrina, aut eruditione excultus, nullis q;  
 Rhetorū præceptis informatus, qui nihil legerit, nihil didicerit, quiq;  
 præterea in otio, & solitudine consenserit, idem nullum humanarum  
 rerum usum sit consecutus, ab historia scribenda excludunt, me quo-  
 que sententiæ suæ adscribant. quod si eum hominem, qui sollerti, & vi-  
 uido sit ingenio, celeribus q; quibusdam mentis motibus, & ad inueni-  
 endum vberibus, & ad explicandum copiosis sit præditus, qui multo-  
 rum scripta legerit, qui Philosophorum disputationes, quæ ad vitam  
 civilem pertinent, gustarit, qui in Rhetorum scholis sit versatus, qui  
 eorū qui res scripserunt, quorumq; nomen clarius, & celebrius est, mo-  
 numēta diu multumq; euoluerit, ad eorumq; imitationē acri studio, &  
 indefessa diligentia se se cōtulerit; quiq; diuturna meditatione, & exer-  
 citatione eam scribendi facultatem sit adeptus, cuius illum haudqua-  
 quam peniteat, qui idem in foro sit versatus, quiq; vel in magnis Ciui-  
 tatibus, vel in Principum Aulis magnam ætatis partem egerit, ma-  
 gnorumq; ac præstantium virorum, qui publicas res tractant, consilijs  
 Principum adhibentur; bellis gerendis præsumt, legationes obeunt, diu-  
 turna, & assidua consuetudine usus sit; cumq; illis de bellis, de fœderi-  
 bus, de conditionibus pacis, de consilijs Principū sermones sæpe con-  
 tulerit, ceteribus hominum dum de publicis, ac magnis rebus, deq; no-  
 uis exorientibus casibus, deq; futuris euentibus inter se commentan-  
 tur, interfuerit, talibus nature, & industriæ præsidijs instructum ho-  
 minem, cur rejiciant non video. Verum age videamus, quamobrem eos  
 diu taxat, qui res ipsas tractarint, quiq; in consilijs interioribus Prin-  
 cipū fuerint, quiq; ipsi bella gesserint exercitibusq; præfuerint, ac res  
 bellicas administrarint, ad scribendam historiam admittant, ceteros ar-  
 ceant.

ceant. quod abdita (inquiunt) rerum caussa, & consilia Principum  
 illis tantum nota sint, ceteris ignota; neque ullius rei perfecta esse pos-  
 sit cognitio ignoratis caussis, a quibus res manant, ac sine consiliorum  
 cognitione manca quedam, & cæca sit rerum gestarum narratio. qua  
 re sit, vt nullus possit aut perexiguus percipi ex historia fructus, sine  
 quo fructu inutilis plane, ac superuacanea est historia. neque enim hi-  
 storia, vt poema delectandi caussa in primis conscribitur; neque vt no-  
 uorum casuum varietate allectos animos hominum pascat, & teneat,  
 sed vt hominibus profit, neque ijs modo, qui nunc viuunt, sed posteri-  
 tati quoque. nam cum duæ sint facultates, quæ commune bonum, &  
 vtilitatem publ. cam spectant, quæq; hominibus ad beatam vitam iter  
 expediunt, illosq; ad civilem societatem tuendam, & ornandam insti-  
 tuunt, moralis Philosophia, & historia, ita hæc duæ facultates parti-  
 tæ sunt inter se munera, vt illa disputationibus, & præceptis animos,  
 & mores hominum informet, hæc vtilibus exemplis salubribusq; do-  
 cumentis quid sequendum in vita, quid fugiendum sit, doceat; moneatq;  
 ad quorum similitudinem actiones, & consilia sua domosque dirigant,  
 & conforment; casusq; atque exitus, qui bona consilia, & præua con-  
 sequi soleant, ante oculos hominum ponat, quorū cognitione illi & ad  
 virtutem inflammentur, & a sceleribus reuocentur. at eiusmodi vti-  
 litates ex simplici nudaq; rerū narratione percipi nullo modo possunt.  
 influunt enim caussa vi sua in res, quæ geruntur, ac veluti anima sunt re-  
 rum, a quibus actiones ipsæ formantur, & naturam accipiunt: fitq; vt  
 eadem actio laudanda, vel vituperanda sit, prout sunt caussa, a quibus  
 actio illa manat, prout est finis, qui rerum gerendarum auctoribus fuit  
 propositus. Speciose differuntur hæc quidem, atque ita probabili-  
 ter, vt errorem parum cauti possint obijcere. verum falsitas eo pe-  
 riculosior est, quo in insigniore specie latet. quare nobis discutiendæ  
 sunt tenebræ subtilitate disputationis, veritasq; eruenda. Duplex erit  
 disputatio; prima de caussis, altera de rebus, quæ geruntur, quæq; a  
 caussis manant. quod antequam facio, illud silentio præterire non pos-  
 sum, non adhuc plane exploratum esse, neq; omnium consensu appro-  
 batum, necessariam esse historiam scribenti caussarum explicatio-  
 nem, sed rem bene longam disputationem habere. sunt enim neque ij  
 indocti, qui contra disputant; historiamq; narrationem esse gestarum  
 rerum & euentuum tantummodo, neque de caussis quaerendis, &  
 inuestigandis, illisq; tradendis historiam scriptori magnopere esse  
 laborandum. neque enim hoc esse historiographi munus, neque histo-

ria nomen causas vi sua complecti. quæ res confirmari potest sacrarum litterarum auctoritate, in quibus historia nudam, & simplicem rei gesta habent narrationem. Verum ut hæc in præsentia missa faciamus, demusq; causas magnas, & necessariam partem in rerum narratione obtinere, sine quibus res ipsa veluti manca, ac detructa sint, cum duo sint in rebus gerendis hominumq; actionibus genera causarum, alterum earum, quæ vulgo iactantur, omnibusq; nota sunt, alterum abditum, quæq; a Principibus, ijsq; qui illis sunt in consilio, fere comprimuntur, & occultantur; de primis nulla potest esse controuersia, cum omnibus æque sint nota. quare omnes ad illas exprimendas æque idonei sunt, si modo ingenio, & facultate scribendi valeant. De secundis pugna est, sed non difficilis exitus. Nam si nemo idoneus est ad historiam scribendam, nisi qui interioribus Principum consilijs interfuerit, intimasq; causas cognouerit, nemo omnino ad vniuersam historiam scribendam idoneus fuerit. non enim vniuersa historia vnius tantum Principis consilijs, & actionibus definitur, sed omnes Europæ Principes amplectitur. Bella enim nostra ætate in Europa varijs de causis varijsq; temporibus excitata, si quis rem vere existimare velit, alia ex alijs annexa fuerunt, singulaq; bella ipsa non ad eos tantum Principes pertinuerunt, qui apertas inimicitias, apertaq; odia inter se exercebant, quosq; aperta dissidiorum causa in aperta bella stimulabant, atq; inter se committebant, sed ceteros quoque Europæ Principes varie attingebant. nam alios veteris amicitia veterisq; clientelæ ius, ac vetera partium studia in aperta consilijs, ac belli societatem trahabant, alios quibus libera erant consilia, ad hunc vel ad illum ex ijs, qui aperte bella gerebant, occultis studijs se se applicabant, occulteq; hunc aut illum iuuabant, prout rebus suis conducere putabant; prout bellorum exitus sibi vtile, aut damnosus fore prouidebant, prout alterius secunda, vel aduersa in se ipsos, atq; in Regna sua redundatura existimabant. quare nihil in Europa nostra, aut patrum nostrorum ætate motum est, quod non omnium Principum animos exererit, atque in alienos euentus oculos, & animum omnium intenderit, exercitaritq; ad consilia sibi in omnes casus præparanda, & ad novos, subitosq; euentus accommodanda. Quare factum est, ut bella, resq; in Europa gesta non in eorum tantummodo, à quibus gerebantur, sed in omnium Principum deliberationem caderent, in omniumq; consilijs agerentur. fieri autem non potest, ut vnus idemq; homo ad arcana, & intima plusquam ab vno Principe vno eodemq; tempore adhibeatur, ac plurimum Principum consilia, & cogitata simul cognoscat.

scat. cumq; in historia vniuersa scribenda omnium Principum, & liberarum Ciuitatum consilia explicanda sint, quomodo is, qui in vnius tantum Principis consilio fuerit, magis ad intima ceterorum Principum consilia penetrabit, illaue melius explicabit, quam is, qui nulli omnino consilio interfuerit? Neque enim illi, ac mihi consilia ceterorum vel coniectura inuestiganda, vel ab alijs discenda erunt; & æque ille, atque ego, & coniectura falli, & ab alio decipi potest. Quota igitur pars fuerit totius historiae ea, in qua me superabit? profecto tam exigua, ut vix compareat. Quid? quod ne res quidem vnius eiusdemq; Principis, cuius ipse administrator est, omnes scire ipse per se potest, sed multo maximam earum partem ab alijs cognoscat necesse est? quæ tamen res in historia necessario sunt complectenda, neque ab ijs, quæ ipse per se cognouit, in scribenda historia villo modo distungi possunt, id quod mox planius explicabitur. Deinde haud facile concesserim, illis ad res illius ipsius Principis, cui in consilio fuerit, & a quo arcanorum particeps factus sit, scribendas, consiliaq; exponenda, & explicanda magis idoneum, quam me esse, si modo consilia ipsa æque atq; ille cognouero. Nam res ipsum tractasse, atque in deliberationibus ipsum esse versatum, gerendaq; reipublicæ diuturno vsu assuefactum esse; hæc atque huiusmodi complura ad prudentiam augendam valent quidem plurimum; instructioresq; homines, & aptiores ad rempublicam gerendam faciunt. Quo circa sapientius consilium profecto dabit in deliberationibus de magnis, ac publicis rebus, faciliusq; res implicatas expediet is, qui res ipsas vsu cognitas, & pertractatas habet, quam is, qui nullam vnquam reipublicæ partem aut in consilijs capiendis, aut in rebus gerendis, & administrandis attingerit, sed ad eas ipsas res, quas ille ipse tractarit, quibusq; etiã præfuerit scribendas, ampliusq; & distinctius, atque ornatius etiam & neruosius explicandas haudquaquam magis aptum faciet. nam hoc totum ingenij est, & eloquentiæ. Neque enim Annibal res, quas ipsemet gessit, melius quam Liuius scripsisset, aut maiore cum dignitate explicasset. At enim causas, & consilia illis, qui rebus in consulendo, vel in agendo non interfuerunt, nota plane esse non possunt. quæ cõprimi solent, cumq; ijs tantummodo comunicari, quos Principes ad interiora consilia adhibent. Hic ego tempora distinguo. si occultari causas, & consilia dicunt, tum cum res ipsa geruntur, assentior, sed historia post res gestas scribitur, tum cum sine periculo consilia, & arcana deteguntur, neq; enutiantibus obesse possunt rebus iam transactis. quare facile est, ea consilia ab ijs, qui rebus interfuerunt, quibusq; nota sunt, cognoscere,



cognoscere, ut in nulla superiore conditione futurus sit is, qui per se ipsa consilia cognouerit, quã is qui ab alijs cognouerit. At enim post res quoque gestas arca consilia nihilominus cõprimuntur, neque temere diuulgantur. Non pugno, sed nihil contra me hoc facit, nam si eiusmodi sunt consilia, quæ nullo modo diuulganda sunt, nõ magis, atq; adeo multo minus stilo, quam ore diuulgabuntur. quare ne is quidem, qui illis interfuit, litterarum monumentis illa cõsignare audebit. atq; ut res planior fiat, aut consilia, quæ silentio teguntur, turpia, & iniusta, parumq; decora ipsis Principibus, consiliorumq; auctoribus sunt; aut honorifica, & cum honestate, atque officio coniuncta. Primi generis consilia numquam enuntiabuntur, multoq; minus scriptis ad posteritatem propagabuntur. nihil igitur in ijs gnarus, ab ignaro differet. a neutro enim scribentur. At secundi generis consilia vltro prædicari solent, percurrentibusq; cupide narrari; nemõq; tam sui ipsius, & Principis sui hostis est, ut quæ ab ipsis egregia, & reipublicæ salutaria profecta sunt, esse velit ignota, meritq; laude se ipsum fraudare: ac non contra magnam habeat gratiam, si quis illa laboribus, & industria sua ab oblivione hominũ vindicarit. Quod si obstinate adhuc restiteris, eumq; qui consilia abdita enuntiat, percurrentes sepe decipere contenderis, facile respondeo. eiusmodi esse ea consilia necesse esse, quorum auctores pudeat, in quibus narrandis, atque inuertendis is qui consilijs interfuit non minus legentes scribendo, quam percurrentes fallit pronuntiando. Quare fiet, ut legentes, quorum causa res gestæ scribuntur, nihilo certius, ac verius, nullamq; meliorem historiã ab ijs, qui consilijs, & rebus agendis interfuerunt, quam ab ijs, qui eadem de alijs cognouerint, habituri sint. eadem est actionum, & rerum gestarum ratio, quæq; de consilijs disputata sunt, ea hic commode repeti possunt, singulaq; in hunc locum apte transferri. aut enim res gestæ a nemine bene narrari possunt, aut non minus ab ijs, qui ipsis gerendis non interfuerunt, neque enim actiones a consilijs separari possunt, neque ex ijs dua confici historiæ, sed ita altera res ab altera est annexa, ut nullo modo possint disiungi, necessarioq; in vno historiæ corpore sint contexende. Ex ijs verò hominibus, quorum opera, industria, prudentia, fide Princeps in maximis rebus, & in summa republica procuranda vititur, non omnes omnia tractant; sed sua sunt cuiusque separata munerera. nam alios domi, & apud se retinet Princeps, quos ad de liberationes de bello, ac de pace, deq; alijs grauibus negotijs adhibet, omniaq; quæ in deliberatioem cadunt, de illorũ consilio expedit: alios

a se

a se amandat, Prouincijsq; regendis, atque exercitibus, & rebus bellicis præficit. qua re fit, ut si quis illorũ ad historiã scribendã animũ adiciat, non omnia, quæ scripturus est, ipse viderit, sed multo maxima eorum pars de alijs sit cognoscenda. neque enim is, qui exercitui præest interioribus consilijs Principis potest interesse; quæq; ibi agitantur, & deliberantur ipse audire, & ei quoque, qui apud Principem remanet, casus belli sunt ab alio perdiscendi. Quid, quod ijs ipsis, qui in acie steterunt, in parteq; laborum, ac periculorum fuerunt, multo maxima pars eorum, quæ in ipso prælio, cui ipsi interfuerunt, gesta sunt, ab alijs cognoscenda est? nam cum ingens loci spatium acies obtineat, is, qui in sinistro constitit cornu, quæ in dextro gesta sint, qui casus ibi præliorum fuerint, quæ ibi variauerit fortuna, vnde fuga, vnde victoria initium factum sit, nisi ab alijs narrata cognoscere non potest. Vix quæ prope se geratur, quis præ clamoribus, discurrentium turba, signorum cantu, strepitu armorum, ictuum sonitu, tormentorum bombis, equorum hinnitu, cadetium gemitu cum omnia oborti sumi, ac pulueris nubes tegant, aspectumq; adimant, exaudire, ac videre possit, ne dum sit in longinquas partes circumspectus, aut in extremam aciem oculi, atque aures cuiusquam possint intendi. Ut ne ipse quidem summus Dux, quæ in sua acie gesta sunt, nisi de alijs maxima ex parte cognita stilo persequi possit. Quid dicam de hostili acie? cuius euentus quoq; & casus ipsi prorsus ignoti non minus distincte, ac dilucide, nisi historia manca plane futura sit, sunt explicandi? Quæ omnia innumerabilia cum, vel ab ijs ipsis, qui interfuerunt prælijs, necessario sint de alijs perdiscenda, qua tandem re, aut quot tandem partibus is, qui a prælio commisso abfuerit, eo, qui interfuerit, erit inferior? siquidem vtriq; tanta pars rerum aliorum narratione est cognoscenda, ut præ illis, ea quæ ipse, qui interfuit, vidit, minimũ instar sint? Dicet aliquis. Nihil igitur sciens, diuturnoq; vsu bellicarum, & ciuiliũ rerum doctus ignaro eoq;, qui nullum vsũ in rebus habeat, nullaq; re præstabit? In agendo innumerabilibus, in scribendo nulla, aut perexigua. neq; enim rei militaris rudis aciem instruere, omniq; bellica ratione firmare, tempora pugnae cognoscere, hostem ad pugnandi necessitatem suo tempore, hosti alieno adigere, quæ in rem fuerint, imperare, locum idoneũ castris capere, per hostiles fines tuto ducere, e saltuosos, & impeditis locis incolumis euadere, insidias cauere, & struere, commeatus, & annonam sibi expedire, hosti intercludere, ad subita belli cõsilio præparatũ esse, hæc, & sexcenta alia imperatorij muneris magna, & præclara cõ-

gunt

gius belli Dux facile expediet. quemadmodum si in consilijs Principum anceps, & ardua incidat deliberatio, is qui diuturnum usum gerendae reipublicae habet, magnamque prudentiam est consecutus, difficultates suboriētes cōsilio facile expediet, fut ura providebit, quaeque in rem sunt, consulēt, firmisq; & solidis rationibus cōtraria, & damnosa suadentes refellet, errores aperiet, alijsq; veluti lumen prudentiae sua praefereat, ac quid in deliberando sequendum, quid repudiandum sit, demonstrabit, haec omnia splendida, & magnifica, quaeq; bonum, & salutem publicam continent periti, & gnari praestabunt; illorumq; auctoritas, & consilium numinis cuiusdam instar ceteris erit; contra imperitus nulloq; usu tractandae reipublicae cruditus aestuabit, & haerebit, ignotoq; onere obruetur. idem tamen si eloquentia scribendiq; facultate superior sit, ingenioq; polleat, si modo diligens in perquirendo, & cognoscendo fuerit, eas ipsas res gestas longe planius, & distinctius, quam ij ipsi rerum, & consiliorum auctores scribet, copiosiusq;, & ornatus explicabit. quam rem consiliorum auctores aegre ferre, aut indignari non debent, facileq; pati, naturam ita partitam inter homines munera, ut cum ipsi in rebus gerendis excellent, quae res altissimum in humanis rebus locum obtinet, scribendiq; facultatem magno intervallo antecedit, in secunda hac laude se se esse inferiores. Extremo loco in conciones inuadunt, quas viri ex omni saeculorum memoria acutissimi in historia rectas ferendas esse negant, cum obliquas non rejiciant. rectas vocant prosopœias; obliquas, non cum persona ipsa loquens inducitur, sed cum quae dixit aliquis, nos ipsi tamquam nostris verbis nostraq; persona narramus. Veritati enim, cui rei studere in primis historia debet, prosopopœiam perspicue aduersari affirmant, Eiusmodi enim orationes a se confictas, ne ipsos quidem scriptores negare. proinde ingens flagitium ab ijs fieri, qui ingenij, & eloquentiae ostentanda studio a veritate palam defleant. quae opinio si vera est, vanitatis, & mendacij omnes omnium saeculorum, omniumq; gentium, ut superius diximus, scriptores coarguit. Quod nouum istud tantum veritatis studium nostram aetatem tenet? quod veteribus ita ignotum fuit, ut Lucianus, is cuius aculeos nulla non modo professio, ac nemo omnino mortaliū, sed ne Deorum quidem vllus ex commentarijs illis effugit, conciones historicorum intactas reliquerit, quin etiā illas laudaret, licereq; in illis <sup>ὁπτοπέδων</sup> affirmarit. Quam vereor, ne huiusmodi homines, dum in veritate retinenda supra ceteras aetates religiosi volunt videri, ad superstitionem incubuerint. nam cū hi-

storia

storia non res tantum, quae manu geruntur, narret, sed cōsilia quoque, & causas necessario cū illis connectat; neque enim alia res ab alia separari potest, consilia autem, & causae loquendo explicentur, non video, quomodo magis a veritate recedat is, qui auctorem consiliorum ipsum sua persona loquentem inducit, prosopopœiamq; in historia inserit, quam is, qui senatorem, aut Ducem non loquentē ipsum, sed haec illum dixisse ipse sua persona refert. quod hoc exemplo planū facio. Tuum est Serui, si vir es, Regnum, nō eorum, qui alienis manibus pessimū facinus fecere. Erige te, Deosq; duces sequere, qui clarū hoc fore caput diuino quondam circumfuso igne portenderunt. Nunc te illa caelestis excitet flamma: nunc expergiscere vere. Et nos peregrini regnauimus. qui sis, nō vnde natus sis, reputa. si tua re subita cōsilia torpent, at tu mea cōsilia sequere. Qui magis queso a veritate recessit Livius, hac inducta prosopopœia, quam si ipse, quae dixit Tanaquil, suis verbis suaq; persona ita rettulisset. Ipsius esse, si vir esset, Regnū, nō eorum, qui alienis manibus pessimū facinus fecerunt; erigeret se, Deosq; duces sequeretur, qui clarum illud fore caput diuino quondam circumfuso igne portenderunt. nūc ipsum illa caelestis excitaret flamma, nunc expergisceretur vere. & se peregrinos regnasse; qui esset, nō vnde natus esset, reputaret, si illius re subita cōsilia torperant, ut sua cōsilia sequeretur. Doceat igitur religiosi isti veritatis patroni, quid tandem intersit, hoc an illo modo verba concipiuntur, nā ego differentiam excogitare nullam possum. Deinde quaero in verbis ne, ac forma verborum, an in re veritas sit. at omnem dubitationem tollit definitio ipsa, quae docet, veritatem esse rem intelligendi facultati aequatā. quod si ita est, quid tandem refert, his ne an illis verbis, hac an illa verborum forma, recta ne an obliqua concione re pronuntiemus. modo a sententia ne discedamus? Tum autem illud quaero, quamobrem a rectis concionibus tant opere isti abhorreant. quod in illis, inquit, multa ponantur, quae ij, qui conciones habuerunt, ne somnariūt quidem. Ut hoc verum sit, idē vitium est in obliquis concionibus, quas si ipsas quoq; tollerere volunt, eadē opera & historiam tollant licet. scribi enim sine illis prorsus non potest. ex rebus enim, quae manu geruntur, & quae sermone pronuntiantur, narratio historica constat. Omnino nugatorium est, verba aucupari, atq; ad ea velle rem, & veritatem deflectere. quod si suscipitur, iam ne quotidiana quidē narrationes inter nos cohaerebūt. nemo enim est tāta memoria praeditus, qui quae de altero audit, ea ipse iisdē totidemq; verbis expressa reddere memoriter possit.

D Senten-



Sententia igitur inspicienda est, in qua veritas posita est. nam si verba sequimur, ad incertum fides renocabitur, neque ullus sermo verus erit. At enim historie scriptores dum famam ingenij, & eloquentiam nimium captant, non modo verba immutant, variisque, & elocutionum formis res exornant, sed rem dilatant, multosque ambitus faciunt, ac multa addunt, quamplurimasque sententias de suo inserunt, atque eas interdum e media Philosophia sumptas, grauiioresque, & sapientiores quam ut illa ipsis concionum auctoribus vnumquam in mentem venire potuerint. ut hac in re Historici cum Poetis in fingendo certare videantur. Primum, ut hac vera sint, idem tamen vitium esse potest, & vero est in concionibus obliquis. neque enim minus a scriptoribus minore arte elaborantur, quam recte. quas tamen obliquas conciones in inuidiam ipsi non vocant. Deinde non negabo, scriptores multa in concionibus sepe addere de suo, & nunc obrectatores aliquid dicere concedam. Verum illud monitos omnes volo, me non de quocumque historiae scriptore, sed de egregio scriptore loqui, quique, quae sint scriptoris partes, & scientia teneat, & facultate valeat explicare. quod opus magnum est, magnique ingenij, ac magne eloquentiae. Ut Cicero, is, qui summum oratorem ceteris artibus, ac facultatibus anteferre, ac penecum diuina laude coniungere non dubitet, haud se scire dicat, an historia sit omnium oratoris munerum maximum. Sed nescio, quo humani ingenij vitio fiat, ut cum ceteras artes humiles ac seruidas, quaeque sint mediocri ingenio contentae, nemo tamen ad illas tractandas nisi gnarus accedat; quique, illas a Magistro non perdidicerit, is se se illarum inscium, ac rudem, neque ad opus artis illius faciendum aptum fateri non erubescat, at eas facultates, quae in rebus humanis maxime excellent, quaeque, non nisi diuturno usu, ac labore percipi possunt, & quae tarda, atque hebetia ingenia magnitudine, ac difficultate sua a se repellunt, nemo attingere expauescat, nemoque, non se se magnum aliquod in illis praestare posse confidat. nemo enim est, qui non se se ad rempublicam consilio, & sapientia regendam in primis idoneum putet, qui non se satis virium ad eius grauissimas partes sustinendas habere confidat, qui non se se dignum existimet, qui summum auctoritatis locum in consilijs Principum obtineat, atque in deliberationibus de maximis rebus, ac de summa republica princeps sententiam rogetur; cui non summi magistratus, ac grauissima procurationes mandentur; qui non moribus regendis, ac legibus ferendis praeficiatur; quin etiam quosdam noui, quos tanta sui ignoratio teneat, quique, eo temeritatis,

& ar-

& arrogantia prouehi se sinant, ut cum nunquam aciem viderint, confidant tamen, si exercitiis praeficiantur, se se praestantissimos belli Duces illico euasuros. Quod vitij est in rebus civilibus, atque in ijs facultatibus, quae sunt ad actiones, & ad reipublica procurationem dispositae, idem videmus in litterarum, & doctrinae studijs usu venire. in quibus cum a ceteris facultatibus, quibus non studuerunt, homines abstineant, nemo tamen est, qui non se ad poemata conficienda, & ad historiam conscribendam aptum putet. quare fit, ut atate nostra plures res fere rerum scriptores, quam actores habeamus. qui cum infeliciter in multis suscepti muneris partibus versentur, tum in concionibus, quae grauissima, & omnium maxima pars est, quaeque, veluti oculus totum historiae corpus illuminat, ac proinde ingenio, & eloquentia quammaxime opus habet, in primis peccant, idque dupliciter. nam alij ita ieiuni sunt, & exiles, ita nulla inuentione, nulla amplificandi, & exornandi vi, ut imbecillitate sua rem eneruent, ac deprimant, atque adeo obruant, & ingulent. qui homines recte faciant, si a concionibus abstineant, rectius, si historiam omnino non attingant. alij contrario vitio laborant, qui nimia ostentandi ingenij cupiditate prouecti legis historiae obliuiscuntur, easque orationes easque sententias loquentibus asfingunt, quae neque loquentibus villo modo conueniant, neque non modo vera non sint, sed ne verisimiles quidem. qui homines mihi non intelligere videntur, quantum inter Philosophum in scholis, atque in coetu doctorum, & ingeniosorum virorum disputantem, praecipuaque viuendi tradentem; & civilem virum in concione, & in imperitorum turba verba facientem intersit; neque meminisse, quantum utriusque munera inter se discrepent. Est enim Philosophi de proposita questione prolixae, & copiosae disserere, eamque omni argumentorum genere tractare, ac rem disputandi subtilitate enucleare, & veritatem ad tenuelinare, easque rationes, & sententias saepe afferre, quae ab imperitorum sensu, & intelligentia sint disiunctae. At longe diuersa dicendi via in foro concionanti, aut etiam in Senatu verba facienti ingredienda est. nam neque infinitam illam argumentorum copiam persequi necesse habet, quam multitudinis aures alijs negotijs distenta ferre non possunt, rationibusque, in differendo ijs vti debet, quae in medio posita, & in usu, atque in hominum more, & sermone versantur, quaeque non a vulgari genere orationis; neque a consuetudine communis vitae abhorreant; in quibus denique nihil sit reconditi, aut longe petiti, ut demum rationes, quas afferat, a re ipsa subijci, non a concionantis

D 2 ingenio

ingenio fingi, & excogitari videantur; in primis ne scholam redoleant; sed omnis oratio ad aures, & sensus audientium accommodetur. aliter enim fidem, & auctoritatem amittet, auditoresq; ita concionantē non ad suadenda quæ in rem iudicat, sed ad ipsos decipiendos processisse existimabunt. a quibus vitijs quemadmodum ij, qui vel ad multitudinem, vel ad exercitum, vel in Senatu, vel in consilijs Regum verba faciunt, solent abstinere, neque oratione nimis in speciem elaborata vtuntur, neque sententias, ac rationes nimis reconditis e locis erutas, aut nimis longe accersitas consueverunt vsurpare, ita bonus quoque historicus in prosopopœia virorum prudentia, & ingenio præstantium inducēda ab illis ipse quoq; abstinebit, neque quæ dici possint, studiosè vndique conquisita sine villo delectu in concionibus inculcabit, sed quæ rationes, ac sententia hominibus in foro, ac curia diu multumq; versatis venire in mentem solent, eas illos dicentes inducet. cumq; verisimile sit illos ita locutos, quis tandem falsi historicum præsertim diligentè arguere possit? aut pugnare, non ita concionantē locutū? cum præsertim historia scriptor neq; gregarijs militibus, neque de infima plebe hominibus, in quorum oratione propter humilitatē, ac propter rerum incertitiam nulla sit auctoritas, ac pondus, neque rursus hominibus, qui in scholis, atque in otio litterarum totam ætatem egerint ciuiliū vsuum experitis conciones assignet, sed eos viros loquentes faciat, quos verum est locutos esse, hoc est, quorum consilium, & prudentia multis locis spectata sit, quiq; magnum vsuum in rerum administratione, ac proinde magnam auctoritatem consecuti sint, vel aliquam, neq; eam infimā reipublicæ partem gerant. qui hæc non seruant historia scriptores, neq; hunc hominum, & rerum delectū habent, sed quacumque passim inculcant, atque in exquisitis, & abditis rationibus, & a communi vsu, & sensu remotis; quæq; vulgarem captū superent, inueniendis, & excogitandis, ac confingendis ingeniosi videri volunt, ij neque eam, quam nimis auide consēctantur, gloriam assequuntur, & mendaciū se ipsos arguūt. quod crimē cum omni professioni turpe est, tum vero in historia abominandum. At qui ad clarorum scriptorum imitationē se se conformant, illorumq; insistent vestigijs, ea dicunt in concionibus, quæ homines communi, & vsitata, ac forensi prudentia præditi solent pronuntiare, argumentaq;, & rationes, e schola petitas, quæq; reconditā illam sapientiam præferunt, vt ab auribus multitudinis, & forensium virorum respiciuntur, ita ipsi quoque reijciunt, cumq; eadem, quæ quinis e numero prudentium, & ciuiliū virorum dicturus fuerat, ipsi dixerint, eo

tamen

tamen modo dicent, quo nemo dicturus fuerat; mirasq; sui admirationes excitabunt, quippe qui eloquentiæ, & ingenij vi facultateq;, dicendi, & copia consecuti sint, vt res eadē longe diuersa videatur ab ipsis pronuntiatæ; resq;, per se humiles, & exiles amplæ, ac magnæ videantur rhetoricis coloribus illustratæ, verborumq; splendore, atq; orationis vi auctæ, & ornata. quam rem duobus Liiij locis demonstrare sat habeo, cum innumeris possim. A consilio manus cum Annibale conferenda Aemilium ad exercitum proficiscentem reuocare aggreditur Fabius, cuius rei flagrantem cupiditatem collega Varro præseferbat. Quis Fabium in hanc sententiam abnuat locutum? Non ideo se colloquium illius Collegæ petisse, quod animus pugnandi cupiditate insaniēs, nihil sani consilij capere possit. quare omnem sibi cum ipso vno Aemilio esse orationem. monere se igitur illum magnopere, vt stultissimo collega & furentis multitudinis præliū deposcentis insanus vocibus constanter resistat; neque cum Annibale hoste tot victorijs feroce villo modo manū conferat, quem cunctando, & extrahendo haud dubie Romanū superaturi, cum omnia illum deficiant, omniaq; inimica, & infesta vndiq; circumstet in alieno, & hostili solo omnium necessariorū rerum inopem, & egentē, vt haud dubie onere, quod diu sustinere iam nō possit, ipsis sedentibus, sineq; villo ipsorum, aut reipublicæ discrimine sit opprimendus. contra ipsis omnia ad ducendū bellum abunde suppeditare, qui in sua terra tot ciuium, & sociorū auxilijs circumsepti bellum gerant. proinde a fortuna prælij tentanda etiam, atq; etiam abstinere, neq; reipublicam temere in tam præcipitem casum det, suamq; ipsius Fabij exemplū & proximorū consiliū sapientiā, potius quā Flaminij temeritatem sibi imitandam ducat. Quis igitur Fabiū talem virum neget dixisse, quæ res ipsa vel mediocriter sapienti suggestisset, quæq; cuius vel tardo ingenio, modo idem cum Fabio sentiret, venissent in mentē. Age videamus, quemadmodum illa ipsa a Fabio pronuntiatæ Liiij nihil de suo ad sententiam addens, nullasq; reconditas rationes conquirens admirabili eloquentia sua explicet, atque exornet, vt cum nihil a Fabij sententia recedat eademq; dicat, longe tamen plura, & præclariora dicere videatur. qua in re neq. a veritate deflectitur, & maior ingenij, & eloquentiæ vis exprimitur, quam in numero exquisitarum rationum, & confictorum argumentorum agmine veritatem obruendo. oratio a Liiio ita composita est. Si aut collegam (id quod mallet) tui similem L. Aemili haberes, aut tu collegæ similis esses, superuacanea esset oratio mea. nam & duo boni consules etiam me

tacente

,, tacete omnia e republica fide vestra faceretis, & mali nec mea verba  
 ,, auribus vestris, nec consilia animis acciperetis. Nunc & collegam  
 ,, tuum, & te talem virum intuenti mihi tecum omnis oratio est, quem  
 ,, video nequidquam & virum bonum, & cui fore, si altera parte clau-  
 ,, dicet respublica, malis consilijs idem ac bonis iuris, & potestatis erit.  
 ,, Erras enim Luci Paulte, si tibi minus certaminis cum C. Terentio,  
 ,, quam cum Annibale futurum censes. nescio an infestior hic aduersarius,  
 ,, quam ille hostis maneat. & cum illo in acie tantum, cum hoc omnibus lo-  
 ,, cis, ac temporibus certaturus es; aduersus Annibalem, legionesq; eius  
 ,, tuis equitibus, ac peditibus pugnandum tibi est; Varro Dux tuis mili-  
 ,, tibus te est oppugnaturus. Omnis etiam tibi causa absit C. Flamini me-  
 ,, moria. tamen ille Consul demum, & in Provincia, & ad exercitum ce-  
 ,, pit furere, hic priusquam peteret consulatum; deinde in petendo consulatu,  
 ,, nunc quoq; Consul priusquam castra viderit, aut hostem insanit. & qui  
 ,, tantas iam nunc procellas, proelia, atq; acies iactando inter togatos  
 ,, ciet, quid inter armata iuuentutem censes facturum? & ubi extemplo  
 ,, verba res sequitur? Atqui si hic, quod facturum se denuntiat, extemplo  
 ,, pugnaverit, aut ego rem militare, belli hoc genus, hostem hunc ignoro,  
 ,, aut nobilior alius Trasymeno locus nostris cladibus erit. Nec gloriam  
 ,, di tempus aduersus vnum est, & ego contemnendo potius, quam appeten-  
 ,, do gloriam modum excefferim: sed ita res habet. Una ratio belli geren-  
 ,, di aduersus Annibalem est, qua ego gessi. nec euentus modo hoc docet;  
 ,, stultorum iste magister est, sed eadem ratio, qua fuit, futuraq; donec res  
 ,, eadem manebunt, immutabilis est. in Italia bellum gerimus; in sede ac so-  
 ,, lo nostro; omnia circa plena Civium, ac sociorum sunt, armis, viris, equis,  
 ,, commeatibus iuuant, iuuabuntq; id iam fidei documentum in aduersis  
 ,, nostris rebus dederunt. meliores, prudentiores, constantiores nos tem-  
 ,, pus, diesq; facit. Annibal contra in aliena, in hostili est terra: inter  
 ,, omnia inimica, infestaq; procul a domo, procul a Patria; neq; illi ter-  
 ,, ra, neque mari est pax; nulla cum vrbes recipiunt, nulla mœnia, nihil  
 ,, usquam sui videt; in diem rapto viuit; partem vix tertiam exercitus eius  
 ,, habet, quem Iberum annum traiecit. plures fames, quam ferrum absumpsit,  
 ,, nec his paucis iam victus suppeditat. Dubitas ergo, quin eum sedendo  
 ,, superaturi simus, qui senescat in dies? non commeatus, non supplemen-  
 ,, tum, non pecunias habeat? Quamdiu pro Geryonis castelli Apuliae mo-  
 ,, nis tamquam pro Carthaginis mœnibus pugnatum est. sed ne aduer-  
 ,, sus te quidem glorior. Gneus Seruilius, atque Attilius proximi  
 ,, Coss. vide quemadmodum eum ludificati sint. Hæc una salutis est via  
 L. Paulte,

L. Paulte, quam difficilem infestamq; ciues tibi magis, quam hostes  
 ,, facient. idem enim tui, quod hostium milites volent: idem Varro Con-  
 ,, sul Romanus, quod Annibal. Penitus Imperator cupiet. duobus Duci-  
 ,, bus vnus resistas oportet. resistas autem aduersus famam, rumoresq;  
 ,, hominum si satis firmus steteris; si te neque collega vana gloria, neque  
 ,, tua falsa infamia mouerit. A veritate laborare nimis ius sepe aiunt;  
 ,, extingui nunquam. Gloriam qui spreuerit, veram habebit. sine timi-  
 ,, dum pro cauto, tardum pro considerato, imbellem pro perito belli vo-  
 ,, cent. malo te sapiens hostis metuat, quam stulti Ciues laudent. omnia  
 ,, audentem contemnet. Annibal, nil temere agentem metuet. Nec ego  
 ,, vt nihil agatur, sed vt agentem te ratio ducat, non fortuna moneo; tu  
 ,, potestatis semper, tuaque omnia sint. armatus intensusq; sis. neq; occa-  
 ,, sioni tua desis; neq; sua occasione hosti des. omnia non properanti certa,  
 ,, claraq; erunt. festinatio improvida est, & cæca. Hæc Limius. Age alterum  
 ,, locum subiungamus, non minore verborum splendore illustratum, neq;  
 ,, minoribus ornamentis variatum & amplificatum, ne verbo quidem  
 ,, ad sententiam addito. Cum legati captiuorum, qui e Camensi clade su-  
 ,, persuerant, & in potestatem hostium venerant, permissu Annibalis  
 ,, Romam venissent, iureiurando dato, se se legatione obita reuersuros,  
 ,, miserabilis oratione calamitates suas Senatui exposuissent, peti-  
 ,, sentq;, vt tot Civium suorum misericordia patres caperet, eosq; e duris-  
 ,, sima seruitute redimere in animum inducerent; ac multi ex Senatibus  
 ,, lugentium fletu, & supplicum imagine flecterentur. L. Manlius  
 ,, Torquatus vir prisca seueritatis, ac gentilitiae duritatis acerba, &  
 ,, vehementi oratione in eorum ignauiam inuectus illos nullo modo redi-  
 ,, mendo censuit. qui cum silentio noctis, omnibusq; apud hostem solu-  
 ,, tis & neglectis acri eruptione in tutum euadere potuerint, id tenta-  
 ,, re ausi non sint, neque præ timore fortissimam illam sexcento-  
 ,, rum manum, qua Duce Sempronio per summam virtutem, & au-  
 ,, daciam per medios hostes incolumis erupit, secuti, sed subita, ac tur-  
 ,, pi deditioe sese, & castra hosti prodiderint. Oratio Limij talis est.  
 ,, Si tantummodo postulassent legati, pro ijs, qui in hostium potestate sunt,  
 ,, vt redimerentur, sine vllius insectatione eorum breui sententiam pe-  
 ,, regissim. quid enim aliud, quam admonendi essetis, vt morem tradi-  
 ,, tum a Patribus necessario ad rem militarem exemplo seruaretis? nunc  
 ,, autem cum prope gloriosi sint, quod se hostibus dederint, præferri non  
 ,, captis modo in acie ab hostibus, sed etiam ijs, qui Venusiam, Canusiumq;  
 ,, peruenerunt, atque ipsi C. Terentio Consuli æquum censuerint, nihil

„ vos eorum P. C. quæ illic acta sunt, ignorare pariar. At que utinã hæc  
 „ quæ apud vos acturus sum, Canusii apud ipsum exercituum agerem op-  
 „ timum testem ignaviæ cuiusq; & virtutis, aut vnus saltem adesset P.  
 „ Sempronius, quæ si isti Ducẽ secuti essent, milites hodie in castris Ro-  
 „ manis, non captiui in hostium potestate essent; & cum fessis pugnando  
 „ hostibus, tum victoria lætis, & ipsis plerisque regressis in castra sua  
 „ noctem ad erumpendum liberam habuissent, neq; per se ipsi id facere  
 „ conati sunt, neque alium sequi voluerunt. Noctẽ prope tota P. Sem-  
 „ pronius Tuditanus non destitit admonere adhortariq; eos, dum pauci-  
 „ tas hostium circa castra, dum quies, ac silentium esset, dum nox ince-  
 „ ptum tegeret, se Ducem sequerentur; ante lucem peruenire in tutam lo-  
 „ ca, in sociorum Vrbes posse. Sicut auorum memoria P. Decius Tribi-  
 „ mil: in Sannio; sicut nobis adolescentibus priori Punico bello Calpur-  
 „ nius Flamma trecentis voluntarijs, cum ad tumultum eos capiendum  
 „ situm inter medios hostes duceret, dixit. Moriamur milites, &  
 „ morte nostra eripiamus ex obsidione circumuentas lugiones. Si hoc  
 „ P. Sempronius diceret, nec viros quidem, nec Romanos vos duceret, si  
 „ nemo tantæ virtutis existeret comes. Viam non ad gloriam magis quam  
 „ ad salutem ferentem demonstrat: ducem se in Patriam ad parentes,  
 „ ad coniuges, ac liberos facit: vt seruemini deest vobis animus. quid si  
 „ moriendum pro patria esset, faceretis? Quinquaginta millia ciuium so-  
 „ ciorumq; circa vos eo ipso die caesa iacent. si tot exempla virtutis non  
 „ mouerunt, nihil vniquam mouebit: si tanta clades vobis vilem vitam  
 „ non fecit, nulla faciet. liberi atq; incolumes desiderate Patriam, imo  
 „ desiderate, dum Patria est, dum ciues eius estis. Sero nũc desideratis,  
 „ diminuti capite, ab alienati iure Ciuium, serui Carthaginensium facti.  
 „ Pretio redituri estis eo, vnde ignauia, ac nequitia abiistis. P. Sempro-  
 „ nium ciuem vestrum non audistis arma capere, ac se iubentem sequi;  
 „ Annibalem paullo post audistis castra prodi, & arma tradi iubentẽ?  
 „ Quam ego ignauiam istorum accuso, cum scelus possim accusare? non  
 „ enim modo sequi recusarunt bene monentem, sed obsistere, ac retinere  
 „ conati sunt, nisi strictis gladijs viri fortissimi inertes summovissent.  
 „ prius, inquam P. Sempronio per ciuium agmen, quam per hostium  
 „ fuit erumpendum. Hos ciues Patria desideret, quorum si ceteri simi-  
 „ les fuissent, neminem hodie exijs, qui ad Cannas pugnauerunt, ciuem  
 „ haberet? Ex millibus septem armatorũ sexcenti extiterunt, qui erum-  
 „ pere auderent, qui in patriam liberi, atque armati redirent: inque ijs  
 „ quadraginta millia hostium obsistere. quam tutum iter duarum prope  
 „ legionum

legionum agmini futurum censetis fuisse? haberetis hodie viginti mil-  
 „ lia armatorum Canusii fortia, fidelia P. C. Nunc autem quemadmo-  
 „ dum hi boni fidelesq; ( nam fortes ne ipsi quidem dixerint ) ciues esse  
 „ possunt? nisi quis credere potest fuisse, qui erumpentibus, quin erum-  
 „ perent, obsistere conati sunt: aut non inuidere eos, cum sibi timorem,  
 „ ignauiamq; seruitutis ignominiosæ causam sciunt. Maluerunt in ten-  
 „ torijs latentes simul lucem, atque hostem expectare: cum silentio no-  
 „ ctis erumpendi occasio esset. At enim ad erumpendum e castris defuit  
 „ animus, ad tutanda fortiter castra animum habuerunt. dies, noctesq;  
 „ aliquot obsessi, armati se ipsi tutati vallo sunt; tandẽ vltima ausi, pas-  
 „ sig; cū omnia subsidia vitæ deessent, affectisq; fame viribus arma iam  
 „ sustinere nequirent, necessitatibus magis humanis quam armis victi  
 „ sunt. Orto sole hostis ad vallum accessit, ante secundum horam nullam  
 „ fortunam certaminis experti tradiderunt arma, ac se ipsos. Hæc vo-  
 „ bis ipsorum per biduum militia fuit, cum in acie stare ac pugnare de-  
 „ buerāt, tum in castra refugerunt, cum pro vallo pugnandum erat, ca-  
 „ stra tradiderunt, neque in acie, neque in castris vtilis. Vos redimam?  
 „ cum erumpere castris oportet, cunctamini, ac manetis; cum manere,  
 „ & castra tutari necesse est, & castra, & arma, & vos ipsos traditis  
 „ hosti. Ego non magis istos redimendos P. C. censeo, quam illos deden-  
 „ dos Annibali, qui per medios hostes e castris eruperunt, ac per sum-  
 „ mam virtutẽ se Patriæ restituerunt. Hactenus Lilius. Nihil amplius  
 „ sententia cõplectitur, quam ea quæ superius proposui, quæq; minus de-  
 „ cima verborum parte perstrinxi. nec quidquam præterea rationum,  
 „ aut conquisitorum argumentorum inculcat oratio a Lilio composita,  
 „ si quis singula verba uera attentione perpendat. Qui autem paucio-  
 „ ribus quibus quæuis infans, qui non redimendos captiuos censeret,  
 „ agere potuisset? Vt nemo inficiari possit, omnia hæc non modo verisimi-  
 „ liter, sed necessario a Manlio pronuntiata, nihilq; propterea à veritate  
 „ declinare Liliuum, neq; quidquam de suo affingere nisi ornamenta,  
 „ & Rhetorum pompam, quæ dictionem illustrant, veritate non cor-  
 „ rumpunt. Quid est igitur, quod isti vociferentur? celum, ac terras mi-  
 „ sceant? clament pro historijs poemata nos habere? Ecquid intelligunt,  
 „ quam magno conatu, magnas nugas dicant? Atenon non omnes Liliij  
 „ similes sunt, sed sæpe historiam scribentes Senatorem, ac ciuilem virũ  
 „ in omni litterarum, & studiorum genere rudem; aut virum militarem  
 „ omnis elegantis eruditionis planè expectem, quiq; scholas vix vni-  
 „ quam nominari audierit, in re improvisa, ac subita orationem haben-

tem inducunt ita omnibus coloribus artis pictam, ut Rhetorum officinas omnes pene compilasse videantur, eamque acutissimorum argumetorum, & conquistissimarum rationum vim infarciunt, quæ otiosus Philosophus annua meditatione, perfectumque civilem virum informare intendens vix inueniat. Ut hoc illis dem, quid tum postea? an vnus error omnibus inuidiosus esse debet, paucorumque insciēter facultate scribendi abutentium inuidia omnem historicorum ceterum premii æquū est? prauum usum concionum damnent; conciones ipsas ne tollant, nam eadem opera omnia artificia tollant licebit, si nonnullorum artificum inscitiam, qui opus imperitia sua corrumpunt, ad artificia ipsa transferant. Dicit aliquis, quid? non hæc saltē Rhetorum ornamenta, quæ passim in orationibus inculcantur, atque adeo multo maximam partem illarum occupant, ficta esse concedis, atque a concionantibus ne cogitata quidem? quæque hominum videlicet nulla eleganti eruditione perpolitorem facultatem, & captum superatā ne somnari quidem ab illis potuerint? quomodo igitur non fallant, qui ea homines loquētes faciant, quæcumque generis sint, quæ numquam illi locuti sint? quomodo igitur ex hoc laqueo te euolues? nullus est facilius exitus. Plurimum inter se differre dico, alia dicere, atque alio modo dicere. is enim qui alia dicit, mentitur profecto, at non is, qui alio modo dicit. Ut recte Diogenes Dialecticā, & Rhetoricā eandem facultatē esse dixerit; nec quidquam referre, quod alia alio modo res explicet, Dialecticā nimirum arte, & compressæ, Rhetoricā ample, ac diffuse. ut non alia est manus pugno compresso, ac palma extenta. quam rem perspicuo exemplo planam facio. Si quis dixerit, Regem Hispaniarum omnium opulentissimū decem eximios equos, nec quidquam præterea Pontifici Max. dono mississe, vel decem Psitacos humanam vocem mirifice imitantes, nec quidquam præterea, mentitus is profecto fuerit, qui nihil præterea dixerit, si Rex vna cum equis decem quoque mulos miserit, aut vna cum Psitacis decem Indicas simias. At si Rex equos tantummodo, verum illos textili aureo aut purpura egregio aureo opere picta instratos, ad hoc aureis frenis aureisque, ephippijs ornatos; vel Psitacos tantummodo, verum aureis caueis inclusos miserit, si quis hunc meritum dicat, quod nihil præterea misisse dixerit Regem, ineptam scilicet superstitionem ita disputantis ridebimus. at qui longe maiaris pretij sunt stragula & ephippia, aureæ item caueæ, quam mula aut simia. quid ita igitur virum stolidè cautum ridebimus? quia mula, & simia aliæ profus sunt res, suamque proprium usum habent; at stragula, & caueæ quāuis pretiosiores

etiosiores multo, non tamen res sunt, quæ per se comparcentur, aut vllum habeant per se usum, sed quæ veluti partes sunt rerum, quibus adduntur, ac tamquam illarum appendices, & ornamenta, ut conspēctius, & magnificentius, ac tanto Rege munus dignū faciant. ita Rhetorum flores, ac pigmenta, verborumque insignia non tamquam res concionibus adduntur, sed quæ lumine suo splendorem concionibus addat, ut historiae maiestas postulat. Atque ego nescio cur tantopere isti a profopocia abhorreant, cum ipsæ obliquas conciones non tollant, quasi vero minus sint hæc, quàm illæ elaboratæ, minoribusque verborum, & sententiarum luminibus hæc quàm illæ soleant insigniri? ac quasi non eadem in his, quæ in illis valeat veritatis consideratio. quam si addita ornamenta vitiant, vtrumque concionis genus æque explodendum est. æque enim vtrumque ipsæ figuris, & oratorum pigmentis illustrari, hoc vnum Livi exemplum, quod subiiciam, liquido demonstrabit. Audiebantur itaque propalam voces exprobrantium multitudi-  
ni, quod defensores suos in precipitem semper locum fauore tollat, de-  
inde in ipso discrimine periculi destituat. sic Sp. Cassium in agros ple-  
bem vocantem, sic Sp. Melium ab ore ciuium famem suis impensis  
propulsantem oppressos, sic M. Manlium mersam, & obrutam scēno-  
re partem Ciuitatis in libertatem, ac lucem extrahentem proditum  
inimicis. Saginare plebem populares suos, ut iugulentur, Hoccine pati-  
endum fuisse, si ad nutum Dictatoris non responderit vir Consularis?  
fingerent mentitum ante, atque ideo non habuisse, quod tum responde-  
ret: cui seruo vnumquam mendacij pœnam vincula fuisse? Non obuersa-  
tam esse memoriam noctis illius, quæ pene vltima, atque æterna nomi-  
ni Romano fuerit? non speciē agminis Gallorum per Tarpeiam rupem  
scandentis? non ipsius M. Manlij: qualem eum armatum, plenum su-  
doris, ac sanguinis, ipso pene Ioue erepto ex hostium manibus vidi-  
sent? selibris ne farris gratiam seruatori Patriæ relatā? & quem prope  
caelestem, cognomine certe Capitolino Ioui parem fecerint, eum pa-  
ti vinctum in carcere, in tenebris obnoxiam carnificis arbitrio ducere  
animam? adeo in vno omnibus satis auxiliij fuisse; nullam opem in tam  
multis vni esse? Quod tandem exornationis genus, quod quidem subie-  
ctæ res capere possit, hoc in loco omissum est? Atque ego non intel-  
ligo qualem isti historicam narrationem esse oportere existiment. Equi-  
dem eam optimam esse statuo, quæ naturam ducem sequatur, ad  
quam bonus historicus scriptionem suam dirigere debet. quotidiana  
autē loquendi vsus docet, ita naturā ferre, ut in referendis ho-

minum sermonibus, quos aut priuatim, aut publice habuerint, eos modo in prima persona, modo in tertia referamus, idque re non cogitata, sed natura ipsa rei ita monente. neque quemquam discrimen hoc animaduertere, aut reprehendere; quin etiam si aliter fiat, absurdam, & ineptam videri narrationem, ac naturæ repugnantem, illaq; aures audiendum vehementer offendi, quæ nonnullis in locis personam ipsam loquentem requirunt, in nonnullis omissa prosopopœia sermonē a narante in tertia persona pronuntiatum. ita in historia alia sunt loca, quæ prosopopœiam, alia quæ obliquam orationem postulant. quæ loca facilius eruditorum auribus diuturnaq; bonorum scriptorum lectione a peritis possunt discerni, quàm oratione cuiusquam indicari.

V B E R T I

V B E R T I . F O L I E T A E

T Y B V R T I N V M . H I P P O L Y T I

C A R D I N A L I S . F E R R A R I E N S I S

A D . F L A V I V M . V R S I N V M

C A R D . A M P L I S S I M V M



O M P L V R I B V S, & eximijs tuis omnium temporum in me meritis, quibus perpetuâ grati animi memoriam, singulariaq; studia me debere intelligo, magnim cumulum Flauiamplissime addidisti hoc postremo beneficio, quod opera tua in viri clarissimi Hippolyti Estij Cardinalis Ferrariensis familiaritatem, ac domesticum usum veni. Cuius rei percupidus semper fui: neq; id ijs sane de causis, quibus homines in Principum familiaritate, & patrocinio appetendo duci solent, ut & opibus, ac dignitate augeantur, & sibi ac rebus suis in illorum potentia, & auctoritate praesidium parent. hæc enim homines in clarorum virorum clientelam se se tradentes spectare fere solent. Sed alia quedam sunt longe maiora, quæ mea studia, ac voluntatē semper ad Ferrariensem attraxerunt, quæq; liberalia ingenia sibi deuincire solent; præstantes nimirum, ac singulares hominis virtutes; fides in primis, & integritas, ingeniumq; simplex & verax, ac minime fucatum, aut fallax, nullou simulationis artificio eruditum, quo vitio atas nostra ita laborat, ut ad ingenij pæne laudem fallax astutia reuocetur. Deinde prudentia, ac ciuiliū magnarumq; rerum intelligentia, quam ille non in scholarū umbra Philosophorumue disputationibus (quamquam ne huius quidē eruditionis est expertus) sed assiduo iam inde a prima adolescentia usu, publicarumq; rerum tractatione est affecutus, dū interioribus maximorū Regum consilijs adhibetur, vel de maximis rebus legationes obit. Verū hæc omnibus nota sunt. Illa est in Estio eximia, & singularis virtus, quæ ut magnæ celsæq; fortunæ perraro comes est, ita si adsit, illam in primis commendat, & inuidiam mitigat. Ea est summa humanitas, morumq; facilitas, & comitas; clemensq; ac mitis natura, & ab omni asperitate, atq; iracundia longe remota, nō quidē vulgo ignota, sed nobis in intima familiaritate, quotidianisq;

collo-



colloquijs, & postmeridianis confessibus, atque in cetera consuetudine experta, ac plane perspecta. Ut non minus in domestico vsu aliena libertatis, quam sua dignitatis memor esse videatur. Comitatur egregias virtutes clarissimi ac vetustissimi generis nobilitas, qua illa (absit verbo inuidia) inter Italos longe antecellit. Sed de ceteris virtutibus Ferrariensis alias, ad illud venio, cuius causa haec ad te scribere institui, id est ad Regium splendorum, ac summam & insignem liberalitatem, & magnificentiam, quam ille cum in quotidiano cultu ceterisq; rebus, in quibus huius virtutis splendor potest elucere, tum vero in amplissimis aedificationibus in primis declarat. quae rem nonnullis miror non valde probari. quippe quod nulla res sit, in qua vel magis magnorum virorum apparere possit benignitas, magnificusq; animus, vel (quod Christianae pietatis primum est munus) quae magis egentium inopiam subleuet. quorum greges assidue aluntur in varijs ministerijs occupati. Hoc igitur laudabile in primis studium semper fuit in Ferrariensi, quam rem cum quamplurima aedificia multis in locis magno sumptu aedificata testantur, tum vero haec Tyburtina immanes substructiones in primis declarant. quas quoniam visendi nunquam tibi commoda facultas data est, diligenterq; tu in meo ab urbe discessu, cum me Ferrariensis in hunc aestiuum secessum secum duceret, mecum egressi, ut illarum formam, & rationem tibi perscriberem, morem tibi gessi, ac quam commodissime & minutissime potui magnam rerum insigniorum partem stilo diligenter sum amplexus, non quidem munus plane implendi spe, sed obsequendi voluntate. Principio sacrae Aedae in summo Oppido belli casibus dirutam vir non minus pius, quam magnificus placido Tyburtis marmoris opere in longe augustiorem formam restituere est aggressus, quam aedificationem assidue vrgendo propediem ad finem perducet. Deinde campestris loci tria circiter passuum millia muro amplexus viuarium venaticum prope Oppidum fecit, in quod omnis generis feras inclusit. Praeterea via, quae ad Oppidum fert, prius arduam, asperam, confragosam, ut per eam vix ingredi ium entum posset, stravit, immanibusq; ac perincommode prominentibus saxis reuulsis ita cliuum mollivit, ut nunc fastigio leniter subuexo perfacilis sit vehiculis, ac pene planus ascensus. Paruum quoq; alterum viuarium prope arcem muro sepsit. Ad hoc vineta extra Oppidum instituit; in quibus multis ex orbis regionibus, in primis ex Gallis vites coportatas seuit generosa vina pretiosiorisq; nota ferentes. Verum eiusmodi res alibi quoq; visuntur. Ad illud veniamus; quod toto orbe terrarum

rum eximium, ac nescio an vnicum opus appellem. Is est fundus, quo caueputes Flauii amplissime, vel extructionum magnitudine, vel rerum varietate, & amoenitate veterum magnificentiam quidquam facere potuisse praestantius. Eum tibi aliqua ex parte stilo adumbrare quidem possum, exprimendi vero, ac plane demonstrandi inanis omnis conatus fuerit. Ea est enim cum vniuersi operis species, tum singularum partium dignitas, quae non modo omnem scriptoris facultatem, sed cogitationis quoq; vim longe superet. Vix aspectus re, qualis sit, perfecte indicat, neq; id subito, quod singularum partium diuturna contemplatio admirationem paulatim augeat. Equidem cum multa ad me de hoc suburbano multorum sermone perferrentur, eam amplitudinem cogitationi meae tacitus subiciebam, quam maximam animus capere posset. Verum quanto in errore versarer, subiecta oculis res statim declarauit. nam primus aspectus animi, & oculos subito stupore defixit, & velut mentem a sensibus abtulit. Deinde, ut me collegi, & ad singulas partes oculos circumferes, eas cepti paullo diligentius contemplari, tum vero eum esse locum statui, quae vix aequet admiratio. Inferior fundi pars (inde enim initium faciam, vnde est aditus) planities est medio decumano, ac duabus vtrimq; semitis, quae ad dimidium cliuum perueniunt, secata, traesuersisq; alijs semitis in hortulos pomiferis arboribus constitos distincta. Hanc planitiem, cum prius perangusta esset, amplificare Deus immortalis quanta molis fuit? Nam cum leua collis incurrens vrgeret oppidanorum aedificijs frequens, dextra vallis in haud exiguam altitudine deprimeretur, collis aedificijs deiectis, ac pretio dominis soluto coplanatus est; humusq; egesta, qui collis, cum non omnis terrenus esset, saxa saepe occurrentia fuerunt excindenda, & vallis crasso muro excitato, eoque validis anteridibus firmato, qui incumbenti; ac prae grauantioni oneri reluctaretur neq; succuberet, congesta humo impleta est. Ita planities ad hanc, qua nunc est, amplitudinem est perlibrata. Quae res immensi operis, immanisq; atq; adeo Regij sumptus fuit. Decumanum binas vtrimq; piscinas, easq; per amplas habet senisdenis pilis singulas ambietibus; plumbeis fistulis super exstantibus paulum a summo introrsum inflexis, per quas aqua magno impetu procurrens earum angustijs copri metibus incitata in sublime emicat curuata forma, paulatimq; sese dilatans in tenuissimas guttas dissipatur; imbrisq; instar in piscinam decidit gratissimo murmure, decoroq; procul, & subtus intuenti aspectu, veluti aquae fornicibus ex omnibus circum partibus orientibus piscinam testudineat o recto concamerantibus, neq; haec vna est aquae gratia, nam quocumq;

quoamque oculos conuerteris, scaturigines emergunt, tanta cum varietate, tum operis magnificentia, vt nullus toto terrarum orbe sit locus in eo genere non multis partibus inferior. Neque vero necesse habeo singula persequi, longum enim, ac pene infinitum esset, illa tantum attingam, quorum dignitas, & amœnitas eminet. A planitie igitur cliuius assurgere incipit, in quo medio tria aqua immixta in perpetuam longitudinem porrecta, quantum patet cliui latitudo scandentibus aduersa in conspectu sunt, per quæ gradatim inter se extantia, vt natura cliui fert, tres euripi profluunt. In summi immixtarij muro columella bipedales viginti quattuor per totam longitudinem positæ sunt forma candelaborum affabre factorum paribus interuallis inter se distantes. e quarum cacuminibus salientes aqua similitudinem aque vehementissimo feruore tumentis exprimunt: candelabraq; decedentes circumfundunt: ad hoc præclari operis fictilia vasa in inter columnarum posita loci dignitatem mire augent. ac ne frons quidem muri suo caret ornatu. In qua perpetuus ordo laruarum est affixus, quas singulas serua ambiunt interpendentibus fimbrijs. At medijs immixtarij frons egregio opere lythostroto ornatur, quo variæ auium, piscium, serpentium prominentes species exprimuntur, ex eoq; in infimum immixtarij per siphones aqua effunditur; huiusq; infimi immixtarij frons triglyphis veluti Zophorus Doricus distinguitur. Vniuersa huius operis species & spectantium oculos varietate, ac venustate sua in primis tenet; & aures gratissimo, varioque murmure permulcet. Ac ne scalæ quidem, per quas ad dimidium cliuum rectus est assensus, sua aqua commendatione carent aluiculis vtriusque gradatim communita, per quos ingens aquæ copia profluit, quæ per siphones a superioribus transmissa ab inferioribus deinceps excipitur. Superposita sunt aluiculis vascula haud absimili alabastrorum forma, ex quorum cacuminibus aqua emergunt, ipse quoque tumorem perferuidæ aquæ salebrosa mobilitate imitantes. omnino nihil hoc cliuo amœnius, qui præter aquarum multiplicem commendationem multis in partibus grata vmbra contegitur, quam facit frequens consita sylua. Ascensus leniter fatigatus idq; haud mediocri pecuniæ impensa, cum loci natura sua sponte parardus esset, a dimidio cliuo, vbi scalæ terminantur, multis obliquarum semitarum anfractibus mollitur. Dignitate loci in primis auget quattuor xystra, quæ recta, & plana totam latitudinem cliui transversam secantia gratissimas, ac salubres deambulationes, arborumq; vmbra in margine consitarum opacatas præbent. Sed nullum opus toto hoc fluo

tam

tam conspiciendum est, quam fontium complures, ac miræ extructiones. quorum tres in medio cliuo in ordinem gradatim positi decumano venientibus frontem aduersam habent, reliqui latera fluuii vtriusque exornant. Horum alij vastissima mole sua horrore quodam contemplantes perfundunt; alij præclaro artificio admirationes faciunt magna signorum vi antiqui operis, & impenso pretio paratorum, tectorumq; vermiculatis, & marmorato fere ornati. Neq; ego singulorum formam explicare in animo habeo, non quod scribendi laborem fugiam, sed ne earum rerum longior narratio tibi satietatem faciat, quam aspectus facere nunquam potest. formam tantum vnius exponam, qui perfectus est, cum reliqui nondum omni opere sint absoluti. Mons est non perpetuo iugo continuatus, sed multiplici cacumine inæqualis altitudinis distinctus, in eam formam, quam vulgo ouatam dicunt curuatus, è vastis prominentibus saxis eius generis, quæ assiduus aqua defluxus, ex cliuo præcipitata facit, haud absimilia subgrundiorem stillicidijs colore pumicibus proximo, tanto artificio factis, saxorumq; ignentium eminentibus molibus ita scite collocatis, ut rudem quamdam speciem, & subhorridam naturalis montis, aspicientibus tamen gratam reddat. Huius montis infima pars tribus speluncis excavatur, quarum in media signum est mulieris in sella sedentis, dextra, & læua signa fluminum in cubitum recubantium, omnia colossa. Ex antris magna vis aquæ intra subiecta vasa effunditur, ex quibus illa assidue defluens partim structili canali, ac recto, partim duobus tenuibus euripibus excipitur, qui totum Faleris hemiciclum flexuosis recurribus ambientes aquam in craterem peruastum firmissimæ columnæ impositum deferunt. Falere ipsum pluteo e columellis munitur. Ex cratere aqua magna copia per totum circuitum assidue redundans veluti catarracta emissa in inferiorem per amplam piscinam ouatam & ipsam formam præcipitatur, tanto cum strepitu, vt proximorum voces vix exaudiantur. In medio cratere marmoreus globus extat, quattuor plumbeas fistulas sursum spectantes in triangularem formam cum vna media sit, defixas habens. E quibus quattuor aqua immixtiones in sublime emicantes, atq; inde decorum curuata venustam speciem haud absimilem lilij floris exprimunt. In inferiore parte fontis, quæ superiore Falere decempedalium altitudine depressior est, porticus ab interiore parte piscinam dimidiam curuato flexu, vt est natura loci, amplectitur, per quam deambulantes piscinam, atq; assidue deiectum imbrem per fenestras, quibus exterior paries aperitur, prospectant. Nec minimam loco addit commendatio-

F nem



nem eiusdem parietis frons exterior inter fenestrarū interualla alterno ordine decem cubilibus excisa, in quibus Nereidum sigilla antiqui operis egregiaq; artis posita sunt suppositis vasis cubito innixa, quæ vasa orē in piscinam verso ingentem aquæ copiam magno impetu emittunt. neque modica additur venustas e platanis in area, quæ est ante fontem confitis grata umbra locum opacantibus. Iam vero antrū ad læuam area positum loci dignitatem cum primis auget magna signorū vi egregij operis, ac maximi pretij in parietum nidis in ordinem apte dispositis collocatorum exornatum, ad hoc picturis, & coronarijs ex marmorato, ac varij generis vermiculato conspiciendum, quod in aestiuis caloribus Hexedra vsus præbet. quæ à loci natura refrigerata (magna enim pars in dorso cliui partim humo egesta, partim saxo exciso est excauata) ac proxima exterioris perstreptentis aquæ sonitu, in teriorisq; fontis in fronte hexedra intrantibus aduersa murmure aures permulcēte gratissimas præbet postmeridianas sessiones. Hic fons ac triplex cliuum transuersum secans, per quem aqua à fonte manantes in alterum fontem, qui est e regione nomine, ac signis Urbis Romæ, & Tyberis amnis insignem feruntur; atque ab eo in inferiorem late restagnatem lacum, cui maris est inditum nomen, deuoluuntur, non solum belle positi sunt ad loci ornatum, & ad oculorum oblectationem, sed subest quedam recondita haud inelegans ratio ad agri Tyburtis naturam exprimendam accommodata. quam commentus est celeberrimi nominis nostræ ætatis architectus mihiq; amicissimus Pyrrhus Lygorius vir cum multiplici eruditione perpolitus, tum admirabili omnis antiquitatis cognitione præcellens. hanc explicare opere pretium duxi. Tres sunt in agro Tyburte fontes, ex quibus tres manant amnes, qui fines Tyburtes irrigant, ac deinde in unū confusi tandem in Tyberim confluunt. Amio celebris nominis, Herculanus, Albunea ab albis aquis ita appellatus, seu, vt quidam putarunt, alia est eius nominis non ita vulgata ratio. quam non pigebit referre. Cum Ino Athamantis viri seuitiam fugiens sese cum Melicerta filio in mare præcipitasset à Libero patre misericordia nutricis commoto seruata cum filio est, amboq; Diij facti, Ino Leucothea, Melicerta Palemon. sunt appellati. Hoc ideo Poetæ fabulati sunt, quod Ino cum filio nauigio conscenso salutem fuga expediuit, quam, quia in Græcia nusquam postea apparuit, vndis haustam dixerunt. At Ino post lungam navigationem cum in Italiam venisset, latinum agrum tenuit, & in finibus Tyburtibus consedit; latinoq; nomine Græci vim exprimente Albunea est

nea est vocata, quæ cum diuina mentis afflatu aduentibus ex oraculo daret respōsa, Sibylla Tyburs appellata est, à qua & lucus, in quo cōsedit, & templum illi dicatum, & fons, ac riuus emanans nomen accepit. Duo igitur in hoc fonte recubantium fluminū signa. Anienis, & Herculanij imagines sunt, media sedens mulier ipsa est Albunea; tres Euripi præfluentes manantes fluuios à fontibus declarant; fons e regione positus nomine, & signis Urbis Romæ, & Tyberis insignis Euripos excipiens Tyberim ipsum significat stagnū inferius maris locum tenet, in quod & tres amnes, & Tyberis ipse euoluitur. Duo alij sunt a dextra & læua cliui fontes non illi quidem tam vasta molis, sed operis dignitate, multisq; egregia artis signis, in primis vero Hydraulicorum organorum artificio non minus suspiciendi. in minore enim, qui omni opere est absolutus, aqua emergentes varios auium cantus imitatur. quos auicula, ex ære efficta ramulis ærcis insidentes emittere videntur per interualla modo ad recessum nocturnæ ex ære quoq; effictæ canentes, modo ad accessum cantum intermittentes. Fons maior nondum ad finem perductus horribili classico, omnisq; generis tibiarū vario cantu resonabit. Adeo excellentium artificum industria in naturæ operibus exprimentis nihil non tentatum relinquit. Quæ de fundo dicenda fuerunt, ijs quam commodissime potuimus explicari, sequitur, vt ad ædes tandem veniamus, quæ amplæ, & excelsæ, magnificæq; extructæ eiusmodi sunt, vt nihil in ijs desideretur, vel ad habitationis commoditatem, vel ad domestici ministerij vsus, & explicationem, vel ad ornatus dignitatem. Triclinia enim æcos, cōclauia, cubicula per ampla habet, omnia leui tectorio expolita, egregijsq; picturis cōspicienda; cameras etiam coronarijs ex marmorato, atq; auro ornatas. Verum hæc comunia cum nonnullis edificijs sunt. Illud est eximium, & maxime insigne tres fontes, vnus in ipso triclinio, duo reliqui in criptoporticu triclinij, & conclauium lateribus prætenta, qui per fenestras e triclinio, & cubiculis aspiciuntur. ex quibus aquarum scaturigines varij formis emergentes, ac perstreptentes canantium aures gratissimo murmure; oculosq; iucundissima specie perfundunt. Affabre facti sunt, summoq; & politissimo, ac magni pretij artificio perfecti. Vnum, qui est in triclinio, describere satis habeo. opus est hyalostrotum e minutissimis tessellis; neque illud plana superficie, ac leui, qualis esse vermiculorum solet, sed nouo quodam, ac venustissimo genere lapillis paullum eminentibus asperata. Antepagmenta, hypertbyrum supercilium, corona varijs florum sertis, varijsq; arborum prominentibus

tibus speciebus distinguuntur. Cydoniorū rami varijs flexibus inter se implicati supra coronam veluti in tympanum fastigiantur amplis, ac prolixis fimbrijs a corona vtrinq; pendentibus. Duo vtrinq; Telamones, quos etiam Atlantas vocari video, nympharum effigie ancones ab extremis coronidis crepidinibus pendentibus sustinent. fons Fauni a signo huius Dei fistulis canētis vocatur. Frōs adiu est in septētrionem versa triplicē tredecim fenestrarū ordinem habens iustis paribusq; interuallis inter se distantium. Aedificium enim in trium cœnaculorum altitudinem extollitur. Sed frons perpetuam equalitatem haudquaquam seruat. extrema enim partes vtrinq; eminentes veluti turres ædium latera claudentes, & munitentes. Ex ijs, quæ diximus, facile vnusquisq; altitudinis, & latitudinis modū potest conijcere. Aditus omnino duo sunt, alter superior per peristilyū, quod & ipsum fonte Veneris egregij operis ornatur ita appellato à signo recubantis, & ad strepitum decidentis aquæ dormiētis Veneris; alter ab ipso fundo, qui plurimum dignitatis habet. Duplex enim podium à media aedium fronte eminens altissimis columnis vsq; ad mediū tabulatū exaltatur conspiciendo opere e marmore Tyburti perfectū. Scalæ vtrique aedium parieti iunctæ infimum mœnianum capitibus pertingentes geminū aditum ab vtroq; mœniani latere præbent. Iam vero quæ magnificorum aedificiorum duæ solent esse præcipue commendationes, vt & prospectum habeant, & ipsa in prospectu sint, ea in his aedibus insignes in primis, & eximia sunt. summo enim, & editissimo iugo cliui vndiq; conspecto posita latissime patētē ipsa prospectū habēt in subiectos Latij campos, quibus imperio quodam videntur imminere, Romaq; ipsa sereno tempore sub oculis est ita aperta, vt nonnulla publica aedificia editioribus locis posita liquido perspicua sint. Extremum illud est, quod nullo modo à nobis prætereundum fuit, hortus aedibus dextra coniunctus septus muro, in quem ex interioribus cubiculis est aditus, per amplis vjs totum locum ambientibus mediūq; interfecantibus, ac gratas deambulationes præbentibus, quadripartito distinctus insignibus, varijsq; generis topiarijs ornatus, præcelsa in primis media craticia te stidine anguloso ambitu rotunda, quattuor ostijs peruia, qua via hortū distinguentes in decussim cōmittuntur. quaterni fontes parietes ostijs interiectos exornant in collium speciem consurgentes minutis innumerabilium colorum lapillis, omnisq; generis conchilijs opus scite varian tibus. Alterum caput viæ lateri aedium præterea fontem habet rudi opere, quod rusticum vulgo appellari diximus, quo nullum est contem plantibus

plantibus iucundius, prægrandibus eminentibus saxis pumicis persimili specie musco contectis herbisq; internatis naturalem vmbrosi antri speciei reddens. Vnda guttatim vndiq; manans, ac stillantia saxa nunquam intermisso fluxū irrigans à subiecto labro gratissimo murmure excipitur. Eadem via per totam longitudinem marmoreo suggestu tri pedalis altitudinis parieti iuncto ornatur perpetuo canali exciso, cuiusq; a latere perforato, per quæ topiaria fluenti aqua irrigantur. Exigui quoque crateres toto suggestu in ordinē dispositi scaturigines emittunt salientem mobilitatem aquæ feruore turgentis imitantes. Nec vero sinistrum aedium latius suo ornamento, & comoditate caret, ex quo duplex porticus superiorum, & inferiorum conclauium solum altitudine æquans longitudinis pedum ducētorum, quæ vsque ad montis crepidinem porrectæ salubres, & gratas deambulationes ex ipsis conclauibus præbent. Subiectum est porticibus stadiū ad lusum pilæ, vt nullum hoc in loco exercitationis genus desideretur. Formam Tyburтини Ferrariensis vniuersam, & earum partium, quarum dignitas, & pulchritudo insigniores sunt, tibi Flauii amplissime summam exposui, non quod sperarem, vt initio dixi, te ex meis, aut vero ex cuiusquam scriptis qualis is fundus sit, posse animo plane comprehendere, sed vt iussa tua facerem, cui imperanti non parere nefas duxissem. Deinde vt cupiditatem tibi, vel commouerem, vel iam sua fronte commotam incitarē locum inuisendi amœnitate, operumq; ac substructionū magnificentia in primis conspiciendū. qua re nihil te putē hero meo hoc tempore gratius facere posse. Cui nescio, an hoc meum consilium fundi describendi, si rem vniquam rescierit, sim probaturus. Vir enim est vt factis magnificus, ita ab omni inani ostentatione ingenio longe remotus. Tu quidquid decreueris, me, vt facis, amasq; tibi persuade, eam me tibi pietatem, quam debeo, perpetuo præstaturum, nulliusq; in te studia vniquam fore, quam mea ardentiora. Vale. Dat. Tybur: Tertio Non: Augusti. M. D. LXVIII.

V BERTI

## V B E R T I . F O L I E T A E

B R V M A N V S

S I V E

D E . L A V D I B V S . V R B I S

N E A P O L I S

A D . A N T O N I V M . C A S E L L A M

P A T R I T I V M . G E N V E N S E M



A N T O N I I . V A C C A E

I V R I S C O N S V L T I


Condita quin fuerit, quin instaurata iubente  
 Qualicumque quidem Numine Parthenope,  
 Ne modo præcipua Europæ videatur habenda,  
 Verum Asiæ, & quot quot Sol videt omniuagus;  
 Vix dubitet, tanta molem qui viderit Urbis,  
 Qui cæli & terræ proxima, quicquid, maris.  
 Argumenta tui si quis Folieta libelli  
 Legerit, id certo certius esse putet.  
 Forsitan & cupiet laribus patriâq; relicta  
 Non alia extremum claudere sede diem.  
 Rebus in humanis permagna eloquentia vis est.  
 Maior vbi veri nititur aucta fide.

V B E R T V S

## V B E R T V S . F O L I E T A

A N T O N I O . C A S E L L A E

S . P . D .



A est virtus tua, eaq; tua in me sunt merita. An-  
 toni, quæ mihi grata recordatione perpetuoq; stu-  
 dio colenda esse intelligam: quæq; non modo prædi-  
 catione apud homines, qui nunc viuunt, illustran-  
 da, id quod continenter ac sedulo facio, sed apud  
 ipsam quoque posteritatem scriptis meis testata  
 esse velim. neque enim obscuræ esse debent eximia laudes tuæ in vtra-  
 que fortuna conspectæ. Tu enim singularem animi magnitudinem  
 non minus aduersis, quam secundis rebus semper declarasti: neque  
 minus te hæc omnibus clarum & suspiciendum fecerunt, quam illa,  
 quod solidæ & raræ admodum virtutis semper fuit, admirabilem  
 ostenderunt. nam quemadmodum tum cum peramplas opes possi-  
 debas, nemo omnino de nostris hominibus erat, cuius Regia libera-  
 litas ac splendor latius, aut in plures partes pateret, ita cum illis  
 ministrorum tuorum culpa ac parum sincera fide decidisti, animi equi-  
 tas tui & constantia in tanta fortunæ iniuria ferenda in primis elu-  
 xit, cum tantæ rebus tuis inflicto nullo amicus tuis dolorem attu-  
 lerit, tibi gloriam adiecerit. quippe qui te ostenderis tantis detrimen-  
 tis nihil tua, sed amicorum duntaxat causa commotum, quod faculta-  
 tem tibi illis benefaciendi ereptam videres, docuerisq;, nullum esse in  
 sapientium compositos animos fortunæ dominatum, quæ sua quidem ti-  
 bi adimere potuit, tua adimere non potuit. in qua re me nihil mentiri,  
 nihilq; non credibile dicere, haud dubitabunt ij, quibus notus es, quicquid  
 in rebus suis de te ac de bonitate tua periculum sæpe fecerunt. Tibi  
 igitur homini mihi amicissimo, quemq; ego pro haud leuibus tuis in  
 me meritis, expertaq; liberalitate vnice diligo & obseruo, tum au-  
 tem in omni fortuna egregio libellum hunc, quem Brumani nomine  
 inncupatum de laudibus Urbis Neapolis amantissime scripsi, tantæ  
 Ciuitatis pulchritudine & magnitudine captus, dicandum existinaui  
 cum ijs de causis, quas commemoravi, tum vt tibi & omnibus decla-  
 rarem, me non fortunæ tuæ, sed tui amatem semper fuisse. Simul quod  
 argumentum

argumentum pro singulari tua in præclarissimam Urbem voluntate, in qua sedes & domicilium tibi constituisti, pergratum fore putavi. Ac me dubitatio quædam nutantem fecit, qua scriptiois forma mihi utendum esset. Genus illud exile & familiare, quo epistolas scribimus, minime aptum materiam videbatur; contra amplum illud ac sublime & ornatum, longiq; illi ac pleni verborum ambitus Panegyricum conficere in animo non habenti haudquaquam idonei visi sunt. nudam enim rem sine villo fuce vlloue amplificationis & exornationis genere exponere decreui. quæ tamen ea est, ut sua ipsa pulchritudine ac naturali varietate nullis extrinsecus adiuta ornamentis

delectet. Moderatio igitur quadam à nobis adhibebitur, mediocq; quodam genere inter tenue & amplum illud utemur: atque ita temperabitur stilus, ut neque humilitate sua rem deprimat, neque nimia vbertate redumdans segetes stragulet:

neque si nos supra æquabile illud e mediocri attollere nolimus, idcirco nimium demittamus.

V B E R T I

V B E R T I . F O L I E T A E  
B R U M A N V S  
S I V E  
D E . L A V D I B V S . V R B I S  
N E A P O L I S



A E S A R I S Brumani ingenium cum natura excel-  
lens, & ad maxima quæq; natum, tum assiduo labore,  
diligentia, industria ita excultum est, ut omnibus re-  
bus, quæ magnum ac clarum virum decet, illo in-  
structior cognouerim neminem. Nam cum in omni-  
bus liberalibus artibus primos ætatis annos contri-  
mit, itaq; in illis versatus est, ut nihil in vlla earum sit, quod illius scien-  
tiam effugiat, tum in Philosophiæ & iuris Civilis studiis, eos progres-  
sus fecit, ut nihil magnum aut arduum ab illis facultatibus tractetur,  
de quo is non commode & copiose disputet. Ius quidem civile illi ado-  
lescentiam nondum plane egresso, quod ætatis tempus ceteris ad discen-  
dum datur, interpretandum publice mandatum est. Quo munere ma-  
gna cum ingenij & industriæ laude captures annos persunctus est. Idẽ  
posteaquam relicto Gymnasio ad rempublicam gerendam, animũ adie-  
cit; seq; Romam contulit; mirum est, quàm subito oculos in se conuer-  
terit; quæ de se documenta statim dedit: quibus factum est, ut sapien-  
tissimus Pontifex oculos subito in illum coniecerit; illiq; in ipso ætatis  
flore haud leuè reipublica partem sustinendam mandavit. Durissimo  
enim ac difficillimo tempore illum Nuntium Neapolim misit, tum cum  
omnia inter ipsum & Vicarium illius Regni essent exulcerata; con-  
trouersiaq; de sacrosancta iurisdictione maxime arderet; quod Pon-  
tifex acerrimus maiestatis, & iuris Pontificij vindex, & assertor  
nulla in re illud immitti pateretur, auctoritatẽq; sancte huius se-  
dis illo in Regno superiorum temporum vitijs & hominum negligẽ-  
tia multis in partibus lapsam restitui vellet; Vicarius vero iuris  
quod multorum annorum usurpatione veluti prescriptum contende-  
ret, retinentissimus esset; quibusq; ante Brumanum hoc negotium  
G datum

datum est; in eo tractando parum commode versati essent; ac pro eo, ut inueterato morbo mederentur, ipsi noua vulnera addidissent, resque ad apertum dissidium et ad turbas spectaret, Brumanus omnia sanauit, atque irritatos utrimque animos, et contentione ipsa exacerbatos mitigauit; Vicariumque leniter animum eius tractando, tandem adduxit, ut in sacrosancta potestate esse uellet, ac se se ad Pontificis iussa et auctoritatem conformaret, ita amborum voluntates mira coniunctione conglutinatae sunt controuersiaque tot contentionibus tam diu iactata Brumani opera, diligentia, consilio finem tandem inuenit; ac res in tranquillum statum redactae sunt. In quibus rebus tractandis eam moderationem adhibuit Brumanus, ea cum lenitate omnia duxit, ut utriusque gratiam et beneuolentiam teneret. Neque uero ea, quae deinde consecuta sunt, non praeclearis initijs congruerunt. Quippe omnes mandati muneris gradus tanta cum ingenij, industria, diligentia, consilij, prudentiae, inuocentiae laude ab illo seruati sunt, ut quod arduum in primis est, et illi, qui ipsum legauit Principi, et illi, ad quem legatus est, plane satisfaceret; atque utriusque aequae carus esset. Quae res illi ad splendidiorum fortunam, et ad altiores honorum gradus haud dubie uiam muniunt; hominumque beneuolentiam et obseruantiam uulgo conciliant. Meum uero studium praeter eximias has, et praestantes uirtutes alia sunt, quae ad illum trahant, illius nimirum in me haud exigua merita, singularisque humanitas, ac morum suauitas, quam cum in quotidiana consuetudine, assiduoque usu Romae perpetuo sensi, tum uero Neapoli in primis expertus sum, cum ad eam Urbem inueterati pedis, ac cruris morbi uaporario, ac Baianis fontibus curandi causa accessissem, hospitio ab illo peramanter, ac comiter acceptus, honorificeque tractatus ac commodis omnibus cultus. Cum igitur is Romam reuersus esset; Hippolytumque, Estium Cardinalem Ferrariensem officij et salutandi causa inuisisset, in longoque sermone, ut fit, mentio de Urbe Neapoli saepe incidisset, quae sicut ex Brumano Ferrariensis, quae illi ea Urbs uisa esset. multos enim qui Neapoli fuerint, se se idem percunctatum esse; interque omnes magnam quidem ac preclaram esse Urbem Neapolim constare, uerum nonnullos in eius laudibus immodicos ac nimios sibi uisos. qui eam ceteris omnibus Europae anteferre, et quidem magno interuallo non dubitent; quin etiam complures audiuisse, cum dicerent, se se specie ac magnitudine et pulchritudine illius Urbis captos relicta patria, in qua nati sunt, sedes sibi ac domicilium in ea Urbe ac posteritati suae collocare in animo habere. Cui Brumanus horum, inquit, numero praeter Pa-

triam

triam commutanda consilium, me adscribe Ferrariensis; ac si illius Urbis laudes oratione persequi possem, non dubito, quin me magis quam ceteros miraturus esses. effusior enim quam illi, tibi uiderer. Sed res est maioris otij, ac longi sermonis; neque nunc vacare puto. cum me audivere cupies, accersito. numquam enim me improvisum deprehendes. me ditata enim mihi res est, multumque animo agitata, et de qua saepe cum multis differui; compluresque, quamuis retractantes in meam sententiam traxi. Hic Ferrariensis, uacat uero, inquit, Brumane, pergratumque mihi feceris, nisi molestum est, ac nisi quid negotij tibi est, cui nihil praeuertiri possit, si rem ingressus fueris. cupidissimus enim sum tui audiendi, tuumque de re parum mihi comperta iudicium cognoscendi. neque sermo tam gratus longus uideri potest. quin id mihi te loquente usu ueniet, quod de Demosthenis orationibus dici olim solebat, eam esse pulcherrimam, quae longissima sit. Hic Brumanus se se in potestate esse dixi. neque enim illi imperanti non optemperare fas esse, atque ita orsus est. Ego igitur sic Ferrariensis statuo, Urbem Neapolim si uel illam uniuersam spectemus, uel singulas partes, quibus Urbes commendari solent, animo et cogitatione circumspiciamus, illarumque momenta perpendamus, eam esse, quae ceteris omnibus Europae Urbibus, quarum excellens sit praestantia, immensa, ac prope infinita laude sit anteposita. Quippe in qua ornanda, et augenda fortuna cum natura certasse uideatur, adeo utrisque bonis instructa, et cumulata est. Equidem non negauerim nonnullas esse ciuitates, quae una aut altera commendatione praestent. Quae re tamen non fit, ut Neapolis, quae tot partibus sit superior, non illi anteferatur, cum ipsa ne eius quidem laudis, qua paululum alteri concedit, omnino experta sit. Urbigratia Lutetia populi frequentia ac fori celebritate, caussarumque, ac iudiciorum multitudine uincit, at Neapolis quamuis duobus istis rebus aliquanto inferior, ceteris omnibus, quae quamplurimae sunt, quaeque partim non minorem, partim etiam maiorem dignitatem Urbibus conciliant, longe antecellit. Opificum, et sellulariorum copia, et opulentia Mediolani maior est: at ceteris rebus, quae praestantiores sunt, superior est Neapolitanae Urbis conditio: cum tabernis, et officinis ipsa quoque frequens admodum sit; Celebris est, et opulentius Antuerpia emporium, at ceteris in rebus Urbi Neapoli, quae commercijs terrestribus, et maritimis ipsa quoque abundat, multum concedit. Salubriore caelo utitur Genua, uerum praeter hanc unam gratiam, quae ne ipsa quidem Neapolis caret, qua tandem ex parte Genuam cum Neapoli conferemus? Ac ne longum faciam, si quis in

G 2 ceteras

ceteras Europæ Urbes, quæ paullo conspectiores sunt, intuebitur, nullam inueniet, præter Neapolim omnibus natura, & fortunæ bonis cumulatam, & in qua non multa desiderentur. Quod ut planum fiat, age singulas eius partes persequamur. Utque res dilucidior sit, illas ad duo genera referamus, hoc est ad Urbem inanimam, ac Ciuitatem animatam. Ferenda hæc sunt vocabula, quod nulla in præsentia occurrat, quibus subiectas notiones commodius explicemus. Inanimam Urbem uoco solum ipsum, situm, mœnia, portum, ædificia, plateas, totamque, Urbis descriptionem. Ad animatam Ciuitatem pertinent Ciues, atque incolæ; ac negotia, quæ tractant, muniaque, quæ multa, ac varia in hac Ciuitate coluntur. Ab inanima igitur Urbe initium facientes, prima erit regionis consideratio; quæ res ad Urbium dignitatem commendandam haud dubie plurimum ualet. Est autem posita Urbs Neapolis in agro Campano, quem omnium scriptorum cum veterum, tum recentiorum consensus, ceteris omnibus agris totius orbis terrarum longe anteposit. Verba L. Flari memoria teneo; ea non pigebit referre. Omnium, inquit, non modo Italia, sed toto orbe terrarum pulcherrima Campania plaga est; nihil mollius calor; denique bis floribus uernat; nihil uberius solo. ideo Liberi Cererisque, certamen dicitur. nihil hospitalius mari. Hic illi nobiles portus Caieta, Afulenus, & tepentes fontibus Baia, Lucrinus, & Auernus quedam maris otia. hic amicti vitibus montes Gaurus, Falernus, Massicus, & pulcherrimus omnium Vesuius Aetnei ignis imitator. Quæ Florus perstringit, & coarctat, nobis sunt explicanda, & dilatanda. Prima cæli est commendatio, in qua re multus esse nolo. Illud tantum dicam, perpetuum ibi esse ær, neque floribus tantum uernare Neapolitana littora, sed nullam partem anni florum ac fructuum expertem esse; nunquam regionem aut frigore rigere, aut niuibus horrere, aut gelu torpere. Ad solum uenio. Eas fere esse regionum naturas constat, ut quod solum pingue, ac ferax sit, necessariusque, fructibus abundans, id minime amœnum esse soleat, contra quod amœnum est, ab ubertate destituitur. Eiusmodi esse circumpadanos campos, & Ligusticam oram cernimus. quorum illi frumenti, ac lactis, necessariumque, rerum feracissimi amœnitate Ligusticorum littoribus carent. Contra maritimæ Liguria omnibus amœnitatibus referta ora solo macro, & exili ueritur. usque adeo utraque laus eadem regionem raro commendat. At ea est agri Campani gloria, ut in illo ferunditas cum amœnitate certet; omnesque, regiones, quæ alterutra tantum laude præsent, utraque vi superet. nam ubertas tanta est, ut merito

Bacchi,

Bacchi, & Cereris certamen hoc solum uocat. Florus, utrumque enim usum, neque mutuo se impeditum idem solum præbet. cuius dotis nescio an ulla alia regio particeps sit. Arua enim ipsa arbutis usque, frequentissimis consista passim sunt; &æ populi sunt patentissimis ramis diffusæ, & in vastâ proceritate cûsurgentes vitibus amictæ, quæ geniculato procursum ad cacumina scandentes, at que inde præcipitata ad solum usque peruenientes ea sunt feracitate, ut una arbor eam vini ferat vim quod quinque clitellariorum mulorum iustum onus sit. At que uinas omnium toto orbe generosissima, quæque, ueteribus in summo pretio fuerint: Massica, Cæcuba; Falerna olim appellabantur, nos omnia uno uocabulo Græca appellamus; quorum præstas laus pro uerbo ab omnibus accepto declaratur. Tres enim Græcas res esse prædicat, quæ in suo quoque genere principè locum obtineat. hoc est Græcū uentum, Græcā puellā, Græcū uinum; denique id uinum est, quod ex hoc Regno exportatum impensio pretio paretur, atque in Principum mensis palmam obtineat. Id solum frumenti ita ferax est, ut a nullo, quod ea laude excellat, vincatur; quodque multis in locis si hiemum quiescit, quattuor continuos annos restibile fiat. Huius agri pars ea, quæ Neapoli, & Capuæ interiecta est, fertilitate ceteras uincens laboris a ueteribus uocata est, quo nomine nunc tota Campania appellatur, siue, ut nonnullis placet, quod in eo agri colendo plurimum exudetur labor; quod pingue solum uis sua molientium manibus reluctetur, siue quod uero proprius puto, quod hoc in primis solum dignum sit, in quod hominum industria, & labor insumatur, neque unquam a cultu cesset. Amœnitati uero & pulchritudini Neapolitanorum littorum quæ ulla non dico ora, sed oratio par esse possit. Est enim posita Urbs Neapolis in sinu, qui inter duo promontoria Misenum, & Minervæ in septuaginta circiter millium passuum ambitu introsum recuruitur; cui ostium quindecim passuum millia pateat; quod ipsum Insula Prochyta, Pitecusa, Capreis ab utroque cornu obiectis coarctatur; alteroque portu inter oppidum Puteolos, & Misenum promontorium excavatur. Cingitur hic sinus mollibus undique, & placide accliuibus collibus; qui neque nudi sunt soli, neque syluestribus arboribus uestiti, sed vitibus, arboribusque pomiferis omnis generis amictis; tantaque est pomorum copia, & uarietas, ac suauitas, ut in hac plaga non modo Bacchus, et Ceres, sed Pomona quoque sedes; ac domicilium collocasse uideatur. Frequentatur in primis nobilissima illa omnium arbore Medica, quæ cum paullo intentius contemplerer; eiusque bona mecum reputare, ac mirarer, sic statuebam, rudem plane fuisse ueterem statem, cui tam felix arbor fuerit ignota. De cuius ac pomorum

quæ



quæ fert, laudibus, ac natura subit animum cupido nonnulla attingere, atque hic inferere. Vnum genus est, sed varia, ac plurimæ sunt species, pomæq; forma, colore, magnitudine, sapore, succo inter se differunt. Nã alia vt citrorum, & limonis colore albo sunt, & in longitudinem producta; alia vt citriorum lutea, & orbiculata, alijs cortex crassior est, vt ijs ipsis limonibus, & citris, cum ipsum citrum totũ fere cortex sit; per exiguosq; nucleos habeat, ceterorumq; omnium generum magnitudinem exuperet, suauiorq; gustu cortex sit, quam ipsa nucleorum caro, cum cõtra in citrio tenuior cortex amaritudine sua à gustu respuat; neque nisi conditus sapiat. Sed naturam omnium persequi infiniti operis fuerit. Terminabitur igitur descriptio nostra citrio, cuius pomi maior vbique est copia, & prima commendatio. Pomum rotundum, cortice crasso, & carnosio, colore auro persimili; vnde nonnulli malum aureum esse putauerunt, exterius leui, interius lanuginoso, & albo octonos, aut plures nucleos continet in orbicularem formam compactos, molli membrana contextos, & inter se distinctos; striato ambitu; nucleorum torulis eminentibus, quorum caro granosa est; succusq; natura acidus; nonnullorum etiam dulcis, verum id ab artificio originem habere putatur, quod tamen in naturam abijt. humectiora cibis condiendis magis apta sunt; sicciora esu suauiora. omni anni tempore a ramis recentia decerpuntur. sero enim annuoq; curriculo ad maturitatem perueniunt, ac tamdiu in arbore matura perennant, dum succrescẽtia maturescere; ac subrubere incipiant; nec prius desinunt, quam succedentia sint ad perfectam maturitatem adducta; iamq; tertij anni flores caperint vernare. Quo fit, vt nisi quis in illis legendis præproperus fuerit, geminati in eadem arbore duorum annorum semper conspiciantur fructus alij perfecte maturi, alij vel subnascentes, vel acerbi, vel maturescere incipientes, vel ad maturitatem iam spectantes, prout plus minusue tempus anni iam processerit. Neq; nobilissimi pomi recentis tantummodo vsus est, sed etiam conditi, & longũ tempus asseruati, totq; ac tam varias condituras recipit hoc pomum; vt ex illis vel solis salgamorum cella possit repleri. Neque vero felicissima arboris dotes solo pomo terminatur; sed cum floribus quoque & folijs cõmunes sunt. Nam folia ita mollia sunt tactu, vt reliqua omnium arborum folia præ illis scabra, & aspera sint, contrectantiumq; ac prementium manus suauissimo odore veluti vnguento pretiosa nota delibatas perfundunt. Flores vero candidissimi non modo suauitate odoris ceteros vincunt, sed tanto etiam virtute, vt cum reliqui non nisi naribus admoti fere

sentian-

sentiantur, ij odore tam late fundant, vt non modo circumiectum aer perfundant, sed quibusdam spirantibus ventis ad eos, qui felicem oram nauigijs præteruebuntur, longissimo maxis intervallo perueniãt. Cuius odoris suauitas non simul cum floribus decidua est, sed humor ab illis distillans ab igne expressus ac lagenis vitreis asseruatus suauissimi odoris vsum perpetuum præbet. Iam vero arbor ipsa perpetuo virens orbiculari forma, ac densissimis frondibus vestita ea est, vt si quis illam verno tempore pomis, & floribus onustam contempletur, tribus diuersis coloribus eam variantibus, ac veluti acu pingentibus, eam miratus esse dicat arboris pulchritudinem, & varietatem, quæ auri fulgorem pomis; margaritarũ candorem floribus; smaragdorũ viriditatem frondibus exprimat. Eadem laudes in ceteras species conueniunt, quæ forma tantummodo, ac magnitudine, & colore pomorum diuersa sunt, id quod in ceterorum malorum genere vsu vcnire scimus. Hæ arbores, simulq; mollissima myrteta, quibus solum vestitur cum perpetuo virore, & odore, tum topiariorum textu, quibus ea arbor apta in primis est, totam oram conspiciendam faciunt, quam etiam mire exornant quamplurima oppida, & edificia, quæ passim cernuntur. Eximia illa additur dos tepentium fontium, qui non modo delicatum vsum balneorum præbent, sed ad complura morborum genera sananda, & leuanda miras habent virtutes. sulfureæ etiã sunt venæ, ex quibus exhalans vapor per subterraneos specus ad corruptos humores exiccandos, debilitatq; membra corroborada ac dolores tollendos miram habent vim. Sed nihil ad locorum amœnitatem & pulchritudinem commendandam est insignius, vt mihi quidem videtur, quam prospectuum iucunditas. Cuius rei sine controuersia huic orge palma tribuitur. Nam cum prospectus dupliciter commendentur: vel ex ipsa aspectus ratione, iustaq; dimensione, vel ex rerum, quæ aspectui subiiciuntur, specie, ac varietate, mirum est quantum vtraque re Neapolitani prospectus ceteris omnibus antecellant. Etenim cum nimis propinqua loca cursum radiorum ab oculis exeuntium cohibentia acie visus perstringant, ac veluti carcere constringant, quæ offensio iucunditatem aspectus debilitat, ac plane tollit, cõtra infinitus prospectus nullis locorum terminis circumscriptus per immensam vastitatem excurrens; nulloq; loco consistens, aut quiescens veluti lassetur, & hebetetur, nullaq; obiectæ speciei iucunditate perfusus, aut recreatus languescat, ac plane iaceat, vtroque incommodo caret Neapolitana ora. Per amplum enim Theatrum, circumiecteq; Insule satis laxamenti oculorum

lorum aciei ad excurrendum præbent; eandemq; obiectu suo terminant, ac circumcludunt, ne latius diffusa dissipetur, & evanescat. Hic prospectus cum ex omnibus suis partibus pulcherrimus, & iucundissimus petitur, si vero si quis tranquillo mari ex ipsa Urbe Neapoli, quæ in medio sinu posita toti oræ veluti dominatur, atq; extantibus in illa locis, ac collibus, quos mænia complectuntur ipsam subiectam tantæ magnitudinis Urbem; portum omnis generis nauigijs refertum; superbam molem pulcherrimæ arcis coniunctam, relicantes naues vltro citroq; cõmeantes contemplatus fuerit, circumferensq; oculos vniuersum in circuitu sinam in crateris formam curuatum, amoenissimas Insulas; frequentia, ac magnifica suburbana edificia, egregia per totum sitis ambitum oppida; nitidissimos colles, latissimas arbores; perpetuis hortorum, & topiariorum virorem, quibus omnia circumuestiuntur, maritimamq; antra, & opacos scopulorum secessus circumspexerit; elementissimamq; cæli teporem senserit, non iucunditate modo, sed admiratione, & horrore quodam persusus dicat, naturâ cetera orbis loca alio diuina favore amplexam; maioreq; beneficiorum copia alia alijs impartitam; ac in felicissimâ hanc oram vniuersam benignitatis suæ vim, ac cumulatè effudisse; cumq; multis in orbis locis maiore gloriâ, quam alibi confederit, in hac regione sedem ipsam Imperij, ac Regiam sibi constituisse. Iam Urbis mænia ingressi præcipuas laudes attingemus. Portum, Molem, Arcem, colles, prospectus nunc reliqua explicemus. Nô satis hæc Urbis in latitudinem patet; minusq; quam pro magnitudine, & immensis opibus ampla est, quamuis nouissime Petrus Toletus Vicarius Cesaris pomerium protulerit, Urbisq; longitudinem produxerit, & receptusq; intra mæniū septa collis ambitum Urbis auxerit. Vrgentibus enim a tergo collibus coarctatur, quo fit ut præter eam partem, quam Toletus addidit, quæ pulcherrima omnium est, quæq; dignitatem huius Urbis mire auxit, ac præter amplum decurranem hæc Urbis angustioribus semitis & angiportis vtatur; neq; multa in ea sint perpetuæ vias, sed omnia sint anfractibus, & flexibus multiplicata. quin etiâ præter forum mercati, quod per amplum est, nullas satis laxas arcas, aut campos habeat. Sed hæc angustie altitudinæ edificiorum compensantur excelsis capaculis sublatorum. Illudq; est in hac Urbe eximium, quod etiam in ceteris Urbibus tenuiorum, & plebeiorum tecta humilia fere sint, in hac infimorum edes altitudinem nobilium domorū æquêt, omnesq; fere in quintam contignationem, nonnulla etiam in sextâ consurgant, quæ totidem familijs sedes præbeant, frontiumq; specie, & pulchritudine

chritudine nobilium domibus pares sint. nam ostia, & fenestras affabre factas habent, antisq; & epistylis, ac zophoris & coronis ornatas. Quæ laus haud scio, an vlli alij vrbi cõingat. Ipsis porro nobiliũ domibus nihil ad magnificentiam deest. Nam maxima pars e lapide quadrato sunt, peristyliaq; habent, atque ornatissimas, & laxas porticus, quæq; vnica huius Urbis commedatio est, maxima illarum pars pensiles hortos habent felicium arborum syluis consitos ad secundam contignationem sublatos, in qua Herilis habitatio est, cum reliqua familia in inferioribus, & superioribus locis cubet, vt ex ipso Triclinio, ac cubiculis, quibus Herus vtitur, sit in hortos ex aquo loco trãstus. Quare vt nihil esse potest in priuatis adibus aut ad vsu commodius, aut ad hilaritatem, & amœnitatem iucundius, ita illud ad Urbis dona cumulanda in primis est insigne, quod bis in anno vernantibus floribus omnes Urbis partes, omnesq; platee suauissimo odore se fundente fragrantem imaginem quamdam felicium Insularum, quas Poete fabulantur, peregrinis insolita re obstupefactis præbeant. Iam vero vt nullum absit bonum saluberrimæ, & liquidissime aque tanta est, ac tam exuberans copia, vt amplissimo aqueductu in Urbem inducta non modo per Urbem passim in Castella ingentem vim aque ad publicum vsu fundentiã distribuatur, sed in omnes fere priuatas nobiliũ domos, quæ quidẽ in inferiore Urbis parte positæ sunt, per plumbeas fistulas illata non modo necessarijs vsibus, sed amœnitatibus etiam fontium, & hortorum irrigationibus sufficiat. Hæc fere de Urbe in anima, circumiectaq; regione paucis perstringenda vsa sunt, in quibus nimis fuisse videri non possum, quod quæ voluptas contemplantis oculos tenet, eadem loquentis cogitationem comitetur, ac quemadmodum videndi vis letissimo aspectu, ita animus iucundissima recordatione nunquam satietur. Sequitur vt ad Ciuitatem animatam considerandam accedamus, quæ pars longe maior, & grauior est; in qua Ciuitate omni bonorum genere cumulanda non minores. Fortuna exercuit vires, quam Natura in regione ornanda, vt non Cereris modo, & Bacchi, vt veteres dixerunt, sed quod longe præstabilius est, nature, & fortunæ certamen, vt initio dixi, Ciuitas hæc esse videatur. Quæ res perspicua erit, si quis res, quibus magnarum Urbium dignitas maxime illustratur animo & cogitatione complexus fuerit. Eas ego quattuor in primis esse statuo. Primum Incolarum frequentiam, deinde Ciuiũ opes & sortem; tum negotia, & commercia, postremo Imperij magnitudinem. Hæc res tantam vim habent ad Ciuitatum dignitatem extol-



lendam, vt quæ Ciuitas vna ex ijs laudibus præcellat, ea in prima commendatione ponatur. In quàm alto igitur fastigio Urbem Neapolim locabimus, quæ omnibus ijs bonis ita floreat, vt ceteras Ciuitates ea ipsa laude, qua singula commendantur, longe superet? Singula membra persequamur. Atque in Incolarum multitudine breuis ero, quod ea res explicatione longa non egeat. Ducenta circiter millia Ciuium capita (omnem ætatem & sexum vtrumque complector) esse pro comperto affirmant; id quæ ducta tritici, & annonæ ratione, alijs quæ certissimis argumentis perhibent constare; qui numerus a nulla Europæ Ciuitate præter Lutetiam superatur; a quam paucissimis æquatur. Verum non tanta est in multitudine, quanta in genere hominum commendatio. Natura enim acutissimi sunt ingenio, præstâtes, & ad omnes magnas res apti; lingua quæ, ita prompti, vt eloquætia naturæ beneficio eius Regionis propria esse videatur, plurimique omnibus ætatibus in hac Urbe, ac toto Regno, omni doctrinarum laude omni quæ, litterarum gloria floruerint. Apri quæ, in primis militiæ sunt, quod ingens sit & in corporibus robur, & in animis vigor, manuum quæ, strenui sint, & animo audaces, ac cõtumeliarum, & iniuriarum minime patietes; sui quæ, ipsimet acerrimi vindices; qui quæ, pro dignitate tuenda nullum recusent discrimen. Equestris præterea rei vsu peritissimi, in qua exercenda maximam operæ, & ætatis partem nobilitas positam habet. Iam vero, quæ altera erat laus, ea est Neapolitanæ Nobilitatis conditio, atque is fortuna status; eæ quæ, sunt Ciuium Neapolitanorum opes, quæ non fidem modo, sed admirationem pene excuperent. Cuius enim animum stupor quidam non defigat, cum secum reputauerit, Neapoli plus septingentos Ciues esse Vicorum, Castellorum, Urbium etiam dominatu conspiciendos, in quibus plus centum sint Principum, Ducum, Marchionum, Comitum titulis insignes; magnus quæ, eorum numerus sit, quorum annua vectigalia dena aureorum millia excedant, nonnullorum etiam ad quinquaginta millia, aut eo etiam amplius perueniant. Vt vere dici possit maiorem prope esse in hac Urbe fiduciaris Ditiones obtinentium, ac populis dominantium, quàm in multis alijs opificum, & sellulariorum numerum. Paulo plusquam æquum sit, sibi assumere Neapolitani, tumidiiora quæ, esse hominum ingenia, ac de se, & de Ciuitate sua paullo iactantius, & inflatius loqui existimantur. quod si quis secum reputauerit, fortunam hominibus animos, ac spiritus facere, fortasse illis ignoscat, si nimia rerum copia, affluentibus quæ, opes illorum orationem paullo longius interdum prouebant. Negotia vero, quod tertium ad commendationem proponebatur, Dij  
immortales

immortales quam multa, quam magna, quam multiplicia sunt, siue opificiorum copiam, & varietatem spectes, totam quæ, Urbem tabernis refertam aspicias, siue in maritima, & terrestria commercia, mercatorum quæ, frequentiam intueare; siue ad iurisdictionem & forenses causas animum conuertas. Maritimorum quidem mercatorum testis est portus onerarijs, & omnis generis nauigijs perpetuo refertus; nulla quæ, Vrbs est tota Italia, in quam maior mercatorum copia commigret: quæ quæ, illos cum maiore quaestu, maioribus quæ, compendijs dimittat. Amplissima sunt societates in vectigalibus publicis exercendis, & in ceteris omnibus rebus, in quibus mercatorum elaborat industria, occupatæ. Causarum vero forensium multitudo tanta est, quantam vnam in Ciuitatem inducere potest tanti Regni amplitudo. Quæ res immancem pecuniæ vim, immensas quæ, opes huic Vrbi accumulât. argumento est Iuriconsultorum, & Scribarum infinitus numerus, qui ex tenui re ad amplissimas oper perueniunt; qui quæ, magnificentissimas passim comparant, & ædificant aedes. latifundia quæ, & amplissima patrimonialia successoribus relinquunt. Postrema laus fuerat Imperium, quod omnibus ijs Prouincijs desinitur, quæ inter superum, & inferum mare a Latio, & Piceno totam Italiæ longitudinem vsque ad Rhegium promontorium terminant. Quæ omnes vno vocabulo nostra ætate regnum Neapolitanum appellantur. quo Regno et si nonnulla ampliora sunt, latioribus quæ, finibus patent, tamen cum plures sint in illis iurisdictionis sedes, nescio an vlla Vrbs vastis in illis Regnis sit, in quam maior populorum frequentia confluat; à quæ, plures Prouinciæ petant iura. Sed quantum huic Regno de magnitudine decedit, tantumdem de nobilitate, & felicitate accedit. Nullus est enim toto orbe terrarum ad comerca opportunior situs, quippe qui mare mediterraneum mediū secans, ac veluti nota discriminans, & in omnes cali plagas vergens comodissimos, ac breuissimos in Africa, Asia, Græciæ, Illyrici oras habeat traiectus, at quæ, vtraque; eius littora omnibus amœnitatibus arborum confita frequentissimis, et tutissimis, peræplis quæ, protubus, ac quæuis magnarum classium capitibus sint excavata. Sed de huius Regni laudibus agere in presentia non necesse habeo. nã & res bene longum panegyricum magnitudine sua postulat; & mihi Vrbe tantummodo Neapolim describere propositum est. Illud tantum omittere non possum, eam esse huius Regni felicitatem, vt fructuum copia, varietate, præstantia ceteras omnes orbis regiones vincat: nam nulla omnino re ad humanum victum, & cultum tam necessariam, quæ delicatam eget importata, & ipsum tantum fructuum copiam ex se effert, quæ cum neces  
H 2 sarijs

sarijs incolarum vsibus affatim suffecerint, quæ superat exportata tri-  
 cies centū aureorū millium numum pretium conficiant. Ingens enim  
 vis tritici, generosi vini, olei, saccari, serici, lanæ, carniū, cumini, cro-  
 ci, manna quoque, & reobarbari, ac ceterarum denique omnium fere  
 rerum, quæ vsuum necessitas, & amœnitas postulat, ex hoc Regno in  
 omnes orbis partes exportantur. Sed nulla re æque commendatur hoc  
 Regnum atque generosissimorū equorum gregibus, qui erecta, & præ-  
 celsa forma; coq̄ vigore & virium robore, vt omnia aduersa impetu  
 prosternant, bello supra omnes quos natura fert, apti existimantur;  
 quiq̄ impensissimo pretio, ac quincuplo fere pluris, quam reliqui mul-  
 tarum regionum equi comparantur, quibusq̄ potissimum, si illorum fa-  
 cultas est, Reges, ac magni Duces, & Procere prælium initari salu-  
 tem suam committant. Quam igitur Urbē cum Neapoli conferemus?  
 quam cum illa in pari laude ponemus? quæ Civitas ad illius gloriā aspi-  
 rabit? atque adeo quæ non illi plurimum de dignitate concedet? De  
 cuius laudibus hæc adumbrasse satis sit; quæ pro dignitate explicare  
 maioris otij, & ingenij fuerit. Ego enim me Ferrariensis imperio tuo  
 satis obsecutam puto in locis notandis, req̄, nuda tibi ante oculos po-  
 nenda. quam qui otio abundant, & dicendi vi præstant, qua ego vtra-  
 que re careo, orationis copia dilatandam, & illustrandam suscipere  
 possint. Vberrima enim materia est, & amplissimus campus, in quo  
 eloquentia excurrere possit. Multos, vt omnia sunt humana, fore  
 non dubito, qui sententiam meam improbent, meq̄ reprehendant, quin  
 etiam nonnulli indignentur, & stomachentur, me multarum Urbium  
 gloriam, quarum dignitas multis, & eximijs naturæ, & industriæ bo-  
 nis in primis commendetur, obscurasse; ac tantis, & tam multis Civi-  
 tatis Neapolitanæ laudibus pæne obruisse. Hic Ferrariensis, quid (in-  
 quit) alij existimaturi sint, ipsi viderint. Illud ex te quæro Brumane,  
 etiam ne Romæ, & Venetijs Neapolim anteponas? Cui Brumane,  
 Ego (inquit) sic statuo Ferrariensis Urbem Romam, si veterem il-  
 lam spectes, nullam iam esse; reliquias tantum priscorum adificiorum,  
 & ornamentorum extare: quæ res cum verius caelestes, quam huma-  
 næ sint; ac si ita loqui fas est, prope Diuinæ, ipsa caelestium rerum, vt  
 ita dixerim, fragmenta omnibus humanis rebus quævis integris lon-  
 ge præstare; eiusmodiq̄ esse eas reliquias, vt non Neapolim modo, sed  
 omnes orbis terrarum Vrbes præ illis minimi faciam. Ea est enim il-  
 larum maiestas, vt intuentium animos veneratione perfundant; stu-  
 poreq̄, quodam mentes contemplantium defigant, ac non modo orbis

terrarum

terrarum Imperij memoriam renouent, sed ipsum adhuc imperium  
 spirare videantur. Nouam autem Romam quod Religionis arx, & do-  
 micilium sit, quodq̄, Christianæ Ecclesiæ caput in ea sedes habeat col-  
 locatas; quodq̄, ab illa sacra iura cunctus Christianus orbis petat, exi-  
 miam ijs de causis esse confiteor, nullamq̄ omnino Urbem cum sacro-  
 sancta hac conferri fas esse. Venetias vero, cuius Urbis maiestatis  
 plena imago mihi semper animo obuersatur; quæq̄, Patriæ charitatem  
 apud me obtinet; cuiusq̄, Urbis gloria, & opibus Italiæ dignitas, &  
 salus in primis nititur, non in terra, sed in mari sitas esse dico.

Quare Urbem illam veluti extra orbem positam, extra  
 certamen quoque esse debere. Habes Ferrariensis  
 meam de Vrbe Neapoli sententiam. quam si  
 tibi verbis parū probavi, hard dubito,  
 quin ipsius Urbis aspectus, si ad  
 illam te vnumquod accedere  
 contingat, sit pro-  
 baturus.

V B E R T I

V B E R T I . F O L I E T A E  
D E . N O N N V L L I S . I N  
Q V I B V S . P L A T O . A B . A R I S T O -  
T E L E . R E P R E H E N D I T V R

A D . A N T O N I V M . V A C C A M  
I V R I S C O N S V L T V M . E X I M I V M .



**M** *ULTV* solet Antoni Republica Platonis sermonem dare, resq; in conuiujs & in litterarum cœtib; ac quotidianis congressibus ingentibus contentionibus, & disputationibus iactatur; ac sententijs certatur. nam maxima pars, quæ Ciuitas inter mortales numquam fuerit, eam omnino constitui posse negant; totamq; hanc opinionem commentitiam plane, & nugatoriã esse affirmant, quæ ad mentis quidem cogitationem speciosa sit, ad usum vero, & ad hominum vitam numquam accommodanda. Contra alij ijq; pauciores eiusmodi Ciuitatẽ inter homines numquã fore quidẽ sperant, verum facultatem prorsus non tollunt; quin etiam addunt, si tanta sit alicuius populi felicitas, vt talis Reip. forma apud illum cõstituat, illisq; institutis assuefiant homines, sempiternam Ciuitatem illam, aut longe pluribus seculorum ætatibus, quàm ceteras omnes, quæ diuturnioris æui fuerint, duraturam. Multa ij, qui a Platone dissentiuunt, reprehendere in illo solent rerum communitates; promiscua conubia, virilia, ac bellica munera cum mulieribus communicata. contra Platonis propugnatores multa respondent. Atque vt promiscua coniugia in præsentia omittamus, quæ Diuina lege interdicta sunt, vituperationem munerum bellicorum historia Amazonum, quæ certissimis, & grauissimis auctoribus constat, plane refellit. rerum vero communitas cur tandem facultatem non habeat, quam nostra ætate à plerisq; hominum institutis coli videamus? Neque vero Platonem, inquit, ab Aristotele recte reprehendi in eo quod negat rebus

rebus comunicandis non id assequi Platonẽ, quod intendit, vt scilicet causse discordiarum inter homines tollantur, cum contra perspicue appareat, hanc ipsam rerum communitatem, vel præcipuam esse causam litium, communemq; hanc rerum possessionem innumeras controuersias inter possidentes gignere, quæ possessio si dirimatur, dirimi etiam lites. Ut in hoc meo, & tuo de hominum vita tollendo lites, & discordiæ non tollantur, sed inducantur. In qua re Aristotelem aiunt perpetuo studio Platoni aduersandi eo errore lapsum, quod non animaduertit, rationem suam in hoc vita genere, quo nunc utimur, suscipi posse, in quo homines res possidere separatim possunt. verum eam non valere in ea ciuitate, cuius legibus, & institutis separata rerum possessio ciuib; sit interdicta. quid enim de illa re inter se ambigant homines, quam ad se priuatim trahere, ac separatim non possint possidere? Vsu sæculi nostri, vt diximus, coargui Aristotele, in quo tot sint opulentissima cœnobia, quæ latifundia, & amplissima rectigalia possideant; de quibus tamen diuidendis nullæ sint inter Monachos lites, quippe quibus communitè frui illis necesse sit, neq; suam quisq; partem sibi priuatim possit asciscere, nullaq; proinde discordiæ, ac rixæ, nullaq; odiorum causse inter illos oriantur. Sed facere hoc non nouum Aristotelem, aiunt, vt de Platone quantum possit, detrahat, ac quæcumq; eius viri possit, ad reprehensionem carpat, qua in re sæpe ipsum, pace illius dixerint, turpiter labi; Platonisq; vicem se se ipsum vlcisci. veluti cum honestatem ab vtilitate seungit, aliquaq; honesta esse affirmat, quæ vtilia non sint, vtiliaq; esse multa, quæ honesta non sint, contendit. qua re quid pugnantius inter se loqui potuisse tantum ceteroqui Philosophum? honestum enim esse quidquid cum virtute coniunctum est; contra inhonestum quidquid vitiosum. hoc igitur posito, nihil cuiquam aut homini, aut arti, aut instituto vtile esse posse, quod à fine, qui arti illi propositus est, abducat; contra omnia vtilia esse, quæ ad finem illum ferant, siquidem finem in omnia, quæ ad finem illum assequendum comparata sunt, sua se vi fundi, resq; omnes speciẽ ab illo accipere; recteq; dici à fine omnia pendere. Igitur cum vltimus hominũ finis, summumq; bonum, ac beatitudo ipsa recte Aristotele ipso nihil aliud sit, quàm virtutis promptus, & expeditus vsus; ad hunc autem altissimum gradum facilis vsus virtutis, vt ipsemet Aristoteles docet, virtute ipsa duce, assiduoq; illius vsu, & crebra vsurpatione perueniamus, contrarijs vero actionibus ab illo procul arceamur, fieri, vt omnes actiones honestæ, quæ eadem cum virtute coniunctæ sunt,

sunt, necessario vtilis sint, quippe quæ ad summum illud bonum, summamq; illam vtilitatem, in qua omnia homini sunt, viam expediant. Contra inhonestæ, ac cum vitio coniunctæ inutiles plane sint, quæ ad hunc ipsum finem, summamq; illam vtilitatem iter intercludant. quo fieri, vt si quis ius violet; & ab honestate discedat, vt magnas opes, & potentiam pariat, inutilem in primis sibi rem faciat, quippe quæ ad veram, & summam illam vtilitatem iter moretur, atq; adeo obsepit. Ac ne illud quidem leue esse erratum; nec minus secum ipsum pugnare Aristotelè, qui in Politicis diserte affirmet, posse aliquem bonum Ciuem esse, qui idem bonus vir non sit; contra malum aliquem Ciuem sepe bonum virum esse. Ut si quis in corrupto aliquo reipublicæ statu leges ferat iniustas, atque alia iniusta quidem faciat, verum quæ ad statum illum tuendum sint accommodata, is malus quidem, & improbus vir erit, verum bonus illius Ciuitatis ciuis, quippe qui statum illum tueatur, quam orationem vt in vsu loquendi fontensi suscipi posse, ita Philosopho turpem in primis esse, cui non ad vulgi opinionem, sed ad veritatem res sunt exquirendæ, & nominandæ; ipsius quidem Aristotelis principijs aduersari. bonum enim ciuem eum tantummodo esse, qui quæ veri sunt ciuis munera colit, minus autem, & officium boni ciuis esse, & se ipsum, & ceteros ciues ad finem, cuius causa ciuitates instituta sunt, dirigere, & conformare. Cum igitur Aristoteles Ciuitatem definiat, congregationem hominum esse bene, beateq; viuendi causa constitutâ, beata porro vita sit, vt paullo ante diximus, virtus ipsa, atque illius expeditus vsus, eum profecto fore non modo bonum virum, sed bonum quoque ciuem, qui legibus, & institutis suis ciues suos virtutum vsu assuefacere contèdat; eosq; sanctis legibus, & institutis ad finem, & beatitudinem, quam Ciuitatum institutio spectat, perducere studebit; contra qui flagitiosis legibus, & institutis, vt Tyrannicum, & corruptum reipublicæ statum tueatur animos ciuium deprauabit, malum hunc, & sceleratum virum, bonum fortasse corrupti status illius assertorem vocari, boni vero ciuis nomine in Philosophorum schola carere debere, quippe qui a boni ciuis officio & ipse recedat, & alios abducat. Verum ad inceptâ de Rep. Platonis disputationem redeo. Equidem cum multa audio vtrunque probabiliter dici, sententiarum varietate distrabor; ac modo in hanc, modo in illam partem feror, nusquâ tamen stabili assensu, Verum longe alia res est, quæ mihi animum magis dubium facit, quam eorum, qui de ijs rebus disputant, questione omitti miror. hoc est honorum, & munerum publicorum distributio. Non

negauerim

negauerim rerum possessionem, atque opum inequalitatem magnorum motuum, ac malorum Ciuitatibus causas esse solere, multasq; reipublicas, ex ea re labefactatas, ac funditus enersas, diu plebs, & tenuiores, sese vel intolerandis oneribus & tributis confectos: vel artis alieni magnitudine oppressos, vel agrum, & totam regionem in paucorum possessionem cessione queruntur, quibus ipsos extorres inopem, & miseram atatem agere. quæ res Solonem atque alios sapientissimos viros ad necessitatem tabularum nouarum adegit, Licurgumq; atque eius virtutis, & sapientia multo post tempore amulos Agidem, & Cleomenem coegit, agros inter Laconas, æqualiter partiti. atque vtramque rem legimus Romæ magnis contentionibus, atque interdum etiam seditionibus, quæ quandoque ad ferrum, & sanguinem exarserunt, sepe tentatam. Verum nulli ad animos hominum incitandos atque inter se rixis, tumultibus, seditionibus, cædibus committendos acriores sunt stimuli, quam honorum, & munerum publicorum partitio, qua peste omnes fere liberæ ciuitates semper laborarunt, quamplurimæ interierunt. In qua re Plato magnopere lapsus videtur (disputandi hæc causa, non quod tantum virum reprehendere audeam, pronuntio) qui si hoc meum, & tuum de Ciuitate sua sustulit, vt causam contentionum, & discordiarum præcideret, cur eam legem induxit, quæ fons discordiarum sit? Duo enim corpora Ciuium facit, quorum alterum ab honoribus, & publicis, ac bellicis muneribus prorsus excludit, atque agro colendo, opificijs faciendis, sellulariæ operæ; ceterisq; seruilibus ministerijs mancipat, alterum reipublicæ gerendæ præficit; muneraq; illi, publica, ac bellica decernit; quæ lex multiplicem reprehensionem habere videtur, nam si plebem, & seruilem ordinem à Magistratibus, & honoribus tam pacis, quam belli exclusisset; paucosq; ad illos vocasset, minus hoc esset in inferiorem ordinem contumeliosum; minusq; ægre ferrent secunda sortis homines, earum se rerum expertes esse, quæ consilium, & virtutem postulant, quas res in se esse non intellerent. Verum Plato nullam quamuis minimam aut infamam reip. partem illos attingere permittit; ab ipsisq; priuatis militiæ ministerijs, & à gregaria opera reipublicæ nauada arcer. quæ res neque magni ingenij præstatisue indolis, neq; eximij consilij est, vt quiuis ad illam videatur idoneus, modo corporis robore præditus sit. Cû militis officium sit strenuam tantummodo corporis operam, atque obedientiam Imperatori præstare; resq; Ducum consilio regendas permittere, in quibus vis ingenij necessaria est. quæ animi indoles cum in paucissimis esse possit, exercitusq; ex magno hominum numero

I constare

cōstare necesse sit, quid ita Plato superiorē ordinē totū ad bellica munera obeunda vocat, cuius maxima pars non magnopere virtute, & ingenio inferiori præstet; neque præstare necesse sit, cum etiā militibus vitio detur, consilia Ducum sciscitari, qui fideles tantummodo, ac dicto audientes esse debeant, ac promptam operam illorum imperijs bene obedientes præstare. Deinde humani ingenij vitio fit, ut vnusquisq; de se magnifice, ac longe supra quam ipse sit, existimet, quæ opinio omnibus natura penitus insita ex animis hominum euelli nō potest, quo fieri necesse est, ut se ab armis tractandis, atque ab omni munere publico attingendo, ad quas res se aliqua ex parte aptos putant, exclusos ægre ferant. qui acerrimus doloris, & indignationis stimulus illos ad rerum nouandarum cupiditatem possit incitare. nullum porro est tam infimum hominum genus numerosum præsertim à quo periculum non imminet. Siquidem Romanum ipsum Imperium tum cum maxime in flore virium esset, sæpe in extremum discrimen à seditionibus, & bellis feruilibus est adductum. Equidem scio, multa ad hæc à Platonis defensoribus responderi posse; remq; longam habere disputationem. verū illud semper vincet, si quis rem vere existimare velit, atque omnium Ciuitatum annales memoria repetere, nullam vehementiorem causam, aut vberiore fontem discordiarum ciuiliū esse, quam hanc inter nobiles, & plebeios de honoribus contentionem.

Habes Antoni meridiationem huius Tyburtini secessus.

quam ad te ideo potissimum misi, cum quod nemo est

omnium amicorum, cum quo omnia mea com-

munia esse malim, tum quod neminē de

eiusmodi grauib; rebus melius,

quā te iudicare posse existi-

mo. expecto igitur quā

primum iudiciū

tuum.

V BERTI

67  
V BERTI FOLIETAE  
DE. SIMILITVDINE  
NORMAE. POLYBIANAE

AD. RAINALDVM. CORSVM  
IVRIS CONSVLTVM. EXIMIVM



LIBRVM meum de ratione scribendæ historiæ, quæ amantissime scriptum ad Octavianum Pasquam Episcopum Hieracensem misi, te legisse scribis, eoque mirifice delectatum. In quo cetera omnia tibi probari adscribis, præter id quod affirmavi, rationē illorum mihi nō plane improbabilem videri, qui nihilominus ut historia vera non sit, historiam tamen eam esse contēdunt: à Polybioq; ea in re dissentiunt, ac similitudinem normæ ab eo inductam historia negant conuenire. quam rationem paucis à me perstrictam, ac veluti per transennam ostensam tibi planius explanari postulas. Geram tibi morem. quid enim facere possum, aut vniquā feci libentius, quam ut quacumq; re possem, voluntati tuæ obsequer? quæq; mihi occasio tibi gratificandi daretur, eam ne prætermitterem? postulat id cum vetus amicitia nostra sanctissime inter nos culta, singulariaq; tua in me merita & officia, tum summa dignitas tua, quam tibi adiungit acutissimum & præstantis ingenij, tum eximia & elegans doctrina cum haud vulgari eloquentia scribendiq; facultate coniuncta, idq; tam soluta, quam numeris astricta oratione; ad hoc magna rerum ciuiliū scientia atque usus. Verum illud prius testatum volo, me rem in vtramque partem in præsentia disputare in animo non habere, neq; iudicium meū interponere velle, sed rationem tantummodo à Polybio dissidentium tibi exponere. quibus ego tantum abest, ut assentiar, ut potius in contrariam partem, atq; in Polybij sententiam propendeam. cum tamen contra dissentium, atque ab eo dissentientium opinionem non ita ab omni verisimilitudine abhorrentem existimen. transferēda huic in locum sunt pauca ea, quæ pro sententia Polybij in libro posui. Qui igitur eius opinionem defendunt, atque auctoritatē sequuntur, quo in numero

me quoque esse semper pra me tuli, ita disputant. Historiam verā esse oportere. neque enim aliud esse historiam, quam verum veram narrationem. nam si historia narratio dumtaxat sit, tum vero historia nihil ab Epici Poeta narratione differat. quippe quod utraq; res gestas contineat. Vna igitur veritate duas has narrationes inter se distingui. Deniq; veritatē ita esse propriā historiae, ut pars eius essentia sit. qua veritate carentē narrationē, non prauā modo, ac malam historiā esse, sed ne historiā quidē esse: neque historiae nomē omnino posse obtinere. Itaque quamuis apta, ornata, copiosa, elegās sit narratio: quaeq; omnia locis, tēporibus, personis, conuenientia plane seruet, consilia apte, & luculēter explicet; egregijs descriptionibus situs locorū, formas Urbū, ac munimentorū, instructiones acierum, ordines praeciorū, discrimina, casus ante oculos ponat, ac veluti in rem praesentē legentū animos inducat, ac pro auditoribus spectatores faciat, omnibus deniq; eloquentia, & artis numeris expleta sit, si veritas in illa desideretur, decorā quidem, & aptam fore narrationem, at historiā non dico falsam, & prauam, sed nullam omnino futuram. Contra si rudi, & incompto scribendi genere litteris sit mandata narratio; neq; vllas partes ex ijs habeat, quas Rhetorum praecpta praescribunt; omnibusq; ornamentis plane sit orbata; ad hoc consilia, & causas inepte explicet; res gestas confusa narratione obscurat, ac pro eo ut lucem afferat, tenebras rebus offundat, veritas tamen adsit, vilem quidem, & ineptam, ac despiciendam rem fore, historiae tamen vim, & nomen retenturam. Magnopere igitur normae similitudinem a Polybio commentam veluti rei mirifice aptam probant. Vt enim (inquit) norma ex auro, & ex quamuis pretiosa materia facta, si recta non sit, res quidē pretiosa est, at norma nullo modo esse potest. cum enim norma causa dirigēdi operis inuēta sit, sit, ut munus suum praestare non possit, nisi ipsa recta sit, quare ne norma quidem erit. Contra si recta sit ex quavis vili materia fabricata nullius quidem pretij erit, sed norma tamē erit, ita cum idē sit verum in historia, quod rectū in norma, efficitur, ac cogitur id quod diximus, ut falsa narratio neque sit, neque appellanda sit historia, quamuis omnibus verborum & sententiarum luminibus illustrata, ac politissimo genere conscripta; contra vera quamuis sordida, & inopataq; inepta re, & nomine sit historia. At qui contra sentiūt, distinctionem afferunt, contenduntq; aliud esse historicū, & historiā veracem esse, aliud historicum verum, & historiā veram esse, eumq; qui in re gesta narranda veritatem non retinet, non vere rem narrare, eundem

tamen

tamen vere narrare; historiamq; in rebus narrandis a veritate discedentem, aut veritatem quouis modo corrumpentem veram esse historiam, eandem tamen veracē non esse historiā, neque ista inter se pugna-re, si distinguere scimus, acriterq; in rem intueri. vtrumque enim verit est, si ad diuersas res referatur. nam si verum ipsum ad rem gestam adiungimus, ac rem, quae nunquā gesta sit, tamquā gestā referamus, vel si gesta quidē sit, non tamen eam, ut gesta est, explicemus, non quidem rem verā narramus, neque proinde verax est narratio, aut historia nostra verax, neq; historici veraces sumus. res enim quae nunquā fuerit omnino, aut quae aliter fuerit, vera esse non potest. quod si veritatē ad narrationē ipsam referamus, & vere is narrat, & vera est narratio, & verus is opitēs, hoc est verus narrator est is, qui narrat. quamuis enim rem veram non narret, neque narratio rei vera sit, vera tamē est narratio, hoc est verū est, illum narrare. quare perspicuū esse id, quod propositū, aliud esse historicū veracē esse, aliud historicum verum esse, aliudq; historiā veracem esse, aliud verā esse. qui enim res veras, ac veritatē narrat historicus est verus, & verax, eiusq; historia vera, & verax est. qui vero rem veram non narrat, aut eam nō vere ut gesta est narrat, is verax quidem historicus non est, sed tamē verus historicus. & eius historia non verax quidem est, sed tamen vera historia, hoc est vera narratio, quae rem siue veram, siue falsam, & quocumque modo modo narrat. Verum est enim illum narrare. Regula vero similitudinem. quae tant opere nonnullis arridet, futilem plane rem esse aiunt di-sputationiq; suscepta parum aptam. non enim quemadmodū is qui nar-rat, aequē narrat, cum verum, & cum falsum narrat, ita regula cuius munus est opus dirigere, aequē dirigit distorta, ac recta. nam opus dirigere quae ipsa recta non sit, nullo modo potest, quin contra si materia per se recta adhibeatur, illam distortet. quare regula non recta non male dirigit; sed non dirigit omnino. sit igitur ut regulae neque vim, neque nomen obtinere possit. at quae falsum narrat historia, male quidem, & improbe narrat, narrat tamen, quod ad nomen, & vim historiae tuendum sufficit. Elegantiorē igitur cōparatione sese uti affirmant. instituit aq; disputationi ita conueniente, ut non similis sit ouis ouo, ac lac lacti. Ea autē est eiusmodi. Quod in historia est veri-tas, idem est in iudicij iustitia. aequē enim debet Iudex in causis cogno-scēdis, iudicijq; tā priuatis quā publicis exercendis, & ambigentū cōtrouersijs dyudicādis, ad Iustitiae normā, legūq; praescriptū sententiā, & iudicium suum dirigere; atq; historiae scriptor veritatē in scribēdo

spectare:



spectare: atque æque vtrumque ad vtriusque fidem, & officium pertinet; atque æque vterque puniendus est, si ille à iustitia, legumq; præscripto discedit, ac si is à veritatis lege declinat, hoc etiam grauius. Iudex, quo maiore publico detrimento peccat. Quare fit, vt quemadmodum si Iudex iuste non iudicat, vel legum, & iuris ignorantia lapsus, vel gratia inflexus, vel pretio emptus, vel animi in alteram partem propensione deprauatus, vel etiam probabili aliquo errore obiecto, qui grauem & religiosum Iudicem a veritate deducere possit, vere tamen Iudex est, latumq; iudicium non minus iniustum, quam iustum vere iudicium est, vimq; & nomen, atque auctoritatem iudicij obtinet, eoque non stare modo necesse est, sed etiam oportet, si Socrati credimus, ita historicus, si vel ignorantia, vel negligentia, vel ambitione, vel gratia, & assentatione, vel odio, & inuidia, vel quavis alia de causa à veritate discedat, historicus tamen est, non quidem verax, sed verus; neque historicorum numero excludi potest; neque illius scriptis historiae nomen est abrogandum. Perspicum igitur esse putant, historiam falsam æque vere historiam esse, atq; iudicium iniustum, vere iudicium esse. Nam quod de Epico Poeta opponitur, eiusmodi esse aiunt, vt nihil sit responsu facilius. Neq; enim veritate, ac falsitate historicum ab Epico Poeta distingui, in qua re versari magnum errorem, esse enim qui putent, ea in primis re historicum ab Epico Poeta differre, quod ille in narrando verax sit, hic mendax; illiusq; narrationem veram, huius falsam, ac fictam esse oporteat, quorum errorē aperiendum esse, neque enim historicam Epici Poetae narrationem, que vera est, ex quattuor partibus Epico Poetae necessarijs, falsam, & mendacem esse necesse est. nihilominus enim erit poetica narratio, Poetaq; conueniens, si vera, ac si falsa sit; quin etiam qui in Epicis Poetis fastigium tenent Homerus, & Vergilius veras narrationes amplexi sunt. Vere enim Troia decē annis à Græcis circumfessa narratur; item vera est Aeneæ nauigatio, verusq; in Italiam aduentus, verumq; prælium cum Turno de Lavinia nuptijs secum ambigente commissum: Vera inquam hæc sunt omnia, nihilq; ab historicorum narrationibus, à quibus sumpta sunt, discrepant. In quo ergo Epicus ab Historiographo differt? quod historiae scriptor rem simpliciter narrat, nihilq; a proposito aberrat, nihilq; à se confictum, aut extrinsecus delectandi causa petitum, quodq; à narratione alienum sit, illiusq; seriem interrumpat, narrationi insituta interponit. At Epicus Poeta, quot, & quanta Dij immortales incohate narrationi inserit, quas fabulas à se confictas, quot

iucunda

iucunda mendacia, quas Deorum consilia, quas eorumdem rixas, orationes, studia etiam partium, vaticinia, oracula, monita, spectra passim inculcat: vt minimam operis partem suscepta narratio obtineat, omnisq; ingenij, & industriae vis contenditur in re varijs ambitibus ornanda, & illuminanda, amoenisq;, ac frequentissimis fabularum diuerticulis, quas Græci ἐπισόδια vocant, distinguenda, ac veluti varij generis floribus, & coloribus pingenda. Neque vero fabulas tantummodo extrinsecus accersitas, quasq; nihil ad institutam historiae narrationem pertinent, poesi suae inserit Poeta, sed ipsam historicam narrationem fabulose contexit, cum tamen veritatem historiae non peruertat. nihil enim prohibet verum fuisse, & ex historiae petitum, Aeneæ classem seuæ tempestate iactatam, ac procellis pene obrutam, totamq; disiectam esse. quæ res cum paucis expediri potuisset, quot ambitus Dij immortales circa eam facit Poeta, quotq; fabulosis commentis illam dilatat, ac variat, cum Iunonem execrabili odio Troianis insensam facit, indignabundamq;, & exostulantem adeo numen suum sperni, vt gens capitaliter iniusta tam diu incolumis nauiget; ipsaq; inuita optato Italiae solo potitura sit; Aeolum pacta nuptiarum mercede ab illa exoratum claustra euertisse; ventos carceribus emissos; Neptunius imis sedibus excitum audaciam ventorum grauititer increpuisse, quin etiam in ipsum illorum Regem aspere inuectum, qui in aliena Ditione imperium exercere veritus non esset; neque suis se finibus cōtinuisset; ventisq; nutu Dci fugatis tempestates sedatas mareq; tranquillum factum. Eiusmodi sunt Poetarum narrationes. Neque enim id studet Poeta, vt quemadmodum Historicus narrando homines doceat, sed vt animos legentium afficiat, in illisq; in quam partem velit permouendis prima est Poetae commendatio. quare mentes hominum modo incitat, modo reflectit, animorumq; sensus modo inflammat, modo inflammatos restinguit; modo ad iram impellit, modo ad misericordiam contorquet, modo amoris flamas, modo odij stimulos suscitatur, modo gestienti letitiam animos titillat, modo ardentissimas doloris faces admonet, modo gaudium, & risum excitat, modo fletum, & misericordiam commouet, modo animos exacerbatur, modo sensu quodam suauitatis perfundit. Deniq; quantum sit munus Poetae per animos hominum sensu quodam, & per motionem peragere, quanta operæ pars sit insumenda in illis afficiendis, quemadmodum ipsos affici velit, declarauit Horatius, qui ei rei palmam dedisse videtur illis versibus.

Ille per extentum funem mihi posse videtur

Ire



„ Ire poeta, meum qui pectus inaniter angit,  
 „ Irritat, mulcet, falsis terroribus implet;  
 „ Ut magus & modo me Thebis, modo ponit Athenis.  
 Non igitur id spectat Poeta, ut audientes gestarum rerum participes,  
 & gnaros faciat, sed aurium voluptati omni verborum lenocinio, omnibusq;  
 figmentorum illecebris influit, audientiumq; delectationem, que  
 res est illi in primis proposita, omni ratione captat, tantoq; præstan-  
 tior est Poeta, quanto ad inueniendum, & fingendum natura est habi-  
 lior, atque vberioribus, & celerioribus vitur ingenij motibus. quam  
 rem in Poeta dominari recte affirmat Plutarchus. quantus qualisq;  
 Philosophus, quam acri iudicio præditus. nam neque numeri, inquit,  
 neque verborum immutationes, neque dictionis maiestas, neq; transla-  
 tionis opportunitas, neque concinnitas, & compositio tantum habet  
 blanditiæ, atque gratiæ, quantum fabulæ apte connexa dispositio. non  
 igitur id quod nomen ipsum declarat, simplex narrator est Epicus Poe-  
 ta, ut historia scriptor, sed fictor, & creator. quod nomen non tam a  
 carminibus faciendis, & creandis impositum habet, quam a fabulis a  
 se fictis, & creatis deductum. quod Græcorum auctoritate firmatur.  
 Veteres enim eos, qui rem simpliciter carminibus narrabant; carmi-  
 naq; faciebant nullis fabularum figmentis admixtis, non diuino hoc  
 Poetæ nomine dignabantur sed ἐπεικούς, hoc est carminum facto-  
 res appellabant. Tradit enim idem Plutarchus sacrificia nonnulla cho-  
 ris, & tibijs carere posse; Poesim fabularum, & figmentorum exper-  
 tem esse non posse. quare Parmenidis, & Empedoclis inuestigationes,  
 & disputationes de rerum natura, quibus addere possumus Lucretiũ  
 nostrum; item Nicandri theriaca, ac Theognidis sententiæ, quæuis car-  
 minibus conscripta poemata tamen non sunt, neque illarum auctores  
 in Poetarum numero vñquam habiti sunt, aut Poetæ nuncupati. Iam  
 vero ipsemet Poeta Epicus in initio Poematis sui sese nõ narrare, aut  
 scribere, sed canere profitetur; Musasq; proinde inuocat, quæ sibi ca-  
 nenti adsint, canendaq; inspirant. quæ preces superuaneæ plane essent, si  
 ipse, id quod facit historicus, narraret tantummodo, neque fingeret, ac  
 res crearet. quod nisi Diuino quodam instinctu, ac furore mentes Poe-  
 tarum tactæ efficere non possunt. At historie scriptori nihil necesse  
 est internum hoc lumen præferri, neque eiusmodi furore illius mentem  
 calefcere, neque rem ab ipso non inueniendam, aut fingendam, sed pa-  
 lam in oculis hominum gestam tamquam ignota illi Diuinitus subijci.  
 non igitur Musas, aut Diuinũ vllum numen inuocare cogitur. Nihil  
 in re

in re perspicua sum. cum præsertim Vergilij, & Homeri poemata, quæ  
 omnibus patent, laborem hunc mihi adimant. Patet igitur, quàm Poe-  
 ta Epicus obiectus nihil contra nos faciat. Iam vero si nulla est histo-  
 ria, nisi quæ verax est, nulla iam erit historia. Ut enim verax dici non  
 potest is, qui in multo maiore parte vitæ veritatem retinet, aliquando  
 tamen, & aliquibus in rebus ab illa discedit, ita verax historia nõ est,  
 quæ tota vera non sit, quæq; nonnumquam, & aliquibus in rebus men-  
 tiatur. at nemo vñquam historie scriptor (historias in sacris libris  
 scriptas semper excipio) non aliqua in re lapsus, ac falsus est, non mo-  
 do in causis, & consilijs exponendis, in quibus tamquam abditis, &  
 abstrusis maior est errori veniæ locus, sed in ipsarum rerum, quæ palam  
 geruntur, narratione. nullam enim rem a pluribus scriptoribus, vel  
 eiusdem ætatis, quæ res gesta est, equalibus traditam legimus, quæ nõ  
 aut tempore, aut ordine, aut modo gerendi, aut vero aliqua ex sui par-  
 te variet; in eaq; narranda scriptores inter se discrepent. quamuis de  
 re ipsa inter omnes constet. Verbi gratia Annibalem in Italiam cum  
 Punicis copijs descendisse, inter omnes conuenit. at quanta fuerint co-  
 piæ, scriptores haud paruo numero inter se dissentiunt. idem est dissen-  
 sus de copiarum numero in Africam a Scipione traiectarum. Iam vè-  
 ro in Tib. Gracchi eius, qui bello secundo Punico clarissimas res gef-  
 sit, cædæ tradenda, quomodoq; is in insidias præcipitarit, mira est scri-  
 ptorum varietas, cum tamen inter omnes constet, perfidia circumuen-  
 tum cecidisse. Eiusmodi varietatum plene sunt omnes historie. Ut T.  
 Linius, qui omnes res gestas P. R. ab ipsis Urbis initijs a cõpluribus  
 scriptoribus traditis, ac dispersas in vnum corpus redigendas; vnãq;  
 & continuatam historie seriem contexendam suscepit, in tant a scriben-  
 tium varietate plurimum negotij habeat in veritate coniicienda; iudi-  
 ciumq; suum sæpenumero interponere cogatur, quæ narratio ad verita-  
 tem propius accedat. quod iudicium, & ipsum sæpe potest labi. Quæ in  
 re alterum fieri non potest, vt plus vna eiusdem rei narratio vera sit,  
 alterum fieri potest, vt omnes falsæ, & erratæ sint; cum vna tantum-  
 modo sit veritas, vnãq; dumtaxat ad illam perueniendi, illamq; tra-  
 dendi ratio, & via; ac plurimæ, atq; adeo infinite sint ab illa aberrati-  
 ones. Quocirca alterutrum necesse esse contendunt, vt aut historiam  
 esse vllam omnino negemus, quod ne ipsi quidem, qui normæ similitudi-  
 nem excogitarunt, dicere ausi fuerint; aut quæ vera non sit, historiam  
 tamen esse.

V BERTI. FOLIETAE  
IN. FESTO. DIE. OMNIVM  
S ANCTORVM

AD. IVLIVM. III. PONT. MAX.

O R A T I O



ETEREM Ecclesie morem Iuli Pontifex Maxime sanctorum virorum, quos eximia, ac præstantes vir tutes ad beatas Diuorum sedes extulerunt, commemora tionem anniuersarijs festis diebus celebrãdi hodierno die colentes, qua nam tanta amentia vi teneri, quo ve tãto sceleris furore agitari nostrorum temporum hære ticos dicemus, vt præ nimio de sanctæ huius sedis dignitate quibuscum que rebus possunt, detrahendi studio, pium in primis vsum reprehende re, & vituperare non dubitent? Neque animaduertant viri amentis simi in sancta hac sede eiusq; institutis insectandis, quã impietatis inui dian illi student constare, eam in ipsos redundare. Etenim cum morem hunc iam inde ab ipsis Christiana religionis imitijs, atque primordijs manantem, omniumq; deinceps sæculorum vsurpatione in ecclesia re tentum ad nostram vsq; ætatem per ductum constat, tãta tamẽ isti nos, nostraq; oppugnandi cupiditate feruntur, tanto, tamq; capitali odio à nobis dissident, vt dum Romanos ritus omni ratione euertere, illosq; vel impietatis, vel superstitionis arguere cõtendunt, ne sanctissimis qui dem priscis illis temporibus parcant. Quorum singularem audaciam & temeritatem nihil est, quod nos longa oratione retundere aggrediamur, cum breuis interrogatio illos elingues reddere possit; cumq; illis laqueum iniiciat, quo si expedire se velint, magis induat. Aut enim hunc morem in primæua Ecclesia fuisse neget necesse est, aut si maxime fuis se fateantur, illum tamen ad imitationem non satis valere contẽdant. Ferrum horum dixerint, in eo vel non ferenda impudentia, vel int ole rabilis arrogantia & impietatis crimen hærebit. Nam si negent fuis se; cum innumerabilibus, & apertissimis sanctorum Patriũ testimonijs concionibusq;

concionibusq; ab illis in anniuersarijs, ac sollempnibus harum commemo rationum diebus habitis, tum omnis generis monumentis impuden tissimi mendacij conuincuntur. quod si priscæ Ecclesie auctoritate stan dum negent, hoc vero omnis impietatis caput est, fundamentum videli cet illud firmissimũ, quo Christiana veritas in primis innititur, labefa ctare, atque adeo euertere conari. Ac mihi quidem istorum amentia miranti; causamq; tantæ insanie querenti nulla alia in mentem venire solet, quã Deo immortalis lumine suo illos deserente sacrilegos homines à mente consilioq; deduci; Diuinumq; Numen immanium scelerum pœ nis quæ maximæ sunt, ab illis repetere. An illi Patres amplissimi, tot sacrilegia, tot piacula impune ferrent? Quiq; tam multa in Deum im mortalem impie, nefarieq; commisserint; eius templa sanctissima viola rint, spoliarint, euertierint, sacras aras demoliti sint; Crucem ipsam sa lutis nostræ augustissimã, signum atque arcem de suis sedibus deturba tam, afflictamq; conculcarint; Religionis nostræ sacrosancta Mystera polluerint; in Christianum sacrificium, in ipsum Christi corpus sanctis simum omnia sacrilege mentis, impuriq; oris maledicta congererint, eos putemus tam immanium, tamq; atrocium criminũ impunitatẽ diu tius fuisse habituros? Illi vero eas pœnas dant, quæ sunt eorum sce leri maximæ debita, hoc est furoris atque amentia. quibus sacrilegos homines præcipites agi; & ad iusta debitaq; supplicia rapi sinamus; nosq; ad ea, quæ sunt hodiernæ letitiæ, ac celebritatis, hoc est ad maio rum nostrorum beatissimorum hominum, quorum tam eximia in Chri stianam rempublicam extant merita, memoriam grato animo, ac de bitis laudibus recolendam accedamus. Quorũ maxima pars pro Chri stiana religione acerbissima supplicia fortissime subiit, pars Christiana veritatem hæreticorum oppugnationibus omnibus fere tempori bus tentatam numquam tamen euersam aut labefaetã præclarissimis ingenij doctrinæq; monumentis stabiluit, pars vero singularis iustitiæ eximiaq; continentie, ac ceterarum virtutum laudibus supra hominũ captum floruit. Quos ego Iuli Maxime, si verbis meis pro dignitate non satis ornaro, nihil est, quod meam aut ingenij tenuitatem, aut ora tionis inopiam excusam, cum clarissimorum, beatorumq; hominum Di uina virtus humani ingenij vim magnitudine sua tantum exuperet, vt nemo sit tantis naturæ, atque industrie præsijs instructus, qui tanta rum rerum gestarum gloriam, tanta tamq; innumerabilia, ac supra hu manam facultatem, & consuetudinem omnium virtutum edita exem pla non modo oratione se consequi speret, sed admiratione omnino va-

leat aquare. Illud igitur in hoc mihi apud te Iuli Maxime, atque in augustissimo hoc totius orbis terrarum sanctissimoq; loco dicendi imposito munere iure letandum esse video, quod de eorum virorum laudibus mihi est dicendum, in quibus si defecero, non tam copiam mihi, aut ingenium defuisse, quam rei magnitudine oratoriam facultatem superari sit existimandum; neque tã imbecillitas mea sit vituperanda, quam communis humani ingenij exiguitas agnoscenda. Sed antequam de sanctissimis viris dicere incipio, pauca mihi de Christiana reipublica dignitate necessario sunt dicenda, quam rem in veterum more positam fuisse animaduertimus. neque enim laudes clarorum virorum, quorum in republica gerenda virtus, & industria excelluissent, unquam fere orationibus suis persequi aggrediebantur, quin dignitatem quoque reipublica, in qua illi essent cum laude versati, simul complecteretur; magnum inde videlicet cumulum hominum gloria, quos laudandos susceperant, accessurum arbitrantur, si docuissent, eam illos gessisse rempublicam, a cuius eximia dignitate non minorem ipsorum memoria acciperet splendorẽ, quam quãtã ipsi præclaris virtutibus suis, atque egregijs facinoribus illi tribuissent ornamenta. Qui mos eo magis nobis seruandus est, quod rempublicam omnium, quæ unquam fuerunt, optimã & præstantissimam habemus. Quæ res facile apparebit in singulas res, quibus hominum communitates commendantur intuenti. Ego enim sic statuo in rerum publicarum, atque in omni humane societatis dignitate ponderanda, quattuor in primis spectari oportere; primum finem, quem propositum habet, tum initia & conditorem, tertio loco leges, & instituta, quibus temperata est, ad extremum incrementa, rerumq; gestarum gloriam, & magnitudinem. Quas res si quis secum singulas reputare voluerit, facile intelliget, Christianam Ecclesiã ceteris omnibus Ciuitatibus, atque hominum comunitatibus, quæcumque omnibus ætatibus fuerint, dignitate infinito quodam interuallo antecire. Atque ut finem primum consideremus, qui in rebus gerendis principium est, cuiusq; vis in omnia quæcumque in hominũ actionẽ cadit, ita in fluit, ut ab eo res speciem accipiant, planeq; conformentur; quis negauerit Christianam rempublicam altissimum dignitatis gradũ obtinere? Nam cum ceteræ omnes reipublica, & societates ad humanum aliquod bonũ referantur; huiusq; vitæ angustissimis spatijs terminentur, longe altiora spectat Christiana professio. Cælestem enim Patriam, vitamq; illam immortalem, & æternam cum Deo ipsa degendam propositam habet. ut quantum cælum terris, cumulatissimãq; illa honorũ detractis malis

omnibus

omnibus complexio, perfectaq; beatitudo humilibus his, & terrestribus rebus præstat, tantũ Christianæ religioni, ex qua vna ad tam beatæ vitæ statum hominibus gradus fit, reliquæ humane societates fluxi, & caduci boni causa constituta concedant, quod beneficium cum per se illud est, quo nullum a Deo immortalis aut habere, aut expetere homines possint maius, tum alio prope non minore cumulatur. Neque enim ad summam, & sempiternam beatitudinem iter tantummodo nobis communiuit Christiana religio, sed ex horribilibus mortis, atque orci faucibus nos extraxit, atque eo ex loco, quo nullus in miserijs esse possit inferior. ut in eadem religione & beatitudinis, & salutis firmissima sint collocata præsidia, quæ res nobis silẽtio nullo modo est prætereunda, dabisq; veniam Iuli, si in salutis humane ratione explicanda paullo longior fortasse videbor, atque in hoc loco, quo nullus tota in Theologia vberior est aut ornatior, paullo diutius immorabor. ex eo enim Christianæ Ecclesiæ dignitas in primis elucet, quæ tam infinita beneficia: tamq; immensa bona mortalibus attulerit. Premebatur igitur teterrimo seruitutis iugo humanum genus, cælestiq; Patria extorere in luctu & in squalore iacebat primorum parentum inconsulta temeritate in tam miserabilem statum præceptum datum. Nam Dei immortalis similis homo creatus, Diuinaq; imagine in illius formã expressa, ac iustitia in naturam insita, omnium præterea creaturarum rerum moderator, ac Dominus; ad hoc æternæ beatitudinis particeps factus placidum, ac tranquillum, beatissimumq; vitæ cursum initio agebat nullis aut animi perturbationibus agitatũ; aut corporis morbis obnoxius, aut externis molestijs infestus; sed contra omni voluptatum, ac incurritatum genere circumfluens, admirabili rerum scientia, & cognitione præditus; omnium denique honorũ complexione cumulatus; ad extremum interitus quoq; expertus. Ceterum cum illecebræ consortis mulieris astu insidiatoris serpentis circumuentæ Adamum in tam irrevocabilem casum præcipitem egissent, ut Diuini imperij præscriptum negligeret, interdicitq; arboris pomis vesci non dubitaret, continuo iustitiæ ordine perturbato, ac vinculo, quo omnia inter se apta erãt, perfracta miserabilis omnium rerum conuersio facta est; homoq; ex altissimo dignitatis gradu ad infima præcipitatus. Obedientia enim, quam creatori Deo debebat perrupta vsu ipse imperij in ceteras sibi subiunctas res iure priuatus est. Ac primum cælestis Patriæ aditu (quod miserarum caput est) perpetuo est exclusus. Deinde sensuum vircs animiq; per motiones rationis imperio natura subiuncta, rebelles, ac contumaces factæ

omnia

omnia vincula perfregerunt, bellumq̄, intestinum excitantes rationem contra constrictam tenere cœperunt. Indomitis igitur cupiditatibus mortalium genus rapiendum, ac lacerandum innumerisq̄, angorū moribus perpetuo conficiendum relictum erat. Ad hoc cœli iniurijs, & multiplici morborum, ac contagionum generi, immaniumq̄, bellarum seuitiæ expositum manebat. Nec a cœlestibus modo sedibus homines procul amadati sunt, sed ex loco omnibus amœnitatibus refertissimo, in quo illos collocauerat Deus, exturbati omnibus ornamentis spoliati, omni ope nudati; omni præsidio deserti; omni solatio destituti; quin etiã terra, & ipsa rebeli facta alimenta subtrahente, omnium rerum inopia laborantes inter omnia inimica, atque infesta sempiternæ morti, ac perpetuorum hostium seruituti obnoxiam ætatem agebant; nullumq̄, erat a tantis calamitatibus in vlla condita re perfugium, cum præsertim ad labem humanæ naturæ totiq̄, posteritati conceptam delendam nihil esse præsidij in veteribus sacrificijs, aut in Mosaicæ legis obseruatione vsu compertum esset. Qua re fiebat, vt in comparatione cum ceteris animantibus maxime omnium miserabilis esset humanæ cõditio. Quid enim proderat animam præ ceteris rationis, & intelligentiæ participem accepisse, cum a Dei immortalis conditoris sui cognitione, quæ res est huic ipsi intelligentiæ in primis proposita, altissimis ignorantia tenebris prohiberetur? Cum præsertim Philosophorū somnia ad hanc explicatam Dei notitiam assequendam maiores potius tenebras indies offunderent, quàm quidquam lucis afferrēt. Aut quid humanam miseriam leuabat, tanto studio ad tam varias artes, quibus orbis terrarum distinguitur, & ornatur, manus, & ingenium excouisse, cum omnia tantorum laborum, tantæq̄, industriæ opera breuissimo æui spatio essent fruenda? aut quid imperio in belluas, ceterasq̄, conditas res (quæ res præcipuam hominis dignitatem dum mortalem vitam agit, continere videtur) subnixi ambularent homines, cum ipsi durissimam seruitutem hostibus suis seruirent? Animorum vero immortalitas; cœlestisq̄, natura, quale quantumq̄, Diuinæ bonitatis beneficium, an non in malum humano generi vertebat, quippe quod beatis sedibus ciectum eternis tenebris, ac supplicijs esset mancipatum? Quom statum Deus O. M. tandem miseratus opem ferre decreuit, humanumq̄, genus tantis malis oppressum, atque afflictum, aliquãdo subleuare. Neque enim pati diutius potuit paternus illius in homines amor, infinitaq̄, bonitas, vt quos cœlestibus spiritibus prope pares, atque ad Diuinam imaginem formarat, eos sempiterno carceri cū sceleratis spiritibus, quos

ob execra-

ob execrabilem superbiam e cœlestium cœtu exterminarat, & ad æternas tenebras cruciatusq; præcipitaret, esse mancipatos. Hoc consiliū haud plane cœlatos esse homines voluit; sed illius notitiam quamdam iam inde ab initio humanis mentibus insinuauit, non illam quidem satis explicatam aut perspicuam, sed adumbratam, & obscuram, atq; vsq; eo dumtaxat, quo homines ne plane animum desponderent. Quid enim pateretur Diuina clementia homines quauis paternæ culpæ offensione grauiter inuisos omni spe orbatos viuere? Quorum potius fiduciam vt confirmaret, non lumine tantummodo mentibus præferendo illorum spem alebat, sed sacrificijs quoq; circumcissione, reliquisq; veterum institutorum sacris, & ceremonijs tamquam certioribus pignoribus signisq̄, aptioribus hanc illorum expectationem voluit esse consignatam. Qua expectatione & spe ne homines diutius frustrarentur, cum dies æterno consilio præstituta tandem venisset, quod se facturum tot sanctorum hominum vaticinationibus prædicarat; tãq; multis mysterijs significarat, tandem edidit. Nam filium suum in Diuino Numine secundam ordine personam, atque ex omnibus partibus parē sibi in terras misit, qui Diuinam naturam nulla ex parte deponens humanam carnem, humanam animam præditam sibi assumpsit; verusq; Deus remanēs verum hominem est indutus. Neque vero primæui criminis delendi vllum fuit aliud expeditius iter. Tantam enim vim, tantamq; necessitatem ea culpa habebat, vt cum ad totam posteritatē, vt dictum est, permanasset; in eaq; penitus insediisset, nullius hominis polluto sanguine posset expiari. Neque rursus iustitiæ ratio ferebat, cum homo crimen illud ipse admisisset, pœnas illius temeritati debitas alieno supplicio lui. Deus igitur cum homine coniungendus fuit; admirabilisq; Diuino consilio factum est, vt duæ hæ naturæ in vnâ personam conuenirent, cuius duplex vis, & quod humanam imbecillitati dcerat, Diuina virtute suppleto, & quod ab homine ipso iustitia repetebat, humano ministerio persoluendo munus hoc perfecte, cumulateq; sustineret. quæ coniunctio spiritus sancti terriæ in Diuinitate persona virtute facta est. Cuius influens vis in virginali Mariæ aluo Diuinam personam humanam Naturæ copulauit, veraq; vnitatem vtramque inter se coniunxit. Deus igitur homo factus supplicio, quod grauissimum pertulit, pœnas humano generi debitas persoluit, terra seruitute homines liberauit; aditum ad cœlestem Patriam ad illum diem obstructum patefecit, iter ad beatitudinem communiuit; Christianamq; Ecclesiam fundauit, Igitur (quæ altera fuerat Rerum publicatū commendatio) Dei ipsius

ipsius filius Patri numine, potestate, aternitate, reliquisq; ex omnibus partibus par Christianæ Ecclesiæ auctor, & institutor fuit. Quod si in dignitate rerum publicarum æstimanda tantum in auctore ponebat antiquitas, ut originem suam atque primordia ad commentitium aliquem Deum unaquæque fere paullo illustrior Civitas referret, quod ex auctoris dignitate aliquid in posteros commendationis permanere arberetur, quæ gens in pari huius rei cum Christianæ Ecclesiæ commendatione versatur, quæ Christi hominis veri, Dei sanguine sit fundata? Sed (quod deinceps in rerum dignitate perpedenda sequebatur) non minorem splendorem Christianæ Ecclesiæ conciliavit legum, & institutorum præstantia. In qua re tantum ceteris gentibus antecellimus, quantum ceteris Legumlatoribus præferendus est Legislato noster Deus. Ceteræ enim leges id fere vitij omnes habent, ut in exterioribus hominum actionibus regendis, & moderandis tota fere sint occupatæ; de interioribus vero partibus formandis (quod Legumlatorum præcipuum munus est) non valde sane laborent. Ita fit, ut appetendi, irascendiq; vires nullis præceptis aut institutis assuefactæ vehementissimos impetus habeant, quæ nullo possint legum præscripto prorsus coerceri, nullisq; preceptorum frenis constringi, sed libidinum, & cupiditatum ardentissimis æstibus inflammata ferantur. qua re fit, ut talibus legibus ducibus homines neque iustitiam aut ullam omnino virtutem colere, neque pacem, & concordiam (quam rem leges in primis spectare videtur) inter se possint perfecte tueri. At Christianæ legis vis in interiore homine formando in primis exprimitur. Qua re fit, ut pijs moribus mens imbuta sanctisq; habitibus plane conformata nullis interioribus permotionibus extra officij fines prouehatur. Talibus institutis Christiani homines ad omne virtutis genus formati ij exitere, ut illorum fortitudo, continentia, iustitia, innocentia, mansuetudo, animi magnitudo, rerum humanarum contemptus illis ipsis acerrimis Ecclesiæ oppugnatōribus admirationi fuerint. quippe qui maioribus nostris vita ab omni cupiditate disjuncta, ab omniq; vitiorum labe pura, atque integre, ac cum omni officij religione coniunctæ amplissima sepe, ac clarissima dederint testimonia, clarissimisq; verbis confessi sint, futurum fuisse, ut optime cum humano genere ageretur, si omnes homines instituto Christianorum viuerent. qua laude, quam ab ipsis hostibus nostris veritas sepe expressit, nihil esse potest firmitus ad morum, & institutorum Christianorum sanctitatem comprobandam; omnibusq; gentibus præferendam. Atque ego nunc Iuli Maxime de Christiana lege,

ut certa

ut certa præcepta habet, quemadmodum ceteræ leges, quibus homines ad iustitiam, fidem, pacem, concordiam, ceterasq; virtutes diriguntur, ita adhuc loquor. illa quæ in ea longe sunt præstantiora; quæq; nullam cum ceteris legibus similitudinem, aut comparationem habent, & quæ neque vllis præceptis continentur, neque vllis sunt tabulis, aut scriptis cõsignata, in presentia ommitto. Vera enim ac præcipua Christiana lex est Diuini spiritus gratia, quæ fidei virtute in hominum mentes influit, cuius beneficio cum Deo ætissimo necessitudinis vinculo coniungimur: Diuinitatisq; participes plane efficiamur. Verum ego hæc, ut dixi, tamquam ceteris gentibus ad percipiendum obscuriora in presentia omitto. Extrema fuerat rerum gestarum magnitudo, & gloria. In qua re qui populus, quæ civitas, quod regnum, quod denique Imperium Christianæ Ecclesiæ non longe primas tribuat, quæ totum fere orbem terrarum, cunctos Reges, ac populos, ipsum denique Romanum Imperium circiter trecentorum annorum spatio Ditioni suæ subiunxerit; finesq; Romanos supergressa in luge remotissimas Regiones se superfederit; at que in extremam Indiam, Aetiopiam, septentrionalem plagam penetrarit, ac non modo ceteri Reges, ac populi, sed Romani ipsi verum Domini Imperatores humi abiecti Christianorum Pontificum pedes demississime sint osculati? Quæ victoria ut nihil est ad gloriam insignius, ita maiorem prope, quam ipsa victoria admirationem habet vincendi ratio. Quod facile apparebit, si quis ad ea, quæ dicturus sum, mentem, & cogitationem conuerterit. Nam cum multa sint via homines in nostram sententiam traducendi, vel etiam si verbis nostris fidem non habeant; neque ijs assentiantur, ad nostram tamen voluntatem adiungendi, ut etiam quæ minus probent sequantur tamen, non modo nullam earum præsci illi Heroes, quos Christus ad caelestem hanc legem toto orbe terrarum disseminandam legauit, institerunt, sed contrarias plane rationes, ab omniumq; sensu, & natura abhorrentes, ab omniq; intelligentiæ vi remotas ingressi sunt; ijsq; rebus omnes gentes, & nationes, quas adierunt, ad nomina in Christianam religionem, & militiam danda adduxerunt, quæ eas debuerunt ab illa longe deterere. Principio cum ad asserendum verbis nostris præbendum homines aut ratione compellantur, aut auctoritate moueant, Deus immortalis, quæ absurda, quæ rationi repugnantia auctores nostri docere videbantur. Quid enim absurdius, quid ab omni sensu intelligentiæq; vi magis abhorrens videri poterat, quam Deum hominem factum? eumq; unum esse humano generi salutis auctorem, & largitorem; præterea neminem, qui ipse se à cruciatibus,

L supplicijs;

supplicijs, interitu seruare noluisse? Beatitudinis spem in egestate, miserijs, erumnis, vexationibus, turpissimo mortis genere positam esse? cum tamen nihil horum ratione planum facerent, auctoritas vero, quae esse poterat in ijs viris, qui obscuro loco orti, nullis opibus fulti, nulla doctrina commendati, nulla eloquentia instructi, quosque nemo rectis recipiebat, sed omnes respuebant, aspernabatur, oderant, quique sumis atque infimis iniisi, et despecti, a Magistratibus tamquam malefici exagitati et supplicijs affecti, errantes, et profugi in luctu, et squalore totum orbem terrarum peruagabatur? ijs ne hominibus, ac tam absurda predicatibus homines assentirentur? aut eorum orationem non modo animis sed auribus admitterent? Iam vero ea circumspiciamus, quae et si assensum ab intelligentia vi non exprimunt, homines tamen, ut ea quae minus probent, sequantur, inducunt. hoc autem pluribus de causis faciunt, vel vi adacti, vel metu mali subacti, vel ingentium praemiorum spe inducti, vel opum, aut honorum, aut imperij ostentatione impulsu, vel voluptatum illecebris attracti. Haec fere sunt, quae homines inducere solent, ut ea a quibus ratio illos reuocat, sequantur tamen, alicuique disciplina, quam minus probent, se se applicent. At in Christiana lege suscipienda totum contra fuit. Nam quam tadem vim afferre; quaeue sui formidinem iniicere cunctis gentibus, ac nationibus, si denique Romano Imperio possent homines nullis opibus muniti, nulla potentia sobnixa, nullis cognationibus circūsepti, nullis nervis firmi, nullis praesidijs fulti, sed contra omnium hominum contumelijs, et iniurijs expositi, et obnoxij? aut quas opes, quos honores, quae Regna ceteris largirentur homines in summa ipsi rerum inopia versantes? quin contra clarissimis verbis vulgo predicantes, si quis Christianam legem, ac perfectam, et absolutam pietatem profiteri vellet, ei ijs ceterisque omnibus rebus, quae animum iucunditate, et sensuum voluptate perfundunt, esse carendum; omnesque res illis contrarias amplectendas; ac pro opibus egestatem, pro honore contumelias, ignominiam, hominum contemptum, pro Regno summam animi demissionem, atque humilem et infimum fortunae gradum; pro voluptatibus labores, ieiunia, erumnas, verbera, cruciatus vltro appetendos, mortem denique ipsam alacri animo oppetendam. Quae res cum ex omni saeculorum memoria numquam sint audite; cum ab intelligentia vi tam longe sint remotae; cum a communi sensu tam vehementer abhorreant, necessariam confessionem vel ab iniuitis exprimunt, Diuinam hanc esse legem; Diuinamque occultam vim illi inesse, qua mentes hominum tactae ad demissam caelo religionem accipiendam

piendam palamque, profitemendam, seseque, pro illa deuouendos impellerentur. Paucis his de Ecclesiae dignitate breuiter perstrictis superest Patres, ut ad clarorum virorum, qui in ea floruerunt, laudes, quod est institutum orationi in primis propositum, accedamus, ab ijs initium facientes, quibus dignitatis primae omnium consensu merito tribuuntur. Nemo igitur aut cum hoste valentiore vllum vquam populum contempsisse, quam Christianum cum omnium florentissimo Romano Imperio; aut Romanos ipsos in vllam vquam gentem atrociores extitisse, quam in Christianum nomen. ceteros enim populos satis habebant, si victos bello imperio suo subiungerent, ac leges accipere retractates cogerent. Idque summopere laborasse videntur, ut non minora in victos mansuetudinibus suae, quam bellicae virtutis exprimerent monumenta. At Christiani nominis numquam victoriam, sed semper internicionem per acerbissima supplicia quaesierunt. Age mentem nunc, et cogitationem ad Christianos homines conuertamus, ac cum animis ipsi nostris contra reputemus, quibus illi armis tantis opibus resisterint, easque ad extremum superauerint. quo et victoria appareat mirabilior, et virorum, quorum memoriam celebramus, virtus sit insignior. Cruciatibus, quos maximos crudelitas edere potuit, perferendis, morti sese sponte offerendo egregiam hanc victoriam maiores nostri pepererunt. Quorum cruciatuum, ac suppliciorum ingens multitudo, atque acerbitas adeo fortissimorum hominum animos atroci, horribilique aspectu, atque perpeffu numquam fregit, ut non modo incitatum religionis ardorem non reprimeret, sed contra studia excitaret: cum se penumero ipsi tortores in crudelissimo ipso munere lacerandorum hominum, ac necandorum administrando Diuino numine repente correpti sese quoque Christianos esse clamarent, quosque, alteri offeriebant supplicia, ea ipsi sponte subirerent. Qua in re id assequabantur hostes nostri, ut pro vno Christiano, quem excruciatum necabant, complures subito excitarentur, ut in Christianorum cruore vis seminis inesse videretur, quod terrae mandatum vberimos hominum Christo nascentium fructus ferret. Itaque tam diuersa a reliquis hominibus vincendi ratio, cum ceteri hostibus interficendis aut capiendis victoriam pariant, Christianis suis supplicijs victoria constet, apertissimo est testimonio, neque victoriam vllam admirabiliorem vquam fuisse, neque in fortitudinis laude vllam gentem posse ad maiorem nostrorum gloriam aspirare. Nam qui in acie discrimen vitae subierint, multos quidem de suis hominibus complures populi proferre possunt. Sed non magnam fortitudinis laudem ea videtur res



habere. Nam proelio commisso hominum mens pugna ardore veluti a se abducta non satis habet ad se se colligendum spatij: ut periculi magnitudine animo agitata, ac metu in consilium adhibito deliberare secum possit, adeundum ne illud periculum sit, sed impetu quodam preceps fertur; neque fere quisquam est, qui non potius mortem se hosti oblaturum, quam se ipsum in acie casurum speret. Tot præterea hominum milium, quibus exercitus consistat, discriminis societas veluti periculi partitio quedam magnam habet timoris alleviationem. mutua namque ope sese tutos confidentes aduersum a se casum unusquisque spe propulsat, & ad socium delegat. cumq; certe in tanta multitudine e cæde complures elabi necesse sit, nemo fere est, qui non ex ijs sese fore confidat. Quo fit, ut ex ea re, quæ certam mortem non ostendat, mortis contemptus in hominibus colligi non possit. siquidem multos videmus nullum in acie timoris signum dedisse, quos si ad tribunal constitutas, illisq; haud dubiam mortem denuntias, abiecto animo repente concidere. Qui vero ad tormenta, & ad certam mortem constanti, intrepidoq; animo rapiunt; quem nullæ tortoris, aut carnificis formidines labefactant; qui cum nulla vitandi supplicij spes ostenditur, propositi tamen retinentes est, hunc dicere possis veram fortitudinis laudem assecutum. At eiusmodi homines tres, aut quattuor apud singulos populos vix possis nominare, cum de Christianis plus decies centena millia proferantur, quos tormentorum horribilis aspectus, atque permissio nihil commoueret; qui extremi supplicij certissima, atque ante oculos posita expectatione non deficerent, qui eculei, qui ferræ, qui candentium laminarum atrocissima specie non debilitarentur, sed omnes terrores, omnes acerbitates, omnes cruciatuum faces, omnes dolorum morsus virtute prosternerent. Neque vero tantæ virtutis admiratio solis viris, ijsq; confirmata iam ætatis terminatur, quibus ad tormenta perferenda quamquã humane fortitudinis vim acerbitate sua longe superabant, aliquid tamẽ opis in ætatis, & sexus robore fuisse suspicemur, sed femina quoque & imbecilli pueri in præclaro hoc agone sancta emulatione pariter, fortitudinis laude cum viris certant; cum non modo eadẽ omnia tormẽta, quæ viros subiisse rettulimus, teneræ virgines in corporibus suis constantissime sint perpassæ, verum etiam (quod pene fidem habere non videtur) matres ipsæ natos suos atrocissimis cruciatibus lacerari non modo intrepido animo inspicere, sed eos etiam vltro hortarentur, ne animo deficerent; neue tormentorum stimulis victi Christi fidem negarent, sed cruciatuum faces patienter ferrent. Quin etiã de nonnullis memorie proditum

proditum est; cum audissent in alia Urbis parte in ceteros Christianos seniri, ipsæq; latendo, ac dissimulando immanissimam Tyrannorum rabie effugere possent, latas accurrisse, paruulosq; natos suos ad eadem acerbitates subeundas secum duxisse; neque aut materna indulgentia, aut miserentium ministrorum monitis ab inflammato studio abduci, aut retardari potuisse. O eximiam, ac supra hominum captum maiorum nostrorum virtutem, o nullis cum gentibus conferendam fortitudinem, verberibus ad necem cædi, interiorẽ virtutem non contenti; tormentorum vi, ac magnitudine vires corporis torqueri; virtutẽ animi non debilitari: ardentissimo igne corpus cremari, charitatis ardorem non consumi; à fera bestia corpus laniari, virtutem nõ distrahi; intestina auelli; à constantia, propositoq; non abduci, toto corpore laceari, animo nõ frangi; natorum euulatus audire, cruciatibus inspicere; maternum animum non inflecti. Ut ego mihi optarem, tantarum rerum, tantæq; fortitudinis gloriæ parem orationis copiam, ac facultatem dari. Profecto illis commemorandis, atque extollendis nullo unquam labore aut satietate defatigarem. si modo laus hæc tota fortitudinis est existimanda, ac non maiorem in ea partem obinet charitas. nam & si tam multa illa admirandæ virtutis exempla a fortitudine edebantur, eadem tamen à charitate imperabantur. Neque enim fortitudo ipsa suis satis viribus constare potuisset charitatis opibus destituta. Quæ virtus veteribus plane ignota, ac Christianorum hominum propria cum in ceteras virtutes ita influat easq; conformet, ut sine ex ne virtutis quidem perfectæ nomen vlla earum possit obtinere, apparet tantarum laudum societatem non modo cum charitate esse communicandam, sed maiorem partem charitati esse tribuendam. Sed fortium virorum in Christianam rempublicam merita, quamquam infinita sunt, nullaq; vel longissima oratione satis unquam laudata, non tamen nos hoc solo studio ita conuenit efferrı, ut silentio prætereamus immortalia beneficia, quæ Christiana Ecclesia ab ijs viris non minora prope accepit, qui in ea omni litterarum, & ingenij gloria floruerunt. Nam ut externis vexationibus Christiana Ecclesia in primis exercita fuit, atque infesta, ita domestica illius res non magis quietæ, ac tranquilla fuerunt. Neque enim vlla unquam gens magis ex intestinis discordijs laborauit, quam Christiana veritas hæreticorum seditionibus omnibus ætatibus iactata fuit, & exagitata. Verum ut aduersus externos hostes Diuinus spiritus Christianam causam ingentibus fortium virorum animis armauit, qui tormentis constantissime perferendis,



perferendis, qui morte fortiter oppetenda, qui sanguine profundendo Christiana Ecclesia veræ religionis testimonium dederunt, unde est illis Martyrum ductum nomen, ita aduersus hæreticorum dissidia, & oppugnationes non imbecillioribus opibus Christianam veritatem communiuit. Quamplurimos enim doctos homines excitauit, qui impia dogmata firmissimis rationibus refellerent, qui in Diuinarum, ceterarumq; magnarum rerum scientia, & doctrina tantos progressus habuerunt, vt in eorum gloria Philosophorum nomen à Christiano splendore sit obscuratum. Nam cum sapientiæ studio summæ illius veritatis hoc est Dei immortalis cognitio sit proposita, quousque tandem tantis disputationibus, tam multis questionibus, & controuersis, tanta denique contentione in hac inuestigatione processit Philosophorum labor, ac studium? aut ad quem scientiæ gradum in Diuinarum rerum notitia tandem peruenit? Vt enim omittam vetustiores illos, qui de Deo, ac primo rerum principio tam varia tamq; absurda locuti sunt, tamq; in ijs rebus errantes & vagas opiniones habuerunt, vt de suo vnusquisque capite Deum fingere videtur; ac cum Poetis certare, plures ne illi de Dijs fabulas attulerint, an plura ipsi de Diuina Natura somnia commenti sint, cū alius Diuinum numen rerumq; primordia ad ignem aut elementorum aliquod referat, alius in casu fortuitoq; atomorum concursu principia rerum ponat, alius etiam (si Deo placet) discordiã Deum faciat, alius alia delirameta loquatur, que singula persequi haud sane est operæ pretium, tum quod eiusmodi somnijs ac nugis risum potius hominibus commouere, quam vllam voluisse doctrinam tradere videri possint, tum quod tribus ijs libris, quos aduersus Philosophos scripsimus, satis est a nobis Philosophiæ studium exagitatum atque reprehensum. Vt igitur eos omnes omittam, Quidè Paripatetici ipsi, qui Aristotele Duce, ac Magistro de naturalibus Diuinisq; rebus paullo ad veritatem propensius disputarunt, quidquam magnum aut amplū de Deo ac prima rerum causa nobis, attulerunt? aut quidquam in ijs rebus stabilis certæ scientiæ comprehendunt? Quantis in æstuationibus Deus immortalis, quantis in angustijs, quantis in controuersijs atque inter se varietatibus cum ad sublimia hæc inuestigationem adiungunt, versantur, quam pauca, quam parua, quam exilia de rebus Diuinis assequuntur: eaq; quam incerta, quam parum explicata, quam euersu facilia tradunt. At Christianorum hominum splendida ingenia Diuino spiritu lumen præferente quam multa, quam magnifica de Diuino numine, de eius essentia, de sapientia, de libera voluntate, de personarum ma-

natione

natione ac distinctione, de rerum creatione atque primordijs, de æterna providentia, de animorum natura, & immortalitate, de summa beatitudine, deq; alijs innumeris ac præclaris rebus sunt affecti, earumq; rerum quam stabilem, quam constantem, quam perspicuam doctrinam tradiderunt: Quantis denique ex errationum tenebris Diuinarum rerum cognitionem eduxerunt: atque in apertissima veritatis luce collocarunt; vt pueri & ancilæ nostræ maiorem & perfectiorem de Diuinis rebus, eamq; minus errantem, magisq; explicatam notitiã habeat, quam veterum vel doctissimi habuerint. Neq; vero tantarum rerum sola cognitione & scientia, aut nuda simpliciq; traditione contenti fuerunt maiores nostri, sed easdem litterarum monumentis ita commendarunt, vt nullum doctrinæ studium, aut maiore rerum copia, & varietate, aut sublimiore disputandi ratione; aut pluribus orationis ornamentis, maioreq; verborum, & sententiarum splendore fuerit vquam tractatū. Neque enim (vt ceteros innumerabiles omittam) in Nazianzeni oratione Demosthenis sonitus aut fulgura desideramus, neque Chrysostomus non beatissima illa copia, & vbertate, omniq; exornationum, & amplificationū genere Ciceronem nobis expressit, Romani vero Leonis Diuinæ summæq; dignitatis plenæ breuitati verborum numerum sententiarum multitudine, & pondere prope separanti quem tandem de æternis æquabimus? Atque in Doctorum hominum laudibus quamquã infirma sunt, tamen longiores esse non debemus, tum quod Diuinis litterarum monumentis sine cuiusquam oratione nomen ipsi suum immortalitati satis commendant, tum quod temporis angustia nos cogunt aliquem tandem orationis modum facere. Cum præsertim eorum virorum memoria silentio non sit prætereunda, quos video instare, quorumq; infinita turba me iam dudum sentio urgeri. ij sunt beatissimi illi viri, qui tantis continentis, atque iustitię laudibus floruerunt, vt in eorum virtute Christianorum gloria ceteras omnes nationes quarumq; in ijs laudibus nomen paullo clarius extet, infinito interuallo superarit. Nam cū continentis vis in duas sese partes fundat, vt & a voluptatum illecebris, & ab opum cupiditate corpus & mentem integram serues, quæ gens Christianis hominibus erit æquanda, si cogitare voluerimus pro tribus, aut quattuor, quos vnusquisque populus proferre possit, quorum fuerit extellēs in ea laude præstata, innumera apud nos hominum millia extitisse omnibus continentis partibus cumulatorum? cum illud satis constet, eum morem pluribus sæculis viguisse, vt multo maxima hominum pars omni re sua in commune collata, eiusq; distributione sacerdotibus,

tibus, qui Ecclesijs præerant, permissa in solitudinem ipsi concederent, ibiq; tenui victu contenti non modo omnem atatem ab omni cupiditate disiunctam, atque ab omni auaritia, & voluptatum contagione puram, atque integram agerent, sed lege quoque sibi ipsi, & voto earum rerum libertatem præciderent. Cumq; iustitiæ laus, & vis in eo versetur, vt sua vnicuique tribuamus, neque quemquam per iniuriam lædamus, quis vtraque in re huic virtuti propior fuit, quam ij viri, qui rebus ipsi suis sese sponte priuarint, ne dum illi aliena auferrent, quiq; ab inferendis iniurijs tantum semper abfuerint, vt in illis potius perferendis præcipuam Christianæ professionis laudem constituerent. Ac de beatorum hominum virtutibus quamuis non satis pro dignitate dictum sit, neque vero dici possit, tamẽ breuitate temporis cogimur paucis his esse contenti. Sequitur vt de præmijs nonnihil attingamus, ac quam breuissime videamus satis ne tantis laboribus, & vexationibus tantisq; cruciatibus, ac supplicijs digna merces sit reddita. Illa vero tanta est, vt non modo nulla oratione possit demonstrari, sed omnem humane cogitationis vim effugiat. vt prope nihil mirum sit, maiores nostros in laboribus exantlandis, in periculis adeundis, in terroribus non formidandis, in minis despiciendis, in vexationibus non recusandis, in erumnis non expauescendis, in supplicijs perferendis, in morte denique contemnenda ceterorum hominum virtutem tam multis gradibus superasse, cum ex iisdem acerbitatibus sibi ad ea præmia gradum fieri intelligenrent, quæ omnem comparationem infinito intervallo antecedant. Quid enim opes, quid potentia, quid gloria, quid Regna, quæ omnia tantis laboribus, ac sudoribus, tam multis discriminibus atque periculis homines consecretantur, veri, ac solidi boni habent? aut quid ad mentis tranquillitatem, atque ad hominem beatum faciendum omnino eæ res valent? ad quas si quis tandem peruenit, tantas in illis tamq; turbulenta molestiarum tempestates, tantosq; solitudinum æstus offendit, vt nihil aliud se tam multis curis, ac vigilijs, tantaq; animi contentione quæsisse intelligat, quam vt negotij vim sibi pararet, & quidem longe molestiorem, quam illa ipsa incommoda, quæ pro ijs rebus assequendis susceperit. De nominis vero post mortem memoria laborare, est eiusmodi, vt non satis queam ea in re admirari mortaliū leuitatis plenam stultitiam, quos eius rei cura torqueat, qua nulla fingi possit inanius. quid enim ad hominẽ huius vite sensu omnino carentem pertinere potest, omnium sermone celebrari? aut quem omnino ex ea re sensum percipere potest is, qui de viuorum numero

mero penitus sit sublatus? A tam fluxis, tam caducis, tam inanis, tam falsis bonorum imaginibus longe non solum magnitudine, sed etiam genere differunt Christi norum præmia. Nam nullo atatis spatium terminantur, sed sunt cum virtute infinita, tum duratione eterna. In infiniti enim illius boni, hoc est in Dei ipsius fruitione posita sunt, quæ res perpetuum humane mentis, ac voluntatis motum, & agitationem infinita virtute sua tandem sistit. Nam cum in Deo Optimo Maximo perfecta sit omnium bonorum detractis malis omnibus, & infinita complexio, omniumq; beatitudinum plenissimus, & infinitus cumulus, sit, vt in eius cognitione, & amore humana intelligentia, ac voluntas plane acquiescant. Neque enim Diuinam essentiam per effecta, aut coniecturas, aut vero per fidem cernunt, sed apertissima visione intuentur, in qua cum bonitas infinita sit, infinitas sui in contemplatione voluntatis excitat cupiditates, mutuaq; charitate homines complectens facit, vt totum ipsum Deum homines possideant, ætissimiq; amoris vinculo cum illo coniugantur, atq; in Deum ipsum commutentur, Diuinæq; naturæ participes fiant. Sed quid ago? eam ne rem verbis demonstrare aggredior, quæ ne cogitatione quidem possit adumbrari? Quare illius declaranda, quod fieri non potest, cogitationem omittamus, atque ad eam assequendam, quæ res facultatem habet, totum animum conuertamus. Una autem est ad eam perueniendi via, si maiorum nostrorum fortitudinem, continentiam, virtutem imitabimur. Cuius rei vnam nobis, cunctisq; hominibus natura nobis, & Christiana lege coniunctis aliquando mens detur. Quam quoniam nostris viribus suscipere non possumus, quippe quæ Diuinitus sit mittenda, quibus eam rebus a Deo O. M. impetrabimus? ijs scilicet, quas ille pro sua benignitate apud se voluit valere, precibus nimirum partim nostris, partim vero Beatorum hominum, quos apud eum summum gloriæ locum obtinere non est dubitandum. Itaque sanctissima Anima, a quibus me nunc vsque e cælo, quod beatissime incolitis, exaudiri confido, eam nobis virtutem a Deo immortalis impetrate, vt immortalem vitam, eternamq; beatitudinem cunctis rebus anteponentes, nullo hostium nostrorum impetu à Diuinarum rerum amore adducamur; quamq; vos quondam in Tyrannorum vexationibus, & crudelitate contemnenda, atque in carnis, & peccati impressionibus repellendis, ac prosternendis fortitudinem, & continentiam præstitistis, eandem nos cum iisdem oppugnationibus tentamus, adhibeamus; Vt omnibus in rebus

*vestigia vestra persequentes, cum huius carceris vincula, quibus  
nunc constringimur, soluentur, perpetua in caelesti Patria vobiscum  
summa beatitudinis societate coniungamur.*

F I N I S .

V B E R T I

V B E R T I

F O L I E T A E

D E . L I N G V A E . L A T I N A E

V S V . E T . P R A E S T A N T I A

L I R R I , T R E S



ANTONII. PACCAE L. C.

Qui te, qui libros norit Folieta Latinos,  
Quos scripsisti miro sedulus ingenio:  
Et quis non notat Romanus qua patet orbis,  
Cuius clara vagum fama tetendit iter?  
Addubitet, plus tu an linguae, Latinaeque, Minerva,  
Qua resonas, an plus debeat illa tibi.  
Vergentem veluti in senium qui attollis, et ornas.  
Gratia digna bonis, utraq; digna Ioue est.

# VBERTI. FOLIETAE

DE. LINGVAE. LATINAE

VSV. ET. PRAESTANTIA

LIBER. PRIMVS

AD. SCIPIONEM. MARCHIONEM

GONZAGAM. SACRI. R.

IMPERII. PRINCIPEM



**M**ulta SCIPIO. GONZAGA viciq; sint artes, quas partim humanorum vsuum necessitas induxit, partim vita huius ornanda, et excolenda studium inuenit, duae omnino sunt facultates, quae ceteris longe antecellant; quaeque specie, ac dignitate sua praecleara ingenia ad sese ita semper attraxerint, ut nemo unquam fuerit magno, et excelso animo natus, qui non in earum altera ceteris studiis spretis tamquam humilibus et sordidis liberorum homine indignis sibi elaborandum duxerit, quippe quae non, ut reliquae artes, unam dumtaxat humanorum commodorum partem sibi manu, et ingenio susceperint excolendam, sed totam mortalium vitam vi, et utilitate sua amplectae humanam ipsam societatem contineant, ac tueantur, quam sine illis concidere illito, et funditus interire necesse sit; quaeque (quod omnium rerum caput est) ad beatitudinem iter hominibus communiunt. Altera est reipublicae administratio; altera doctrinae, et litterarum studia. quarum utraq; complures habet subiectas facultates, seseque in multas partes vi, et utilitate sua fundit. nam et reip. bello, ac pace gerenda complura sunt muneris, in quibus singulis unum aliquem excellere magnum putatur; et doctrinae studiorum duo genera sunt, alterum quod in caelestium, ac diuinarum rerum contemplatione, inque naturalium, et abditarum causarum inuestigatione versatur; alterum quod ad vitam, et mores hominum regendos, praecipueque, et institutis formandos est dispositum. atque utrumque genus in plures partes secatur, in quibus singulis qui ad summa perueniunt, eos in

eos in magna semper laude positos vidimus. Verum magnorum, ac di-  
 umorum beneficiorum, quæ a duabus his omnium præstantissimis profes-  
 sionibus plurima percipiuntur, quibusq; sublatis hominum vita non mo-  
 do rudis, & agrestis plane esset, sed ipsius hominum cæcus, qui horum  
 studiorum presidio immititur, ac veluti vinculo quodam cōstrictus, &  
 copulatus durat, dissolutionem continuo existere necesse esset. Tanto-  
 rum igitur bonorum vsus modicus plane esset, neque late admodum pa-  
 teret stili opæ, & scribendi facultate desertus. nam neque doctrinæ ip-  
 sius studia, quæ non continuo perfectæ, omnibusq; suis partibus exple-  
 ta orta sunt, vniquæ alijs, atque alijs deinceps accessionibus paullatim  
 progredientia ad hanc perfectionem absolutionemq; peruenissent, nisi  
 priorum cogitata, & inuenta scriptorum labore, & industria posteris  
 tradita lumen illis prætulissent; eosq; ad alia, atque alia superiorum  
 disputationibus addenda incitassent; neque postquam ad perfectum hunc  
 scientiæ gradum peruenerunt, quidquam posteris prodesse, nisi litte-  
 rarum monumentis consignata ab omnibus seculorum ætatibus cognosci,  
 ac percipi possent. quod idem de ijs viris, qui omnem operam, omnemq;  
 ætatem suam ad rem publicam gerendam contulerunt, licet affirmare: quo-  
 rum virtus, egregiaq; facinora, ac præclara in homines merita, digni-  
 ssimis locorum, & temporum sinibus includerentur, hoc est earum tan-  
 tummodo civitatum, quibus præfuerunt, eorumq; dumtaxat hominum,  
 quos ipsi dum inter mortales agerent, regendos, & tuendos suscepe-  
 runt: quæ nunc egregijs scriptorum monumentis dilatata, æternita-  
 tiq; mandata omnia secula, omnesq; nationes exempli utilitate am-  
 plectuntur. Quocirca quis erit ingenio tam importuno, ac tam bar-  
 baro, qui non rerum scriptores summa benevolentia prosequatur, quiq;  
 non illorum facultati si non parem ipsis rerum auctoribus, at proximam  
 certe gratiam fateatur deberi, non modo vulgo ab ijs hominibus, qui  
 tam ingentia beneficia a magnorum illorum virorum virtute, & con-  
 filio, rebusq; gestis acceperunt, sed ab ipsis quoq; rerum auctoribus,  
 quorum merita, egregiaq; facinora, atque utilitas ab illis manans, si-  
 mulq; nomen, & fama scriptorum, industria ab interitu vindicatur,  
 breui aliter peritura? Quod totum contra vsu venire fere certissimum  
 iniuamq; humanarum rerum conditione fieri, ut scriptorum laboribus  
 publica utilitatis causa susceptis prospero laudis fructu, ac debi-  
 tis dignitatis, & opum premijs vberissima vituperationis, & obre-  
 stationis merces persoluatur, nulla enim professio reprehensionis, &  
 inuidia magis obiecta est, nullamq; mortalium opus ab hominum ma-  
 levolentia,

leuolentia, & improbitate, magis quam scriptorum industria solet per-  
 uelli, & lacerari. Quæ tamen res scriptoribus modice ferenda est; mi-  
 nimeq; mira debet videri, neque illos a suscepto studio deterrere, aut  
 illorum animos frangere, ac studia debilitare. Nam cum eodem vitio  
 omnia secula cōstet laborasse; eamq; semper fuisse in humanis ingenijs  
 perversitatem, ut veterum tantummodo, eorumq; qui multo ante se  
 defuncti essent, scripta mirarentur, atque suspiceret, eorumq; amaret,  
 ac venerarentur nomen, suæ vero ætatis scriptores, quamuis egregios,  
 ac diuinos viros fastidirent, ac despicerent, atque adeo atrociter insec-  
 etarentur, arroganter facerent nostri scriptores, si sese eximios esse  
 postularent; indignarenturq; in communibus omnium temporum in-  
 commodis, & iniquitatibus versari. neq; mirandum est, vetera tan-  
 tum in calum laudibus ferri, contra præsentia infra infima etiam de-  
 primi, sed cogitare debemus, excellendi, & gloriæ cupiditatem stre-  
 nuis, & ignavis natura æque insitam esse; neque quemquam alios su-  
 pra se extolli, æquo animo ferre. tanto enim sese inferius maxima ho-  
 minum pars deprimi putant, quanto ceteros altius vident euolare.  
 quare sit ut cum ad excellentiam, & gloriam vna tantummodo sit me-  
 ritorum, ac virtutis via, ij qui sese illa carere intelligunt; neque pro-  
 pterea se excellere posse confidunt, aliorum gloria, & excellentia tam-  
 quam se prægrauante vehementer angantur. quos cum de summo illo gra-  
 du deicere via recta, & aperta non sperent posse, idæ obliqua, & obscu-  
 ra efficere moluntur, eas res quantum in ipsis est, illis detrahendo, si-  
 ne quibus homines excellere, seq; attollere non possunt, quasq; excel-  
 lentia, & gloria necessario consequitur, hoc est virtutis famam, & me-  
 ritorum commendationem. A quibus iniquitatibus mors vna homi-  
 nes eximit, cum nullus sit inuidiæ locus in ijs viris, cum quibus multis  
 iam seculis defunctis nulla nobis possit esse contentio.

” Krit enim fulgore suo, qui prægrauat artes,

” Infra se positas; extinctus amabitur idem.

Et ut est apud eundem Poetam

” — quatenus, heu nefas

” Virtutem incolumem odimus,

” Sublatam ex oculis quærimus inuidi.

Qui vero simul cum laudis, & premiorum spe institutos labores, ac  
 susceptum studium deponunt, ij nihil se magnū, aut amplum spectare,  
 nihilq; nisi submissum, atque humile habere demonstrant. Nam gloria  
 ea, quæ a suis ætatis hominibus speratur, minimi momenti instar esse  
 debet,



stemmatibus ornatur. quorum duo etate nostra præfulserunt Hercules Cardinalis, cuius tu alumnus fuisti, filijq; charitatē apud illum obtinisti, quemq; non minus effigie atq; oris lineamentis exprimis, quam animo ac virtutibus reddis, & Ferdinādus. quorum ille pacis, ac togæ artibus, omniumq; virtutum, quæ in magnum & celsum virum cadere possunt, gloria ita præstitit, hic vero rerum militarium scientia, quæ res ad summa Imperia illum extulit, ita enituit, ut nihil etas nostra hoc fratrum pari in suo genere viderit perfectius. Ut parentem tuum Carolum præteream, quo nemo Imperatorij artibus instructior temporibus nostris fuit, ad summos honores ipse quoq; haud dubie perventurus, nisi immatura mors institutam cursum ad tantā gloriam interrupisset. Comitatur nobilitatem formæ dignitas atq; amabilis oris decor, qui animi bona haud parum exornet, atque ad voluntates hominum vel ignotorum primo aspectu ad te attrahendas non parum valeat. Verum hæc fortunæ & corporis dona minor sunt, minorisq; ut dixi, a te fiunt, illa vera est tua commendatio præstans, ac cæleste prope ingenium, neq; minus ad rempublicam gerendum, & ad omnes res magnas tractandas natum, quam ad doctrinæ studia habile. Atq; ut nihil est in omnibus ingenij artibus, in ipsaq; Philosophia, quod scientiam tuam effugiat cum in sacris quoq; litteris haud mediocres habeas progressus, ita in republica gerenda, si modo eximij, ac præstantibus virtutibus tuis is campus datur, in quo ille excurrere possint, haud dubitatur, quin ea res tibi ad amplissima munera summosq; honores aditum sit patefactura. Qui tamen honores non ad te ornandum querendi sunt, cum longe maiora sint ea, quæ iam consecutus & in illis merendis, quam adipiscendis ornamenta, sed ut amicos & studiosos tui, qui tot pene sunt, quantus est bonorum numerus, votorum iam diu pro tua dignitate susceptorum compotes faciant. Ut taceam de magno animo, & excelso, in quo nihil humile aut submissum umquam fuit, nihilq; non amplum & sublime. Accedunt ad cumulandas Diuinas & solidas virtutes singularis humanitas morumq; suauitas, & in quotidiana consuetudine, quæ à gravitate non deflectat, naturæ facilitas. in primis vero, in quo acris illa versatilis ingenij vis celeresq; mentis motus haud in postremis declarantur, sermo Urbanitatis, ac tam in laceffendo quam in respondendo salibus conspersus. Ut nullius omnino mortalium iucundior sit aut festinior, qui idem tamen dignitatis perpetuo retinens sit, congressus. Sed de tuis laudibus dicendi multi alij nobis dabuntur loci.

loci. Tu interea hos libros veluti effusissimæ in te voluntatis meæ signum accipe, quos si tibi gratos & probatos fuisset cognouero, tum vero me laborum meorum satis amplam mercedem percepisse, neq; in illis scribendis operam inaniter posuisse existimabo.

**E**Gregiam. IACOBI. BONCOMPAGNI ingenij, animiq; indolem atq; cum in omni genere præstantē virtutem, tum vero incredibilem humanitatis, & moderationis laudem, iam inde a prima adolescentia imbecillaq; illa etate, quæ impotentium cupiditatum veluti æstu abrepta minus se rationis imperio regendam præbet, apparere cœptam, ac simul cum annis ingentibus auctam incrementis fortunæ amplitudo, ad quam ex privata sortis statu merito pervenit, non modo non extinxit aut imminuit, sed raro admodum exemplo etiam auxit, expressioribusq; signis illustravit, ac veluti edito loco positam conspectiorem fecit. Quæ res solide in primis, & corroboratæ, ac nequam vulgatæ virtutis semper fuit, animiq; celsi, ac magni, & omnia humana infra se posita existimantis. Si quidem mortalium mentes maiore vi maioreq; impetu secunde, quam aduersa res concutere, & labefactare solent, atq; ultra officij regionem efferre: rerumq; copia, & insolentia nonnumquam ad intolerabilem fastum, & arrogantiam homines prouebit. Ut recte sapientiarum professores tradant, id quod vsu quoque compertum est, maiore animo secundam fortunam modice, quam aduersam patienter ferri; eoq; præstantiorem illam, quam hanc esse virtutem, quod illi nostri arbitrij res, lausq; proinde ab ea emanans nostra sit; in hac necessitate, cui vel ab inuitis parendum est, maximam laudis partem occupet. quæ res proverbio quoq; comprobatur, quod in felicitate tantummodo obtinet locum. Uetus enim & peruulgatum est, mores honoribus immutari, cum in misero fortunæ statu nulla morum mutatio proverbio sit notata. Atq; ea laus eo mirabilior est in IACOBO, eoq; magis omnium oculos in illum conuertit, quo rarior etate nostra in eadem fortuna apparuit, quoq; contraria inuidia nostra tempora, ut recordari ipsi possumus, laborarunt. At vero IACOBI moderatum, & constantem animi habitum nihil altissimo fortunæ gradu, ad quem subito conscendit, inflatum, nihilq; summo gratiæ loco, quem apud GREGORIVM tertiumdecimum possidet, elatum cernimus. Cui GREGORIO cum non minus ob morum suauitatem amabilemq; naturam, quam ob arctissimam necessitudinem sit acceptissimus, nullos tamen tanta Pontificij animi in illum effusio aut



ei spiritus attulit, aut quidquam de pristina comitate immittit, quin contra illum omnibus vel mediocri sortis hominibus sese videmus equare, in omniumq; consuetudinem familiariter dare, atq; ad se accedentes benigne, & perhumaniter excipere. qua virtute nulla est, quae ad inuidiam magna fortunae fere comitem leuandam, & mitigandam. hominumq; voluntates attrahendas magis valeat. Neq; vero cetera quamplurima, & eximia IACOBI laudes ita parum enitent, vt illarum lux praesulgenti humanitatis, & moderationis splendore perstrinatur, atq; hebetetur. Splendent immo haud obscuris documentis clara, magisq; in dies splendebunt, si modo illis campus datus fuerit, in quo possint excurrere. quas non ideo non necesse habui in praesentia sigillatim persequi, quod obscurae aut dubiae non sint, sed quod longum id fuisset, ac superuacuum, neq; ad susceptam disputationem quidquam pertineret, quodq; multi nobis, vt speramus, dabuntur loci eas commemorandi. vna illa eximia laus, quae huic operi conuenire in primis visa est, nullo modo fuit silentio pretereunda, hoc est incensum, & indefessum de hominibus bene merendi studium, atq; omnes, quicumq; in illius opem, & fidem confugiunt, opibus, honoribus, dignitate amplificandi. in quibus homines ingenij, ac doctrinae, & eloquentiae fama commendatos praeceteris amplectitur naturae videlicet, & studiorum similitudine impulsus, quibus studijs a puero fuit mirifice deditus, quaeq; assiduo labore, ac diligentia perpetuo coluit; & in quibus magnos progressus habet. Litteratos igitur homines BONCOMPAGNVS apud se in magno honore, in magnoq; pretio habet, ac de illis augendis, & ornandis cogitare numquam desistit. quorum familiari quoq; vititur consuetudine, libenterq; cum illis inuit conuiuia, eorum sermonibus mirifice delectari solitus. quibus ego magna cum voluptate, & vero etiam fructu saepe interesse soleo. Nullus autem congressus mihi iucundior umquam fuit, quam is, in quo questio grauissima, atq; in primis controuersa, ingentibusq; contentionibus, & disputationibus agitata, an latine hoc tempore scribendum sit, omni differendi subtilitate enucleata, ac ad tenuem limata est, cum omnes fere, quicumq; erant Romae litterarum atq; elegantis eruditionis fama insignes, eius vocatu ad illum in Vaticanum ad conuiuium conuenissent. Fuit autem hoc per id tempus cum IACOBVS à GREGORIO Pontificis militiae summus Praefectus creatus est. Adsuit in illis ANTONIVS. SALVIVS. qui ad eximiam Pontificij, & Caesariani iuris scientiam politiores quoq; addidit litteras, ac non vulgaria eloquentiae studia,

omnesq;

omnesq; ingenuas, & homine nobili dignas artes. In quo Iuvene tanta praestantis naturae vis est, vt aetatem virtute praecurrisse existimetur; temporisq; beneficium ingenio representasse. quippe quod prudentia, quae non nisi longa aetate, ac diuturno rerum vsu fere acquiritur, aetate nondum matura in illo singularis conspiciatur. Cum acerrima enim ingenij excellentis acie coniunctum est peracre ac prudens de magnis rebus, quaeq; in deliberationem, & actionem cadunt, iudicium. quae res per raro contigit, vt qui doctrinae studijs excellat, idem in ciuiliu rerum administratione, rei, publicae gerendae facultate sit praestans. Quae virtutes cum omnium oculos in illum conuertunt, tum eundem Principibus acceptum, & gratum faciunt: in primis GREGORIO tertio decimo optimo, & sapientissimo Principi, à quo ad non leuia recip. munera vocari ceptus est, honorifica legatione ad Regiam Neapolitanam illi mandata. In qua ita omnia SALVILII fidei, diligentiae, ingenij, consilij constant officia, vt sese non modo mandato muneri parè ostendat, sed ex illo ad altiora sibi gradum faciat. Accedunt ad condecorandum ANTONIVM haud parua nobilitatis momenta, quam ille ab ipsa Vrbe Roma peructusto genere ducit. In qua Ciuitate gentem Sautiam perhonorificum semper dignitatis locum obtinuisse multis praclaris legationum, & alijs publicis muneribus saepe sanctam certissima adhuc extant cum lapidum, tum litterarum monumenta. Quae gens cum Lucam postea commigrasset, statim in Principibus illius Ciuitatis, ijsq; qui capita rerum erant, connumerata est; cuiusq; potètia in ea Ciuitate nondum plane deleta sunt vestigia. Demum cum Genuam felicioribus auspicijs sedes, ac domicilium transtulisset, mirum est, quam breui cum excellentibus hominum ingenijs, quae perpetuo tulit, tum opibus per amplis suis subnixis in primariorum dignationem venerit, quae plurimas ex clarioribus familijs affinitatibus amplexa. Nec minus externi honores claram gentem commendant nimirum sacrae purpurae titulus, aliquotq; insignes sacri Antistites. quorum doctrina, tum autem vitae sanctitas, ac pietas in superioris saeculi tenebris orbi Christiano ita illuxit, vt eorum nomen tota Europa fuerit percelebre. Opum vero non magis amplitudo conspecta est, quam vsus laudatus. Urbem enim circumiectaq; suburbanis copluribus magnificis aedificijs ornavit haec gens, in quibus est per amplum Valetudinarium, non priuatae fortunae, sed Regiae magnificae opus vnius Bēdineli opibus, & eximia pietate extructum, amplissimisq; vestigialibus ad vsus necessarios tuendos donatis. Quas res me de SALVILIO non temere attigisse, cum ceterorum

rorum nomina, qui conuiuio, & disputationi interfuerunt, silentio transierim, mox apparebit. Eam autem disputationem induxit CYRTII Gonzaga oratio. quam ille multorum mensum commentatione elaboratam BOMCOMPAGNI iussu secum attulerat. in qua id suscepit demonstrandum, non modo oportere, sed necesse quoque esse, latina lingua omnia, quae obsoleuerit, Italo populari sermone hominum cogitationes, & actiones, quin etiam doctrinas ipsas litterarum monumentis hoc tempore mandari; reuolueritque, labi, & errare eos omnes, quicumque latina lingua in quouis genere, ac de quacumque re scribendo utitur. Cum igitur conuiuium summa hilaritate, ac iucundissimis sermonibus celebratum esset, remotis mensis petijt a GONZAGA. BONCOMPAGNVS ut orationem, cuius audienda causa omnes conuenissemus, recitare ne grauaretur. Hic GONZAGA quamquam id non libenter modo, sed cupide quoque; facere existimabatur, praefatus sese imperio, cui parandum omnino sit, adigi ad ineptias suas coram ipsis Romana Academia luminibus proferendas, illud addidit, sese ad illud finem lecturum, quoad fastidium, & satietas audientes non capiat. bene longam esse orationem, neque aliter subiectam rem potuisse demonstrari, aut dilucide explicari. Cui cum a BONCOMPAGNO omnibus approbantibus responsum esset, illius modestiam in ea excusatione ab omnibus agnoscere, longitudinem vero audientibus non modo non fastidio, aut satietati, sed delectationi etiam fore, quae enim ab illius ingenio, & eloquentia proficiantur, ea esse, ut quod idem de Demosthenis orationibus dici solebat, longissima quoque; maxime delectet, GONZAGA nihil cunctatus, orationem de scripto magno silentio recitauit. Elaborata enim erat in primis, & copiosa, ac cum verbis illuminata, tum sententijs variata, ut delectatio animos auditorum teneret, ac longitudinis satietatem, & tedium leuaret. Varie ea oratio audientes pro cuiusque ingenio affectit. nam qui argumentum minus probabant, silentes eo erant habitu oris, qui animum alta cogitatione defixum indicaret. Maior pars in luculentae orationis, omniumque exornationum genere illustratae laudes consentienter applausu effusa est, cum alij copiam, alij dispositionem, alij ornamenta, alij alia laudarent; nonnulli etiam sententiam magnopere approbarent, cum dicerent omnia sermone hoc, quo populariter utimur, siue illum Italicum, siue Hetruscum appellare libet, etate nostra litteris esse mandanda, usumque, latinae linguae iam obsoleta atque adeo extinctae plane omittendum. Cogere id rationes plurimas, ac veras a GONZAGA allatas, remque, ac necessitatem ipsam. neque enim tot post veteres il-

los nouis

ios nouis exortis rebus, quae latina voce careant omnino, animi notiones infinitis in rebus explicari posse. quod si nouis hisce rebus noua sint imponenda nomina, praeterquam quod nouam ac plane aliam linguam fingemus, quae ne ipsa quidem iure vocari latina poterit, neque enim uocibus illis a nobis fictis latini homines utebantur, nobis hoc prorsus esse interdictum in aliena lingua, ac licuisse id ueteribus tantummodo latinis in sua, ut nouas res nouis uocabulis notarent. Deinde se non uidere, cur nonnulli ab hac ratione tantopere abhorreant, quasi uero patria haec Italarum rudis quaedam, & agrestis ac degener sit lingua, ac non ea, quae omnium ornamentorum, omniumque figurarum tam uerborum, quam sententiarum; omniumque poematum generis capax suauitate & pulchritudine sua alienigenas quoque; ad sese possit attrahere, ne dum illa hominibus Italis & Ciuibus suis sit fastidiosa, & repudianda. quin etiam, si quis rem uere existimare uelit; ac si quis solidas potius res, quam splendida nomina consecratur, patrium sermonem nostrum, qui in tanto sit nonnullorum contemptu, in comparatione cum latino multis rebus longe praestare; magisque decorum esse, illi, multis partibus anteponendum. qua in re sese magnopere assentiri GONZAGAE; assensurosque, omnes, qui fulgore Romani nominis aciem ingenij non perstringente integre & sincere de re uelint indicare. Simile se quiddam hac in re Romanorum temporum agnoscere, cum homines Philosophiam ac ceteras artes & doctrinas nulla alia, quam Graeca lingua nec ipsi legere, nec ab alijs uellent tradi. quorum inscitiam multis locis a Cicerone latinae eloquentiae parente irrisam legimus, absurdam hominum rationem mirante, quos non delectaret patrius sermo; insolensque domesticarum rerum fastidium dammante. Magnam proinde GONZAGAE habendam gratiam, qui adolescentium studia, & ardorem excitari ad hanc linguam amplectendam, & scriptis illustrandam, inopportunitatemque, ab ea deterrentium tam acri ac uehementi & ornata oratione insectatus sit, ac patrii sermonis dignitatem tanta argumentorum copia & uirumque, firmis rationibus asseruerit. Hic GONZAGA, quae, inquit, de laudibus meis a uestra humanitate plurima, ac praecleara profecta sunt, ad ea non necesse habeo respondere. sunt enim eiusmodi, quae si uelim agnoscere, pudoris oblitus plane existimer, si negare, mendacij quodam modo arguere uidear eos uiros, quorum tam egregia in me extet uoluntas. Id quod res est, uerba uestra interpretabor. orationem uidelicet uos meam ipsam per se rudem & iuuenam uerbis uestris amplificare & illustrare uoluisse, quaeque, illi de-

sunt,

sunt, addere ornamenta. Cui voluntati vestrae ut me plurimum debere confiteor, ita vos pro ea, quam vobis vicissim debeo benevolentia, & obseruantia monitos volo, ut id posthac faciatis parce, ac modice, ne nimia amoris abundantia prouecti ea mihi de cetero affingatis, quae imbecillitati meae parum conuenientia non tam me laudibus ornent, quam de iudicij vestri fama detrahant. Sententiam vero meam a vobis probari vehementer sane legor. auctoritas enim vestra posthac tutum faciet ab obtrectatorum liuore. quis enim eam sententiam audeat lacerare, id quod nonnulli iuq, non indocti, magnosq, in eloquentiae studijs progressus habentes in omnibus sermonibus faciunt, quis igitur erit tanta audacia, qui eam sententiam oppugnare aggrediatur, a qua stare videat tales viros tam exquisita doctrina, tantoq, rerum vsu atq; eloquentiae gloria commendatos? Integrum igitur & incorruptum iudicium vestrum laudo; eorumq, dissimile; qui latinae linguae toti huiusmodi ab illa non possunt diuelli, patriumq, sermonem contemnant; neq; ratione & veritate victi cedunt; quin contra sententiam, quam vsus & res ipsa manifeste coarguit, pugnacissime defendunt. quam rem non tam, quod se verae causae putet tueri (quis enim quemquam tam hebetem & tardum existimet?) sed duabus de causis face re sunt existimandi; altera quod latinae linguae scientia inflati & subnixi ambulant, cuius commendatione supra alios se se extollunt. quae si inutilis conuincatur, in ordinem se se coactum iri, atq; adeo nullos prorsus futuros intelligunt. altera causa est humanis ingenijs insita peruersitas, ne tam multam operam videantur perdidisse; ne ve tantum, ac tam diuturnum studium in re plane inutili frustra posuisse. Dimittendi sunt igitur eiusmodi homines; atq; ut suis se teneant finibus sinendi. quorum errorem si non alia res, tempus ipsum, cuius de omni re verax est & incorruptum iudicium, tandem refellet. Plura dicere pergente GONZAGAM. BONCOMPAGNVS interfatus, optata inquit, saepe occasionem, ut de hac re inter homines ingenio & doctrina praestantes disputatio inferretur, mihi oblatam gaudeo. quam si dimisero, meum vitium fuerit. nam nihil est, quod minus mihi liqueat: minusq, constituere mecum possim, quid certi aut explorati sequar. quaesita enim saepe res est a doctis & ingeniosis viris: quorum disputationibus saepe interfui, cum etiam ipse eum sermonem nonnumquam induxissim, hominesq, inter se commississim. ex quibus disputationibus illud semper abstuli, ut idem, qui veneram, abirem. atq; adeo ut incertior & magis dubius discederem. ita enim dissidentibus sententijs inter illos

semper

semper certatum est, ut res exitum non reperiret. In magno igitur beneficio accipiam, si hac de re, deq, linguae latinae & popularis huius nostrae Italicae comparatione suscipiatur disputatio; ac tam diu differatur, donec veritas ad liquidum exploretur. neque iniquo animo debes ferre GONZAGAM, si sententia tua in controuersiam vocetur, neque susceptam opinionem ita amplecti, ut cum cetera omnia humana disputatione huc & illuc possint trahi, opinionem tuam esse eximia postules. quin contra pro coperto tibi affirmo, nullam esse rem, de qua vel inter Italos ipsos plures sint ac magis discrepantes doctorum hominum sententiae. nam apud exteros quidem & transalpinos, eos inquam, qui in litterarum studijs versantur, haud facile opinio tua approbatorem inuenerit. Vel de ijs, qui adsunt, quot putas esse, qui a te dissideant? ij certe, qui silentio suo sententiam istam tuam se minime probare significant. qui ideo fortasse tacent, quod tuam offensionem vereantur, si in re tam accurate a te tractata, ac tot mensuram commentatione agitata tantoq, verborum apparatu explicata tibi aduersentur, perinde quasi opinio tua improbanda de tuo iudicio videantur detrabere. Tum GONZAGAM magnam immo, inquit, gratiam habiturus sum BONCOMPAGNE, si quis sententiam meam oppugnare, ac refellere vel acerrime aggrediatur. alteruter enim ex ea re vel necessario percipietur fructus. Siue enim opinio mea vera est, ut puto, veritas magis elucebit contentione agitata; ac subtilitate disputationis ad tenue limata & enucleata; magisq, veluti inuolucris reiectis apparebit. Siue falsam opinionem animo imbibi, quid mihi optatius aut utilius esse possit, quam eam mihi eximi & praecleari enim multis locis docet Plato, ut veritate tamquam saluberrimo pabulo intelligeret nostrae vim ali, ita falsas opiniones virus esse, quo animus nostrer inficitur. quare prudenter Socratem in disputationibus cupere solitum scribit, inferiorem se potius, quam superiorem discedere, quod victum ratione falsis opinionibus, si quas animo comprehendisset, se liberari diceret, quo beneficio nullum excogitari possit maius; contra vincendo nihil se assequi; sed hanc omnium maximam utilitatem ad victum peruenire. Sapientissimi igitur hominis rationem mihi imitandam ducens vos singulos oratos volo, ut quantum quisq; ingenio & eloquentiae valet, id omne ad nos oppugnandos conferat; ac quam vehementissimus potest, in orationem nostram coorietur. Tum BONCOMPAGNVS Quandoquidem inquit, GONZAGAM contradictione non offenditur, quis vestrae viri doctissimi contrarias partes suscipit? Etenim cum disputatio per se ipsa satis

splendida

splendida est, tum vero nihil gratius mihi hoc tēpore fieri potest. nulla enim res est, in qua magis cupiam nō vagari & incertā, sed stabilē & ratam habere opinionē. Quae cum ille dixisset, silentium omnibus fuit. Quare BONCOMP. AGNVS non ea, inquit, de causa puto, neminē vestrum in tam splendidum certamen nomen & operam suam profiteri, quod nō multi ex vobis sint, qui a GONZ. AGA magnopere dissentiant, ij certe qui silentio suo animum & sententiam nudarunt, neq; ij paruis se se naturae & doctrinae praesidijs ad manū cum GONZ. AGA conferendam existiment instructos, sed modestia vos credo retineri, quasi arrogatis sit atq; hominis pudoris prorsus oblitus, si quis se se certamini vltro offerens ceteris veluti se se videatur praetulisse. vestra igitur omnium vicem culpam hanc ego suscipiam, vnumq; ex vobis pugna destinabo, modo vos me humanitate & fide vestra a repulsa periculo & ignominia securum faciatis, ac quemcumq; elegero, is non retractanter obsequi in animum inducat. Cum omnes respondissemus, nos in auctoritate illius fore, ille, tuas igitur has, inquit ANTONI SAVLI esse partes volo, non quod ego te ceteris praeferam, sed quod perspectior mihi sit & exploratior tua hac de re sententia, quam tu mihi saepe declarasti. Cum omnes nutu significassemus, nos iudicium BONCOMP. AGNI magnopere approbare, SAVLIUS vultu immutato cum subita & improvisa re se vehementer demonstraret perturbatum. Quid inquit Praefecte negotium, cui minime omnium, qui adsunt, aptus sum, ad me potissimum delegare tibi in mentem venit? quā hoc reliqua prudentiae tuae consentaneum facis? te enim aiunt in muneribus mandandis mirum habere solere hominum, ac rerum delectum. Principio quid improviso deprehensus asserere possim contra tam accuratam orationem, totq; lucubrationibus commentatam? Copia mehercule rerum & argumentorum cogitatio obruitur, ne dum quid contra differam, mihi in mentem venire quidquam possit. quamquam ut me ipse subito reuocem, hoc ipsum, quod de magnis & grauibus rebus differenti aduersarium esse in primis solet, mihi vertere in bonum potest. inscitia enim mea quaeq; multa in differēdo me peccare necesse est, in his temporis angustijs aliqua ex parte fortasse latebunt. Deinde praeterquam quod ingenio & eiusmodi disputationibus parum atque adeo nihil omnino valeo, quod vnumquam atatis tempus sepositum habui, quo me ijs artibus instruere, quae talis disputatio postulat? Equidem prima atatis tempora politioribus litteris ac Philosophiae quoq; me dedisse non nego, in quibus tamen haud diu versatus ad aliud ac longe

longe diuersum litterarum genus omnem operam, omneq; meum Studium breui transferre coactus sum, in quo omne tempus, quo in scholis fui, consumpsi: forensis deinde opera ac labores & Aulae occupationes ab omni humaniorum studiorum cogitatione me penitus abstraxerunt. Ut etiam si quid in hoc genere aliquando potuerim, id omne perierit. Ad hoc perturbat me haud parum tua & ceterorum expectatio, quae cuiusq; quamuis preparati, atque ijs rebus, quibus ego careo, instructissimi animum possit infringere. quid enim dignum hac tanta audientia asserere possim? Sed quoniam tantā tuam de hac re voluntatem video; tuq; auctoritate tua omnem mihi praecidisti excusationem, grauius me flagitium admissurum intelligo imperijs tuis non parando, quam inscitiam meā detegendo. Cum praesertim maiore tua culpa peccaturus sim, quam mea; tibiq; errata mea, quae plurima fore non dubito, potius sint assignanda, qui me inuitum & retractantem in disputationem tam a me alienam imperio tuo comieceris, quam mihi, qui me venia dignum facio, si a te iussus in ijs rebus tractandis offendero, quae a professione mea tam abhorreere ante denuntio. Tu vero, inquit BONCOMP. AGNVS istis omissis, quae a tua modestia proferruntur, fortiter age ANTONI, audacterq; ad disputationem aggredere. Omnes enim quicumq; tecum sentiunt, si qua in re ipse deficiat, tibi praesto futuros polliceor, quod idem assentientium auxiliū, si eo opus erit GONZ. AGAE non deerit. Hic GONZ. AGA nihil immo (inquit) Praefecte ab eo, quod initio te cupere dixisti, tam alienū est, quā haec differentium & obloquentium multitudo, ex qua magnam confusionem semper existere necesse est, quae subtilitatem disputationis impediatur, id quod mihi saepe vsuuenit, cum eiusmodi disputationibus interfui, in quibus tum cum maxime disputatio arderet, aliquis ex transuerso coorrens institutam continuationē, ac seriem differendi obloquentem interrumpere, quo fiebat, ut pro vna plures quaestiones interpositae alia aliam impediret; nihilq; in vlla certi aut explorati constitui posset. Si igitur in prima voluntate manes BONCOMP. AGNE, tali obloquenti facultate, quae ad nullam rem nisi ad contextum orationis impediendum valet, ceteris interdicta inter duos siue eos me & SAVLIUM, siue alios esse placet, agi patere, quod SAVLIO graue esse non debet, quippe qui me ingenio & doctrina omnibusq; ijs artibus, quas dissimulat, longe vincat. ut disputatio ipsa hominem aperiet simulationum integumentis euolutum, cum ego ceteris rebus inferior, causa tantum superior sim, cuius bonitate confisus certamen non

detrecto. Tum S. AVLIUS socium, inquit, repudiat GONZAGA, quod sibi contra inermem & imparatum videt pugnandū; longioremq; responsonem persequentem BONCOMPAGNVS interruptit, cum se consiliū GONZAGAE magnopere diceret approbare: ac prorsus sic faciendū censeret. Quare S. AVLIUM oravit, ut qui maiore in re voluntati suae esset obsecutus, in hac quoque sibi morem gerere ne grauaretur. Cum se se in auctoritate fore respondisset ANTONIVS. Verum vnum, inquit a te mihi dari velim Praefecti, quod tua a te sapientia & aequitas sine vllis meis precibus debet impetrare, ut hac disputatio in insequentē diem differatur, exiguumq; hoc vnius noctis spatium mihi ad meditandum detur. Iniquū est enim me contra tam acerbam, tam elaboratam, tam copiosam atque tot mensuram commentatione meditatam orationem improviso deprehensum atque imparatū differere. Ad hoc bene longam, neque tam facilem explicatu instare disputationem vides, tempusq; iam in serum inclinatum in maxima diei parte legendo absumpta, omnesq; nos nimia & diuturna animi attentione plane sumus defessi; neque res tam controuersa exiguo hoc, quod reliquum est diei potest expediri & ad exitum vilo modo perducī; & maxima atque ardua quæstiones perfectius percipiuntur, meliusq; mentibus hominum adherescunt cōtinuata quam intermissa disputatione. rem igitur in posterum diem integram differri cōmodius multo in omnes partes fuerit. Cum id enimvero sibi aequū videri respondisset BONCOMPAGNVS; Ac quoniam inquit, longa disputationis res est, faciendum omnino existimo, ut cras bene mane conueniatur. sic enim fiet, ne temporis angustijs vrgeamur. Cui cum omnes assensu essemus, censuræ eximus. Postero die cum omnes ad illum ad constitutā horam conuenissemus, atque eius iussu cōsedissemus BONCOMPAGNVS, si de me, inquit, quemadmodum ceteri sint affecti, coniecturam facere debeo, nullā multis ab hinc annis disputationē incidisse putō, quæ maiorem expectationem commouerit, maiorane studia ad audiendum excitavit, quam hæc, quæ inter vos GONZAGA & S. AVLI mox committenda est. Mihi quidem nihil longius vniquā visum est, quam dum vos de re præclara atque hoc tempore non in Italia modo, sed in Transalpinis quoque nationibus maxime controuersa disputantes audiam; totumq; hoc interpositum tempus ita sui animo agitato, ut parvam quietis partem, eamq; crebro interruptam hac nocte ceperim varie affectus. Modo enim mihi nimis longa videbatur mora, quæ flagras desiderium meū (neque enim animi impotentia mei hac in re fateri verecundabor)

cundabor) retardaret. modo brevis, cum ad te S. AVLI cogitationem conuerterem, cuius causa pro singulari mea in te voluntate haud mediocriter me sentiebam commoueri. per exiguum enim, ut vere dicam, tempus ad meditandum & commentandum de tanta ac tam ambigua re tibi datum videbam. Sed duæ me res consolabantur præstans ingenium & iudicium tuum mihi & vero omnibus perspectum & cognitum, celeresq; animi tui motus & ad excogitandum acuti, & ad explicandum expediti, qui non dubito, quin virtute sua breuitatem temporis sint compensaturi. ut nihil a te nisi præclarū & perfectum sit expectandum: Et horum, qui audiunt aequitas & humanitas, ut si quid forte offenderis, aut si aliqua in re, id quod tamen non spero, non plane satisfeceris, nihil propterea de opinione, quam de excellenti facultate tua conceptam habent, sint diminuturi, sed, id quod res est, quæ desiderabuntur, breuitati temporis assignaturi. Nam de GONZAGA quidem nihil est, quod perturbemur, qui vim ingenij & eloquentiæ suæ in tam longa & accurata oratione iam expressit, quodq; de illo futurum fuit, iam factum est iudicium. Tum ANTONIVS & immortalē tibi inquit, habeo gratiam BONCOMPAGNE, quem tantopere videam de me, ac de mea existimatione laborare; & tibi remitto, ne meā vicem sollicitus sis. non enim dubito, ne superior discedam. quod arroganter dictum accipi nolim, sed quod bonitate causæ confidam; veritasq; ipsa firmissimam hanc mihi spem faciat; ac parua hæc interposita mora mihi, & vero causæ ipsi, quæ acturus sum, dupliciter utilis fuit. nam primum tempus hoc interea ad meditandum & commentandum habui. quo factum est, ut multa mihi pro latina lingua venerint in mentem, quæ exiguo illo, quod reliquum erat diei spatio, neque omnia cogitatione potuissem complecti, neque si maxime complexus essem, satis temporis habuissem ad ea pronuntianda, qua re factum esset, cum omnia, quæ pro populari lingua, ac contra latinā dici possent, copiose & diligenter in oratione sua persecutus sit GONZAGA, causæ ex altera parte claudicaret, neque plane cognosci posset; nullumq; proinde rectū iudicium ferri. Deinde impetus illos animorum, quos tam acris ac vehemens & ornata oratio excitauit, hoc interposito spatio magna ex parte consedissem credendum est. quare momenta rationum utrimque sedato animo melius perpendicularentur. Et ad GONZAGAM conuersus, longe, inquit, alio orationis genere nobis agendum est ab eo, quo in oratione tua usus es GONZAGA. tu enim omnes Rhetorum flores consecratus amplificationibus, ac genere illo dicendi acris & incitato

incitato non tam id agere visus es, vt veritatem inuenires, quam vt latinā linguā, in qua insectanda rehemens in primis, atque adeo atrox extitisti, funditus emerteres, veritatemq; obrueres redundantia verborum, atque audientium ita afficeres animos, vt orationis flumine veluti rapidissimo aestu abrepti quid verum quidq; rarum esse deberet, inter noscere, ac secum statuere non possent. quod orationis genus commouendis quam docendis animis aptius iudicijs & concionibus referendum est. in quibus oratores non tam de veritate inuenienda laborare solent, quam omnes curas intendere in iudicium & audientium animos in suam causam inclinandos, multitudinemq;, quo velint, impellendam. At nobis contra agendum est, quibus propositum est veritatem inuestigare, eamq; subtili disputatione enucleare. Non debes igitur expectare GONZAGA, vt orationi tuae respondeam, cum quod longo tempore ac diuturna commentatione opus esset, tum quod eiusmodi orationis genus amplum & redundans ad disputationem nostram minime est accommodatum. Sedate igitur & remisse de re nobis est querendum, sermoneq; est vtendum simplici & aequali, pressaq; & enucleato, atque omni oratorio furo plane carente. Quare oratione tua ommissa, disputatione inter nos de integro instituat, ac veluti nunc sumpto initio certamen inter nos committatur. GONZ. Tu vero vt libet. S. AVL. Illud quoque inter nos equum est constitui, quod candoris nostri, corumq; hominum est, quibus in differendo vnum veritatis est studium, ne comprehensa opinioni pertinaciter haereamus, ne ve illius ita retinentes simus, vt si eam ratio labefactabit, si denique veritas extorquebit, non inuerti illam deponamus, eaq; in re sapientissimum illum Socratem imitemur, quem tu heri commemorasti. GONZ. Ita prorsus faciendum cenfeo. S. AVL. Vt igitur ratione & via procedat disputatione, age more scholarum effatū profer, de quo disputetur. GONZ. Videtur mihi hoc tempore populari Italica lingua scribendum esse; & a latina prorsus abstinendum. S. AVL. In quo tandem negotij generes? GONZ. In omni. itaque siue epistola mittenda sit, siue causa in iudicio agenda, siue historia conscribenda, siue ars aliqua & doctrina tractanda, ac literis mandanda, nulla alia lingua vtendum; idq; siue in soluta oratione, siue in carminibus. S. AVL. Rationem expecto. GONZ. Multa sunt, eaq; firmissima, quas proferre possim. Verum ne longum faciam, quinque in presentia ero contentus. S. AVL. Quae istae sunt tandem? GONZ. Principio omnium saeculorum omniumq; gentium auctoritas, ac perpetuus vsus eadem lingua scribendi, qua in quotidiano sermone vulgo

vulgo vtentur. Cur vero duplici sermone eadem gens vtetur? aut quae tandem ratio id suadear? quid enim aliud est scribere, quam id quod loquimur, litterarum monumentis consignare, ne pereat? Cur autem id alio sermone faciamus, neminem reperiri posse existimo quamuis acriter ingenio praeditum, qui si non solidam, at saltem speciem aliquam habentem rationem possit comminisci, quae ad id persuadendum valeat. Quae est igitur ista tanta in nostrorum hominum ingenijs pueritas, quae ve tam inepta ista ratio saeculum nostrum tenet, vt pertinacia finem non aliquando faciamus; sed tantum nobis ipsi demus, vt acutius in rebus videre nos existimemus, quam omnium populorum omniumq; saeculorum etates? quod si Romanorum ipsorum idem erat in loquendo & in scribendo sermo, id quod dubium esse non potest, vtri tandem illorum similiore sunt, nē, qui sese ad illorum vsus & consilium accommodant, an ij, qui illorum verba tantum retinentes a sententia & iudicio recedunt? Multis iam abhinc saeculis latina lingua mortua est; vsus enim latine loquendi, qui vnus linguarum vita est, extinctus est, quae etiam aliena dici potest, quiescere igitur illam sinamus. Contra patria haec nostra lingua riget & floret, illa igitur vtamur. neque qui in quotidiano sermone Patriae nostrae ciues atque Italiae incolae sumus, cur in scribendo peregrini esse cupiamus, video. quod qui facere recusant, simile quiddam faciunt, ac si quis viuorum consuetudinem, & quotidiana vsus vitet, eorum vero, qui multis abhinc annis mortui sunt, quod eos clariores viros, ac digniores, quibus vtamur, dicat fuisse, consuetudinem querat, atque ea cogitatione fruatur, illosq; viuentes ac se illorum familiaritate vti somnians aliosq; irridens, qui non simile faciant, sese oblectet. Quis vero in homine ita inepte desipiente risum teneat? Memoriam quidem clarorum virorum colere, ac repetere saepe debemus; resq; egregias ab illis gestas commemorare; quin etiam illorum imagines, si vlla facultas sit, apud nos habere, quibus ad virtutem & ad decus emulandum accendamus. ita sermonem latinum nosse & intelligere debemus nos quidem, ne tot praecleara in omni facultate praecellentium ingeniorum monumenta hac lingua sempiternae saeculorum memoria commendata intereant. Eadem vero lingua vti, cum alia felicissimis inijs atque auctibus illi successerit, id cum a ratione est alienum, tum omnium saeculorum auctoritati, vt initio posui, aperte repugnat. Altera ratio ducitur a fine, quem qui latine hoc tempore sibi scribendum ducit, vsque adeo non assequuntur, vt ab illo quam longissime aberrant. illud enim qui scribunt, spectare solent in primis, eaq;



eaq; de causa homines hunc scribendi laborem capiunt, ut a quamplurimis scripta ipsorum legatur. Qui igitur latino sermone cogitata sua litteris suscipit mandanda, is non de illustrando, sed de obscurando nomine suo laborat. quippe que a quam paucissimis lectum iri debeat sperare; atque in quam paucissimorum notitiam peruentura. quotus enim quisque est, si mulierum, puerorum, rusticorum, opificum, nautarum, ac multo maxime Nobilitatis partis rationem ducas, qui latine scire inueniatur? Vix millesimus quisque; ut tanta paucitas pro nihilo habenda sit. Quod est igitur istorum consilium; aut cur laborem istum inanem capiunt, cum sibi, non alijs sese scribere intelligit? Nihil est quod in re perspicua multis sim. Ad tertiam igitur rationem venio: quæ doctet, hanc latine scribendi curam non inanè modo, sed damnosam quoque in primis esse. nam præter laborem, qui in latina lingua paranda plurimus & diuturnus exudandus est, si quidem videmus eos, qui hoc studio ducuntur; quiq; perfectam huius linguae cognitionem & usum assequi contendunt, omnem suam multorum annorum operam ab omni reliqua cogitatione auocatam in hoc studium conferre; atque omnes ingenij & industriæ nervos in eo contendere; illosq; hac vna tantum cura multos annos, quod miserandum sit, torqueri. præter igitur hunc inanem & diuturnum necessario exantlandum laborem, id damni vel maximi faciunt, quod tam multam operæ & atatis partem doctrinæ studijs subtrahunt; prauumq; hoc consilium multos illis de melioribus & ad perdiscendum aptioribus eximit annos, quos si bonis artibus darent, magnum profecto aliquid atque præclarum in illis assequerentur. Equidem hanc vnam non in postremis esse causam puto, cur minus doctis hominibus atas nostra utatur, quam priscorum tempora, quod prisci illi integram operam & intentam in doctrinæ studijs collocabant ab hoc inani labore alienæ linguae comparandæ non interpellatam. Quocirca nos ipsi tandem respiciamus, neque in prauo consilio obstinate nobis perseverandum ducamus. quod si aliqui sunt, quibus id iam integrum non sit, quiq; eo iam processerint, unde facilis non sit neque expeditus regressus; imbecilla saltem atatis, quæq; aliorum consilio regenda est, misericordia nos capiat; atque illam a damnosa hac via ingredienda reuocemus. Sequitur quarta ratio, quæ maxime rem, totamq; hanc questionem continet. nam ceteræ, quas attulimus rationes, scribi latine non oportere demonstrant, hæc vero etiam non posse. nam cum sermo & loquendi facultas ideo hominibus sit a natura data, ut animi notiones proferant, qui, malum, tantus iste furor inscitæ &

cæcitatæ

cæcitatæ comes mentes quorundam tenet, ut cum patrium & a natura inditum sermonem amplum & copiosum, quoq; omnia animi sensa comode & ornate possint declarare, eumq; promptum, ac nullo studio paratum habeant, illo contempto tanto cum labore alienam linguam conserentur mancam & deficientem, qua vix dimidiã partem cogitationum mente conceptarum possint exprimere? Cuius rei confirmandæ laborè mihi ademerunt ij, qui orationem meam verbis suis subsecuti demonstrarunt, quot res post vetera Romanorum tempora sunt immutata: quot noue inuente, quot noua Magistratum, Procuratorum, honorum, Imperiorum tam in militaribus quam in Civilibus rebus exorta sunt genera, quot instrumenta non bellica modo, sed domestica quoque, tam urbana, quam rustica, quot munitionum nouarum formæ, quam varius sit tam virilis quam muliebris vestitus, quot ciborum & condimentorum longe a priscis diuersæ, longeq; alijs nominibus notata exiterint species. quæ atq; alia eiusmodi multa a latinis nominibus carètia si quis nouis vocabulis velit nominare, non iam latina lingua simplici, & pura uti erit dicendus, sed monstrum deformè gignere e duabus diuersis malèq; coherentibus rebus conflatum. Proinde videant ij, qui pro suscepta sententiâ pugnant, quemadmodum hoc se laqueo expediant. Presse ac strictim Sauli inter nos agi voluisti. Breuiter igitur perstringo, quæ oratione dilatanda fuerant. immensa enim rerum copia & varietas se offert, quæ nouis nominibus insignes sunt faciendæ, quas singulas persequi longum & infinitum pene fuerit. locum igitur satis sit indicasse. Restat ratio, quam extremo loco reseruauimus, cum dignitate sit prima. Nam si patrius hic noster rudis quidam & agrestis atq; incomptus esset sermo, tamè eo etiam in scribendo utendum defenderem ijs de causis, quas plurimas commemorauimus. neque enim quisquam duos sermones habere, ut dixi, debet, alium, quo loquatur, alium, quo scribat. nunc cum patria lingua nostra non modo non deformis sit & absona, sed latina ipsa pulchrior, atque adeo omnium linguarum pulcherrima, quam sui ipse & Patriæ hostis censendus est is, qui decoram linguam suam spernat, alienamq; sequatur, quæ specie & pulchritudine a paterna vincatur. Itala enim hæc lingua nostra ea re haud dubie ceteris linguis præstat, in qua prima est lingua commendatio, hoc est, suauitate. quæ virtus humanitatis propria, ac minime cum belluis communis declarat, linguam hanc nostram humanitati, quam ceteras propiore, hominibusq; proinde magis conuenientem; quippe, quæ ab eo sono, quem horridum & truce atq; immanè edunt belluæ, sit magis quàm cetera remota,

P quæq;



quæq; maiore cum suavitate animis influat, omniq; carens asperitate aures iucundiore sensu permulceat. Talem porro esse patrium sermonem nostrum, qui non intelligit, is non mente iam & intelligentia, sed sensu omnino carere est existimandus: neq; tardus & hebes modo, sed amens ac plane stupidus est appellandus. omnes enim huius linguae voces vocalibus terminantur, quæ nulla consonantium asperitate horrida iucundissimo sono animos audientium perfundunt. quæ res etiam linguam hanc fluctentem & flexibilem facit; commissurisq; & coagmentationibus in primis aptam. quæ altera est non exigua linguarum commendatio. atque ea laus benigno quodam Italie fato propria sermonis patrij nostri est, nulliusq; gentis sermoni, qui nunc vigeat, vel cuius aliqua extet memoria, unquam contigit. Ut si quis nulla anticipatione corruptus animus vere & integre iudicare velit, huic profecto Italice linguae dignitatis primas tribuat. Virum quendam apprime doctum dicere solitum accepi, si caelestibus illis mentibus nullus esset sermonis usus, isq; vnus aliquis ex ijs, quibus mortales vtuntur, esset asciscendus, Italum hunc nostrum ex ceteris omnibus illos fuisse delecturos. Equidem non sum nescius S. AVLI nullam rem esse, de qua non in vtramque partem possit disputari, id quod declaravit Academicorum secta; illud quoq; non ignoro, in omni disputatione ingenij & eloquentiam vincere, qua tu vtraque re in primis vales. vt non dubitem te, pro ea, quæ in te est, facultate, multa contra hæc posse afferre ad aspectum quidem speciosa, sed ad approbationem infirma. Verum spero te pro animi tui candore, quod consilium sapienter & amanter mihi dedisti, eo te quoque vsurum; neque in caussa tam evidenti, ac minime dubia oppugnanda ingenij & eloquentiae ostentationem consecuturum. Verum quid tibi ea de re statuendum sit, tuum erit arbitrium. Equidem veram hanc & certam, ac stabilem opinionem perpetuo tenebo. S. AVL. Tu quidem GONZAGA in extrema oratione conuentorum me admones, ne pertinaciter contra veritatem tendam. verum ipse te in illis haud quaquam ostendis mansurum, qui qualiscumq; tandè mea futura sit disputatio, te tamen opinioni tue hæsurum dicit. Ita ne vero? quid si falsa a ratione coniungatur, tamen ne illam retinebis? GONZ. Quo tandè modo tam evidens veritas conuincatur? S. AVL. Iudicium tu secundum te fers, prius quam caussa ex altera parte sit dicta. Cum peroraro, tum vter, nostrum ostentationem ingenij consecutus sit; & vter veritatis susceperit patrocinium, horum virorum, qui de hæc, & de omni quamuis magna re possunt existimare, erit iudicium.

Illud

Illud autem præfari libet, te in hac caussa longius, quam Petri Bembum progressum. Ille enim in tribus ijs libris, quos prosas inscripsit, in quibus hæc eadem questionem copiosissime & acutissime tractat, nostræ ætatis homines hortatur, vt aliquam operæ & tēporis partem ad huius Italice linguae studium conferant, quam a calumnijs obrectatorum conatur defendere, cum doceat commode & ornate omnes res Hetrusco sermone litteris posse mandari, iuuentutemq; ab huius linguae studio deterrentes refellit. Verum latinam linguam, id quod fecisti tu, non insectatur; neque ab ea adolescentium reuocat studia: quin contra non oratione modo, sed exemplo quoque suo docuit, ea esse scribendum, quippe qui illam omni scriptorum varietate excoluerit, tamq; multa ac præclara non modo soluta oratione, sed carminibus quoque latino sermone conscripserit, vt nemini latina litteræ ætate nostra plus debeant; iureq; is vnus ex clarissimis huius linguae luminibus existimetur. quæ Bembi sententia tolerabilis omnibus est. tu vero hac lingua insectanda iudicioq; illorum, qui latine scribunt, reprehendēdo & vituperādo iniuriosus plane existis in hunc ipsum Bembum, quem a te plurimi fieri, idq; haud immerito semper cognoui; & in tantam clarorum virorum multitudinem, qui tanta cum ingenij & eloquentiae gloria & nostra & Patrum nostrorum memoria latine scripserunt; linguamq; latinam non mortuam, vt putas, sed maxime vigentem, quantum in te est, iugulare, ac de hominum coetu prorsus exterminare contendis. De qua re mihi tecum suscepta est dimicatio. in qua, quoniam tu in disputatione, quam modo habuisti, non modo de vehemēti illa contentione, qua in oratione a te recitata vsus fueras, nihil remisisti, sed atrocior etiam mihi visus es contra latinam linguam insurgere, ego quoq; qui remissus & sedatus esse decreueram, acriter & vehemēter agere constitui: ac vt par tibi referam, non minore vi dicendi ac copia, si modo id assequi poterō, popularem istam linguam, quam tantopere amplexaris, insectari non quidem, vt illam prorsus extinctam & exterminatam velim; aut eos, qui illa res suas litteris mandant, accusem ac vituperem, multos enim egregios, ac doctos & ingeniosos viros, iniuria afficerem, qui in ea magna cum industria & eloquentiae gloria & nostra & superiore ætate sunt versati, sed vt latinam linguam infinita laude illi antepouam. Te igitur vestigijs tuis sequens quinque, quas attulisti rationes eodem ordine persequens de vnaquaque sigillatim differam, ac singulas euertere conabor. Quam rem antequam facere ingredior, querelam quandam, quam animo inclusam iustus dolor

P 2 exprimit

exprimit, profundere cogor, fatumq; Italiae conqueri, atque Italorum iniquitatem, ingratumq; & hostilem in Patriam animum (iusto dolori ignosci postulo) accusare. qui cum gentium & orbis imperio, quod maiores nostri tot saecula obtinuerunt, sint orbati, illius saltem memoriam non modo non contendant retinere, sed eam, quantum in ipsis est, obscurare & obruere, ac prorsus ex omni recordatione delere nitantur. Quid enim aliud agunt ij, qui, cum utraq; lingua & latina, & recentior haec popularis Italiae ambae sint, eam expellunt, quantum Itali loquebantur, cum orbi terrarum imperabant; quaeq; idco Regia Italorum lingua iure possit appellari, quod ea Italia orbis terrarum Regina loquebatur; contra eam retineant & colant, quam Italia omni in illam irruente atque incendijs & ruinis grassante Barbarie una cum durissimo seruitutis iugo accepit? Quae, malum, tanta est ista in quorundam ingenijs peruersitas, ut gratior sit illis foedissima seruitutis, quam florentissimi imperij recordatio? libentiusq; linguam arummarum & dedecoris testem vsurpent, quam gloriae & maiestatis admonentem recolant? quae res eo detestabilior est in Italis, ac magis vituperanda, quo latinum sermonem apud exteras & transalpinas gentes maiore in pretio esse videmus, ut nulla earum sit, quae nobilissimam hanc & Regiam linguam nostram non patria ac populari suae anteponat, magnoq; illius perdiscenda teneatur studio. ut etiam eos pueros, qui doctrinae studijs sese dant; & in Gymnasijs versantur, non alio quam hoc quotidiano velint sermone uti, quo faciliorem & expeditiorem eius usum habeant. Splendidus est hic locus & dignus, qui omni verborum copia dilatetur; omniumq; ornamentorum genere illustretur, sed hanc laudem concionibus reseruo. Hic cum PONCOMPAGNVS ac non modo ij, qui idem, cum SAVL I O sentiebant, nutu significarent, sese illius orationem magnopere approbare, verum etiam ij, qui stabant a GONZAGA, commoti viderentur, GONZAGA, si, inquit, latini sermonis vsus Italiae libertatem vindicare, amissumq; imperium possit recuperare, opinionem, in qua sum, princeps scilicet repudiarem. nunc non intellige, quod adiumentum latinae linguae in libertate afferenda aut imperio pariendo sit nobis allatura. SAVL. Si ad recuperandum imperium nullum latinus sermo momentum facit, ad retinendam certe tantae maiestatis tantiq; decoris memoriam valet. quam nullo modo debemus oblitescere, quod ij faciunt, quantum in ipsis est, qui extinguere latinam linguam contendunt. Verum ut ad disputationem tandem accedamus, prima ratio tua fuit perpetuus omnium populorum vsus, cum negares

ullam

ullam unquam nationem duos habuisse sermones; alterum quo loqueretur; alterum, quo scriberet. Accipe ad hanc rationem, quam in speciem firmissimam primam opposuisti, quot modis respondeam. Principio haec ratio dogma ipsum tuum redarguit ac plane perimit. nam si hoc suscipitur, ut unaquaque natio eodem sermone scribat, quo loquitur, cum uniuersae Italiae nationes uno & eodem sermone minime utantur, sed singula suum sermonem habeant alterum ab altero longe diuersum, efficietur, ut unicuiq; nationi suo sit sermone scribendum; neque ijs solum, quorum sermo politior habetur & suauior, sed ijs quoque, quorum rudior est & incomptus. Bergomatibus igitur, Forouiliensibus, Liguribus, quorum populorum sermo non ceterorum modo existimatione, sed etiam ipsorummet confessione asper plane & agrestis est, atque incomptus erit sua lingua scribendum. qua re cum nihil dici potest absurdius, tum id a vestra ratione plane abhorret, qui unam esse omnino linguam Italicam, qua scribatur, vultis. GONZ. At inter Italicos hos tam multos tamq; varios sermones tanta est similitudo, ut plures sermones appellari non possint; unumq; tantum sit existimandus Italorum sermo. quippe quod singuli hi sermones ab omnibus Italis intelligantur sine doctore; Haetruscq; haec, quam vocamus lingua, breui & facile sine schola in quotidiano vsu possit perdisci. Ut Graeca lingua semper una est existimata; quamuis nonnulla essent in illa propria nationum idiomata nonnullis in verbis inter se differentia, quae tamen ab omnibus Graecis, ab ipsisq; etiam mulieribus ac pueris intelligebantur. Una igitur eademq; censenda est ea lingua, quae pluribus nationibus communis est ad intelligendum, quamuis nonnullis loquendi formulis diuersis inter se nationes illae utantur. Longe diuersa est latinae linguae ratio, quae plane aliena a nemine Italorum intelligitur, nisi ab ijs, qui illam longo & assiduo studio a Magistro perdidicerunt. SAVL. Nemini minus quam tibi GONZAGA tuiq; similibus responsio haec conueniebat, qui huius, quam Haetruscam vocatis, linguae antistites & magistri illam in artem ita accurate redegistis, regulisq; vestris conclusistis, eloquentium formis traditis, extra quas egredi, aut verbum omnino vllum nisi ex praescripto vestro vsurpare religio est, ut non modo ceteris Italiae populis, sed ipsis quoque Haetruscis linguae forma a vobis sit petenda. neque ad rem peruenit, linguam hanc sine doctore intelligi. nam non de intelligendo, sed de scribendo est instituta disputatio. Haetrusca autem lingua recte scribi non posse conteditis, nisi ab eo, qui longo studio eam a vobis regulisq; vestris perdidicerit; quosq; habetis huius linguae auctores

auctores Petrarcam, Boccacium, & reliquos diuturna lectione & assidua tractatione contriuerit. quod Bembum & nonnullos alios se fecisse gloriari solitos accepimus. Quare si aliena ea est lingua, quæ sine doctore non percipitur, fateamini necesse est, si consentanea loqui vultis, non minus aliena scribere eos, qui hac præceptis & legibus vestris circumscripta, quam eos, qui latina scribunt. quo fit ut Itali, quod reprehendebas, alia lingua loquantur, alia a vobis scribere cogantur. GONZ. Non alia lingua dicendum est illos loqui, alia scribere, sed limatiore scribere, rudiore loqui. S. AVL. Limatius & politius scribere eiusdem nationis homines suscipi potest, qui vero Foroouliensem linguam non aliam ab Hetrusca intelligit, huic non ingenio, sed sensu opus est. Nihil enim magis rusticanus Hetruscus Foroouliensem loquentem intelligit, quam Latinum. Quid enim? an non innumerabilia verba, & nomina, tum etiam præpositiones, & coniunctiones ceteraq; orationis partes eadem sunt latina & Itala linguæ? Ut loquendi formis & terminationibus casuum, magis quam vocabulis, quæ pleraque eadem sunt, duæ hæc linguæ inter se differant, potiusq; Itala corrupta latina, quam alia a latina dicenda sit, id quod facile ex disputatione nostra apparebit. Neque Græcorum Idiomatum similitudo questioni nostræ apta est. nam perfecta & approbata erant ea apud Græcos idiomata; singulæq; nationes suo quoq; idiomate sine reprehensione utebantur. quam rem vos Italis vultis interdicitam, quos ad necessitatem linguæ vestræ perdiscendæ, eaq; scribendi adigitis. neque Ligurum modo aut Bergomatem, sed ceteros quoq; Italiae populos non a vobis tradita lingua scribentes irridetis. Deinde quomodo hoc sumis, omnes provincias, omnesq; gentes eadem lingua loqui & scribere solitas, neque duas linguas umquam habuisse; perpetuumq; hunc esse populorum usum? an non vides argumentum istud tuum contraria quamplurimarum nationum auctoritate ex multorum iam sæculorum ætatibus refelli? notum est quantam orbis partem Mahumetana impia religio occuparit; quot sint eam sectam profitentes provincias; quamq; tota Asia & Africa late patentia Regna variæq; nationes. quæ omnes lingua inter se non minus, quàm nostræ gentes differunt. vnaqueq; enim natio suum proprium habet sermonem ab alijs ita diuersum, ut quemadmodum apud nos, ita apud illos vnius provincie sermo ab alterius provincie hominibus sine interprete non intelligatur. alia enim lingua vtuntur Turcæ, alia Persæ, alia Syri, alia Mauri. At omnibus his nationibus vna est communis Arabs lingua nemini patria ac propria, præterquam ipsis Arabibus.

bus. Hac lingua, quod ea lex ipsorum conscripta sit, quam in aliam linguam verti nefas putent, res sacras; illiusq; religionis mysteria, ac disputationes de illis tractant; quiq; se se ad sacrarum rerum, atq; etiam ad cuiusvis doctrinæ studia conferunt, eam linguam a doctoribus, ut nos latinam perdiscunt; turpeq; fuerit sacerdotibus ac legis peritis litteratisq; hominibus non hac lingua siue loquendo, siue scribendo vti. quæ res & argumentum tuum plane euertit, & ignauiam nostrorum hominum coarguit. qui tædio latinæ linguæ perdiscendæ, ad patrias longe ignobiliores, id quod apertissime apparebit, defleunt. Quod cum ceteris Europæ nationibus dedecori est, tum vero Italis ijs de causis, quas commemorauimus, etiam criminofum. Verum ego si tibi illud velim dare, omnes nationes eodem in scribendo, quo in loquendo vti sermone solitas, illud tu quoque mihi vicissim concedere cogeres, quod nullo modo potes inficiari, id illas ideo fecisse, quod vnus tantummodo esset apud singulas sermo; neque esset, cur duos sermones eadem gens haberet, quorum alter ab altero manaret. quo fiebat, ut nemo ad alienigenarum sermonem, & a suo longe diuersum; ab alijsq; principijs profectum, quod nihil cum patrio sermone haberet coniuncti aut similis, in scribendo confugeret. Ut nihil mirum sit homines vna tantum lingua vtentes, & alienæ prorsus ignaros atque expertes eodem sermone & fuisse locutos, & cogitationes suas litteris mandasse. At nostra longe diuersa est ratio, apud quos duo sermones vigent ac florēt, si eos duo libet appellare, qui proprii nostri sunt; atque in Italia nati atque alii. quorum qui, ut docebo, nobilior est, & præstantior, latinus mortuus dici non potest, cuius vsus numquam sit intermissus, sed iam inde ab illius origine vsque ad tempora nostra saltem scribendo, quæ pars longe est præstabiliior, retentus, ut temporum continuata declarat series. nullum enim umquam fuit, quo hæc lingua scriptoribus caruerit. quin etiam Italico, Gallico, Hispanico sermonibus iam inductis multa tamen secula fuerunt, quibus non aliter fere, quam latine scriberetur. Quare debemus nos quoque vestigia præscorum persequentes nobilissimam patriam latinam linguam nostram tenere, populari Italica præ illa ignobili & manca, id quod liquido apparebit, sprete. quippe quæ nihil aliud sit, ut dixi, quam latina lingua corrupta & deprauata. GONZ. Hoc vero aures ferre non possunt; ingensq; piaculum committi puto, linguam patriam nostram Italiam ita asperere & probrose appellare, quæ non latina corrupta vocanda sit, sed pulcherrimæ matris latinæ linguæ palchrior filia. S. AVL. Tu vero illam, ut libet, filiam appellato,

pellato, modo id memineris, tum eam conceptam & natam, cum misera parēs omni barbarum gentium colluioni profututa ex incesto contibitu illam protulit. GONZ. Tu vero SAVLI vide, quanto te paricidio Patriæ obstringas. SAVL. Meo periculo pecco. Quid autem per Deum immortalem est indignius, quam filium hanc degenerem & notham tantā esse audacia, tamq; proiecta impudentia, ut matrem per summum scelus & impietatem extinguere conetur? Verum ut temperemus a maledictis, tolerabiliores essent, qui eiusmodi portentosa loquuntur; si munera inter parentem & qualemcumque hanc filiam ita parti rentur, ut populares partes & quotidianum vsu filia darent, domesticarumq; & familiarium rerum tractationem illi permitterent: latina vero linguae amnis iam graui & maiestate sua venerabili a sordidis & quotidianis ministerijs vacationem concederent, illamq; eximerent e vulgi & opificum consuetudine; ac grauioribus negotijs eius operam & opportunitatem reseruarent; eamq; doctrinae studijs tractandis & explicandis; vitæ præceptis tradendis; causis agendis, Historijs scribendis, iudicijs exercendis, epistolis de magnis & publicis rebus dandis, legibus & decretis publicis condendis adhiberent. GONZ. Ut te audio loquentē damnare non dubitas tot claros viros, ingenioq; & consilio atque vsu rerum, tum autem eloquentia & doctrina præstantes, qui omni scriptorum genere & varietate hanc linguam versarunt; omniaq; ista, quæ commemorasti, patrio sermone tractarunt. quibus nescio, quid absit de magnorū scriptorum laudibus. SAVL. Quasi vero ego non te eodem crimine & quidem grauiore possim cōdemnare, qui eos, qui latine hoc tēpore scribunt, reprehendendo, non animaduertis, te tot hominum, qui ætatis nostræ clarissima lumina fuerint, consilium damnare. Insignes quidem viros eos fuisse non negauerim, quorū tam egregia extant ingenij monumenta populari sermone litteris mandata. verum celebrior esset hominum fama, maioreq; cum gloria totā Europam peruagaretur, si præclaras res, quas tractarunt, latina lingua ceteris nationibus nota in manus hominum exire voluissent. quæ nunc angustiis Italiae terminis includitur. Verum ut ad propositum redeam, quod tibi paullo ante dedi, perpetuum esse omnium gentium vsu, ut sua lingua scribant, magnam habet exceptionem. multi enim quorum nomen hac scribendi laude est insigne, aliena quoque lingua sibi sepe scribendum & loquendum duxerunt. quam rem non priuatos homines modo, sed populos constat fecisse, idq; multis de causis. quarum prima est imperium, quod quamplurimos populos non modo ad scribendum,

scribendum, sed etiam ad loquendum hac ipsa latina lingua impulit. ut non modo multæ in Europa gentes, sed in Africa quoq; & in Asia latē sermone vulgo vrentur. quæ res cum multis apertissimis indicijs patet, tum Plutarchi grauiissimum testimonium omnem plane tollit dubitationem. qui affirmat ætate sua latinum sermonem omnibus prouincijs & gentibus communem factum, eoq; omnes populos & nationes vti. neq; distinguit loquendo ne, an scribendo, ne te illud putes habere subterfugium. quin contra hæc necessitas se se ad latinum sermonē accommodandi, si quis rem vere & ingenue secum velit reputare, magis inscribendo, quam in loquēdo valuisse, censenda est cum in publicis, tum in priuatis rationibus. Præerant enim foro Magistratus Romani, scribæq; acta iudiciorum latina lingua conscribebāt, eademq; caussidici & patroni in caussis agendis vtebantur; quiq; de publicis rebus legati ad Senatum a Ciuitatibus mittebantur, orationes latinas habebant, simulq; Ciuitatum suarum iura & postulata latine scripta edebant. ad hoc Prouinciales homines cum Romanis Ciuibus rationibus, vsibus, commercijs erant implicati. ut necessario epistolæ ad illos latino sermone scriptas mitterent, eademq; lingua tabulas accepti & expensi conficerent, locationumq; venditionum, mutuatorum, permutationum, mandatorum, contractuum omnium monumenta latine essent conficienda. Neque vero quemquam ita despicere puto, ut eas nationes ac populos somniet, linguam popularem suam plane deposuisse, eaq; cum rusticanis, opificibus, ancillis vti desuisse; quin contra simile quiddam tum fieri verisimile est eius, quod nunc Flandris cernimus vsuuenire. GONZ. Non ab electione profectum, sed a necessitate expressum existimari debet consilium lingua Dominorum loquendi. se se enim non minus ad linguam, quam ad imperia dominantium accommodare subiuncti coguntur. SAVL. Ego subiunctos existimo vtramq; rem sequi: illosq; & necessitati parere, & gratiam dominantium captare. Siquidem memoria proditum est, Cumanos a Senatu impetrasse, ut Decreta & acta publica latina lingua liceret conficere, quæ res nullo modo Romanos aut publice aut priuatim attingebat. Altera causa sunt negotia & earum rerum commercia, quæ necessarius vitæ cultus postulat. necesse est enim inter quos mercaturæ, & contractuum sint, inter eos quoq; sermonis esse commercia. id quod ætate nostra Flandris vsuuenit. quibus frequentia cū Gallis cōmercia, quotidianusq; necessarius vsus linguae Gallicæ perdiscēde necessitatē imponit. Cuius linguae publice scholas habent, ad quas eius perdiscēde causa pueros mittunt. Ut omnis

ætas & sexus in illa prouincia Gallice sciant. GONZ. Recte Flandri operam in lingua Gallica comparanda collocare existimandi sunt, quæ lingua extincta non sit, quæq; ipsis ob cõmercia magna cõmoditati, ac plane necessaria sit: nobis vero quod tandem est linguæ istius latinæ, quam nonnulli tant opere amplectuntur, commodum aut fructuosum curq; in illa sine ullo opere pretio tantum studium ac tantam diligentiam ponimus tempore & otio abutentes? SAVL. Si Flandros recte studiũ & diligentiam in lingua Gallorum perdiscenda ponere concedis, quæ illis cum vna tantum Gallorum natione faciliora faciat commercia, cur non pariter eandem operam nos, atq; omnes Europæ nationes rectius in lingua latina perdiscenda ponamus; ingenuosq; omnes homines a primis annis illa imbuiamus, quæ cunctas Europæ nationes ad commercia inter se reddat habiliores, omnesq; proinde omnis generis negotiatores, inter quos sunt instituta commercia, in loquendo, in epistolis mittendis, in tabulis rationum conscribendis hac lingua vtantur, quæ tot ac tantas in quotidianis vsibus habeat opportunitates; faciatq; vt commodius & sine interprete ingenui viri omnes prouincias possint obire, ac cum omnibus Europæ nationibus sermonem serere; facilemq; habeant cum illis consuetudinem; atque omnes animi notiones loquendo & scribendo inter se intelligant; vsuq; sentiant, paruum hunc in linguam latinam perdiscendam paucorum annorum insimptum laborem magnis illos molestijs in omnem vitam liberasse, magnisq; difficultatibus expedituisse, & maximis commodis affecisse, ac non modo otio & tempore, vt modo dixisti, sese abusos, sed præclare & vtiliter in primis operam & studium ea in re collocasse? Ausus vero es noster GONZAGA hoc ex ore tuo? Tibi scilicet omni eruditione omniq; eleganti doctrina perpolitio hoc tam parum cogitatum excidit, inanem esse latinæ linguæ cognitionem? Tum vero eloquentia vt inutilis & inanis res hominibus plane negligenda erit, inutiliterq; in illa acquirenda tanta adhibebitur contentio. GONZ. Ain vero SAVLI? Quomodo tandem istud efficis? SAVL. Nihil mihi expeditius est demonstrare. nam si ad facultatem dicendi comparandam exiguum momentum habere artem & Rhetorum præcepta, vere traditum est: omniaq; in ingenio & exercitatione, tum autem in summorum virorum, qui eloquentiæ gloria præstiterunt, imitatione posita esse, latina lingua sublata ac Ciceronis & Liuij ceterorumq; eloquentia Antistitum scriptis ignoratis, ad quorum tandem auctorum imitationem nos conferemus? an ad Boccacium istum vestrum? quem hominem tanto in pretio apud nonnullos

nonnullos esse, stomacher ne an rideem? nam quæ tandem illius scripta vllæ aures lectione bonorum auctorum assuefactæ possint ferre? Unus est omnino tolerabilis liber Decameron. qui is quoque quid tandem habet præter moratas narrationes? narratio porro in vniuersa eloquentiæ laudibus per exiguum semper & infimũ locũ obtinuit. quamquã multa sunt quoq; eius libri vitia. nã primã in inuentione & materia totus alienus est; nihilq; fere habet nõ aliunde petitũ. innumera proferre possem, sed duabus fabulis ero contentus, altera de Petro Vincio Perusino, altera de Peronella Neapolitana totidẽ verbis ex Apuleio translatis. Deinde in soluta oratione res per descriptiones declarare in vitijs vel maximo ponit. rem enim ipsam exponere, nõ per ambages significare debeo. neq; enim diem in vesperũ inclinatũ recte ita demonstrarẽ.

„ Aspice aratra iugo referunt suspensa iuueni.

„ Et iam summa precul villarum culmina fumant,

„ Maioresq; cadunt altis de montibus vmbra.

Hæc & eiusmodi soluta oratio non suscipit; sed Poetis omnes flosculos captantibus referuntur. At Boccacius eiusmodi ineptiarum totus est plenus. quæro igitur ex ijs, qui hominem suscipiunt, vnde concessam ille habeat licentiam Rhetorum præcepta & magnorum virorum eloquentiæq; antistitum exempla & vsu transgrediendi, solutaq; oratione Poetarum more scribendi? Præterea si exordia rebus, quæ tractanda & scribenda suscipiuntur, congruentia esse debent, præclare id seruauit Boccacius, qui proœmium tanta grauitate, tantoq; sublimium uerborum apparatu elaboratum fabularum ac iocoso amatoriarum rerum libro annexerit, in quo calum ipsum conscendit; æterniq; numinis legem immortalẽ tonat, quæ omnium creatarum rerum finẽ tandem esse decreuerit. vt qui exordium illud legat, vel de Diuina natura; Diuinoq; in creandis rebus consilio; vel, si ad humana descendere libeat, de causis ciuitatum condendarum, de ratione legum ferendarum, de imperio stabiliendo, ac de summa republica librum expectet. Postremo finis quam detestabilis est? id enim manifeste spectasse videtur vir nefarius, vt impudicas mulieres faceret. nam quæ cum sexum ab impudicitia deterrere solent, religionem, famam, pudorem, coniugij sacrosancti violendi verecundiam, ea omnia per insinuationes quasdam contemnenda docet. Vt omnibus pudoris, famæ, conscientie, legum Diuinarum & humanarum vinculis perfractis sese libidinibus totas immergant; & turpibus amationibus tradant constringendas; supraq; & adulteria atq; incestus non modo nullo sibi dedecori, sed si

*Dijs placet, laudi quoque & gloria ducāt. Ut id egisse videatur; eamq; gloriam haud obscure vir sacrilegus captasse, ut scelerum & flagitiorum mirificus artifex existimaretur. Explodatur igitur vir impius; ex omniq; piorum catu exterminetur. In eius vero carminibus legendis quis tandem risum teneat? at qui vsque adeo sibi ipse ignotus fuit, ut se se Poetam in in primis profiteatur. quippe qui hoc carmen sepulturae suae inscribi voluerit.*

» Patria-Certaldum; studium fuit alma poesis.

*Praclarum hunc scilicet eloquentiae magistrum habetis, ad cuius imitationem vos conformetis, vos qui latinam negligitis linguam. Quam compar vero est consilium vestrum Romanorum hominum iudicio, qui linguam Graecam, cuius in quotidiano ac populari sermone nullus plane erat vsus, quaeq; a latina infinitis partibus magis diuersa sit, quam latina a populari nostra; quaeq; adeo alia prorsus lingua sit, tam studiose colebant, ad alendam scilicet & locupletandam eloquentiam. Ut re esse Horatius dixerit.*

» — Vos exemplaria graeca

» Nocturna versate manu, versate diurna.

*GONZ. Iaceat vero Boccacius non minus orationis tuae aculeis confectus, quam edicto Pontificio publice damnatus. SAUL. Quid Vergilij ac tot caelestium pene ingeniorum Diuina scripta etiam sine utilitate vlla nostra sua ipsa maiestate suspicienda in tenebris, & in hominum ignoratione debent versari? Praclare vero cum splendidis ingenijs agatur, si vna cum linguae vsu egregia illorum monumenta intereat, quae aeterna esse debent. numquam enim interituræ gloriae spe praecleara ingenia ad scribendi laborem capiendum accenduntur. Quam vero inquam legē sibi ipsi statuunt ij, qui inuenta & cogitata sua litteris Haetruscis suscipiunt mandanda. quam linguam quod ad quotidiani sermonis vsum attinet, aliquando, ut ceteras, interire necesse est. GONZ. Non eo inficias, latinae linguae vllā cognitionē nos habere omnino oportere. Sed eo vsque volo in illa cognoscēda homines progredi, quoad fiat ad auctores illius linguae eorumq; scripta intelligenda idonei; ab inutili vero labore illā perfecte assequendi, qui ijs est necessarius, qui ea lingua sibi scribendū statuūt, illos volo abstinere. SAUL. At scripta auctorum bene intelligi nō possunt; neq; vllus ex illis fructus capi; aut ab illis ad eloquentiam assequendā instructiores fieri possunt homines, nisi bene & perfecte eam linguam teneant; omniaq; eius minuta percepta habeāt. Tertia & extrema superest longe maior & grauior aliena lin-  
gua*

*qua scribendū causa; ea est linguae alienae ipsius dignitas atque praestantia. quae cū ipsa per se & specie sua expetēda, tum praecellentium scriptorum ingenijs & eloquentia nobilitata hominum studia ad sese attrahit; pulchritudineq; sua ad scribendū accendit. qualē fuisse Graecorum linguam constat. qua multi exterarū gentium homines patrio sermone posthabito res suas litteris susceperunt mandandas, in quibus nonnulli de Romanis fuerunt. quamquā hi Graecia imperio ut ceteras nationes obtinētes ij essent, ad quorum sermonē se potius Graeci homines, qui sub ipsorum imperio erant, quā ipsi sese ad Graecorum, quibus imperabant, deberent accommodare. GONZ. Illud potius vide SAULI, ne isti, quos nominas, lingua Graecā potissimū delegerint, qua cogitata sua litterarum monumentis mandarent, non tam linguae nobilitate inducti, quam quod pluribus populis cōmuniōr ea esset lingua; a pluribusq; gentibus intelligeretur. SAUL. Hoc vero, quod mihi tua sponte das GONZ. AG. A nō modo libenter accipio, sed in maximo etiam beneficio numero. nihil enim potuisti proferre, quod magis rationē meam confirmaret, tuam labefacteret; quodq; secundū illud tuum argumentū, quo maxime causa tua videbatur inniti, eos qui scribant, illud in primis spectare debere, ut a quamplurimis legantur ipsorum scripta, aduersum me illarum in te re torqueret. latina igitur lingua scribendū est; quod illa a pluribus populis intelligatur, nimirū ab omnibus Europae nationibus Germanis, Hungaris, Polonis, Flandris, Anglis, Scotis, Gallis, Hispanis, ac ceteris omnibus; lingua autē haec Itala popularis nostra peragustis Italiae terminis includatur. GONZ. At illud nō animaduertis SAULI in omnibus his prouincijs perpaucos esse, qui latine sciunt; eosq; tantummodo, qui in litterarū studijs, & in Gymnasijs versantur. at Haetruscam linguam eam, qua loquendum & scribendū nobis esse contendo, ab omnibus Italis intelligi. quorum innumere multitudini si quis ex altera parte exteros opponat, qui latine sciunt, perexigua pars praeter illis erit, ac quae cum illis collata vix appareat. SAUL. Quin tu illud non animaduertis GONZ. AG. A, nos nō de loquēdo, sed de scribēdo litigare. quanta est autē Italarū pars, qui nō modo de praeclearis excellentium hominum scriptis nō possint iudicare; sed ea intelligāt; aut prima elementa nota habeāt, atq; omnino legere sciant; qui si cū exteris cōparentur, quicūq; scripturarū gustū, aut sensum habent, minime partis ac vix centesime instar sint. Quare qui gloriā & famā suam dilatare, & in exteras prouincias superfundere cupiūt, latina lingua sibi scribendū sciāt. Eorum enim nomē nō modo apud litteratos & doctos in pretio erit, sed apud  
rudes*



rudēs quoq; & litterarū ignaros. quamquam hi quidem minimi faciē-  
di sunt. quippe qui eos, quos a litteratis accipiunt laudari, quāvis sibi  
ignotos suspiciunt. innumera enim est multitudo nomen Homeri, Ver-  
gilij, Demosthenis, Ciceronis, Thucididis; Livi, Sallustij sufficientiū,  
quorum ipsi scripta non intelligunt; neque lecturi sunt. vniquam græcæ  
& latinę linguę prorsus ignari, sed doctorum, a quibus Diuina illa in-  
genia audiunt laudari, auctoritate & opinione, quam de illorum do-  
ctrina & ingenio imbibebunt, ducti. G O N Z. Vt omnes humanæ res  
S A V L I non statim initio claræ ac magnæ fuerunt, sed partim fortu-  
na, partim eorum virtute & consilio, qui res illas publicas gesserunt  
paullatim creuerunt, nonnullęq; carum ad summam tandem dignitatē,  
magnasq; opes, magnamq; potentiam peruenerunt, ita nullius linguæ  
initia fuerunt statim clara. quæ tamen res homines in illa natos &  
educatos non deterruit, quò minus illa sibi scribendum ducerent. Cuius  
igitur linguæ felicitate factum est, vt quamplurimos alumnos tali in-  
genio & animo præditos fortiretur, ea assiduis & præclaris scriptis,  
diligentięq; & industria talium virorum paullatim prouecta; omniq;  
litterarum genere & varietate exculta & illustrata ad altissimum  
gloriæ locum tandem peruenit: quo factum est, vt cum multi eius lin-  
guæ appetere cognitionem, egregij viri, quorū cura, labore, industria  
patria lingua e tenebris educta est, & in clarissima luce collocata, no-  
men ipsi vna clarissimum ad exteras nationes & omnem posteritatem  
sibi pepererint. quod idem de hac Itala lingua nostra non est desperan-  
dum, nisi nos ipsi illam opē nostrā turpiter deserimus; tantumq; glo-  
rię cursum, in quo nunc est, interrumpimus, hominum studium, & in-  
dustriam scribendi ab illa renouando. Cur præsertim, vt dixi, eam ef-  
fe linguam hanc nostram Italam, vsu compertum exploratumq; habea-  
mus, quæ omnes animi notiones tam soluta, quā numeris astricta ora-  
tione felicissime possit exprimere. quam si ad idem fastigium, ad quod  
ceterę ascenderunt, diligentia nostra & scribendi assiduitate perducimus,  
quis dubitat, quin tam præclari operis auctores magnum operæ  
pretium facturi sint; nomenq; eorum tum cum huius linguę cognitio  
ab exteris expetetur, quod propediem fore diuinat animus; in magna  
gloria apud exteras quoque gentes tandem futurum sit; & ad omnem  
posteritatis memoriam celebre? S A V L. Vos vero arbitrati vestro  
scribite. neque enim ego in eam sententiam disputo, vt ab Italice scri-  
bendo homines deterrcam, sed illud mihi propositum est, vt orationē  
tuam, quæ latinam linguā quantum in te est, extinguere es aggressus,  
refellam;

refellam; doceamq; vt ij, qui Italice scribunt, non sint accusandi, ita  
eam operam cum longe maiore gloria in latinam linguam infumi. Nam  
quod ad diuinationē tuam attinet, id est eiusmodi, vt optare id potius  
possim, quam sperare. nulla enim earum causarum spes mea alitur, qui-  
bus diximus homines ad alienam linguam appetendam excitari. nam  
imperium quidem nihil est, quod his temporibus, hisq; moribus atq;  
hac Italiæ fortuna somniemus. quin contra præclare nobiscum agitur,  
si per pauca ea, quæ reliqua sunt, retinemus; illudq; potius, quod lugen-  
dum sit, est periculum, ne Italis Hispanam linguam discere, magis quā  
Hispanis Italam necesse sit. id quod in multis iam huius prouinciæ re-  
gionibus fieri cæptum est. Nihilōq; magis idem a commercijs est expe-  
ctandum. quod si futurum fuisset, iam pridem factum esset. ea est enim  
Italiæ natura; itaq; Italarum vsus ferunt, vt commerciorum causa  
ipsis potius in alienas prouincias sit commeandum, quam in Italiam  
exteris. Artes vero ingenuas ex ipso fonte omnes petere malunt. Vt  
orbis nostri nationes singulæ statuant in Græca lingua, quam in Itala  
cognoscenda & perdiscenda ea de causa vtilius tempus & operā po-  
ni; Poetasq; potius, & oratores latinos & græcos, quam novos hos  
Hetruscos velint audire, nec cum duæ linguę græca, & latina necessa-  
rio sint parandæ. satis se temporis habere putent, aut ita otio abunda-  
re, itaue a doctrinæ studijs vacare, vt tertiam hanc linguam necesse ha-  
beant perdiscere. Sequitur tertium argumentum de labore, qui sine vl-  
lo magnopere fructu in lingua latina suscipitur. quæ res magnā, ac me-  
liorem temporis partem doctrinæ studijs, præclarisq; alijs rebus sub-  
trahit. quod argumentum ad homines transuersos agendos magnā vim  
habet. nulla enim maior est quam temporis iactura, nullumq; damnum  
homines magis fugiunt, quam quod resarci non posse intelligit. Qua  
in re omnes quicumq; ita disputant, magno in errore, magnaq; in anti-  
quitatis ignoratione mihi videntur versari. nam ætas puerilis; primi-  
uq; anni, qui latinę linguę perdiscendæ solent dari, grauioribus studijs apti  
non sunt, arduisq; & implicatis quæstionibus, quę in doctrinæ studijs  
tractantur, propter imbecillitatem suam haudquaquam sunt idonei,  
neque ad res tam obscuras, & abstrusas intelligentiæ vi possunt pene-  
trare. quo fit, vt non modo non damnosa, sed in primis fructuosa sint  
primæ illi ætati leuiora hæc linguæ studia, neq; in vlla exercitatione vti-  
lius pueritiæ rudimenta ponantur, quibus occupati pueri sit, nē ad de-  
sidem vitam & ætatem otiose traducendam assuescant, prauumq; qui  
illis postea difficulter eripi possit, animi habitum induant, quem morē  
veterum

veterum quoq; fuisse minime dubijs monumentis constat. quorum primum etatis tempus in Grammatices Studijs, atq; in loquendi & scribendi regulis poetarumq; scriptis cognoscendis ac leui illa eruditione totum ponebatur. Quapropter non serius nos quam illi a Grammaticorum ludis ad Philosophiae Gymnasia, grauioraq; studia adolecentes traducimus. neq; difficilis aut diuturni temporis & laboris est linguae latinae perceptio. quod nonnulli eo errore putant, quod puerilem etatem in eo studio multos annos videant conteri, neq; animaduertunt id ingenij imbecillitate & etatis fieri, quod ea etas nihil roboris ac neruorum habens, omniq; contentioni impar, & ab omni labore abhorrens nullam cogitatione villo in studio possit defigere. quo fit vt prima elementa vix annuo temporis curriculo, eaq; centies in die repetendo, parentumq; & praecceptoris vel metu adaesta, vel blandimentis delimita perdiscat. quam eandem rem virum etate & consilio confirmato biduo facere posse declarant ij, qui Graecarum litterarum prorsus ignari sese ad illas applicantes biduo legere perdiscunt. pueriles vero annos egressa & corroborata etati persfacilis est & expedita latinae linguae perceptio, perexiguusq; et haud diuturnus labor in eo studio est ponendus. Italo praesertim homini, propter linguae similitudinem, quod multo maxima nominum & verborum pars eadem sit Italae, & latinae linguae, parumq; inter se differentes sint pleraq; ex reliquis orationis partibus, cum pleraq; sint eadem omnino. terminationibus enim, casibus, inflexionibus, & eis similibus rebus haec duae linguae fere inter se differunt. Eloquendi vero & coniugendi leges & praeccepta facilia, & perpauca sunt. quod si aliqua sint verba & vocabula dissimilia, ea partim coniectura ex antecedentibus & subsequenibus rebus percipiuntur; partim auctororum huius linguae lectione breui nota fiunt. Vides igitur GONZAGA, A terribilis ista tua laboris diuturni species ad studia hominum infringenda animosq; debilitandos opposita, qua iaceat. GONZ. Aut dignus tibi videor S. A. V. L. I, qui a te ludificer, aut tu vnus tot annos in scholis versatus in latinae linguae rebus peregrinans, neque tibi nota est quae illius perdiscendae cura, & sollicitudo hoc seculum teneat. Quorsum enim pertinet, te de primis Grammaticae rudimentis differere, idq; adumbrata illi ac deformi linguae latinae specie, qua imbuuntur pueri, atq; ij, qui ad doctrinae studia properantes de lingua polienda haud magnopere laborant? Ea enim lingua nostra etate doctrinae studia, quod pudeat, in scholis transeuntur, quam omnibus sordibus inquinata omniq; barbariae seditate contaminata eruditorum egregijsq; artibus

artibus politorum aures respuit, cum nobis de pura & perfecta latina lingua, qua ijs qui eloquentiae gloriam sequeuntur, scribendum est, sit instituta disputatio. Cuius linguae acquisitio quanta sit contentionis, quamq; diuturni laboris, ij experti sunt, qui in ea lingua comparanda tot annorum continuatam operam, & assiduam posuerunt, nullisq; alijs studijs interpellatam, quiq; tantum ac tam diuturnum laborem exhauserunt in Ciceronis, Lij, & ceterorum Latinitatis auctorum scriptis obseruandis. quam rem cum multi magna cum diligentia & animi contentione fecerint, perpauci tamen sunt, qui magna aliquid, aut praecclarum sint assecuti; quiq; linguae latinae commendatione probetur. Neque ego tam diligentem, tamq; accuratam & diuturnam operam in ijs hominibus reprehendo, quibus necessaria est ad eam rem assequendam, cuius studio tam incenso ducuntur, hoc est ad bene, & cum laude latine scribendum. Consilium vero, quo tot de melioribus annis doctrinae studijs, multarumq; magnarum & vtilium rerum cognitioni detrahetos, in hoc studium conferunt, cum aliam linguam paratam habeant, qua cogitationes suas feliciter possint exprimere, eamq; comptam & ornatam, nullo modo possum probare. Hoc labore veteres caruisse, nullamq; tantam temporis iacturam fecisse, neq; illos facturos, qui inuenta & cogitata sua patrio sermone litteris mandare animum inducunt, si negas S. A. V. L. I, tum vero te praecceptorum admonebo. Conuenit enim inter nos, vt Socratico more sine pertinacia veritatem perquiramus. quae ita hac in re cuidens est, vt nullis verborum praestigijs possit eueriti. neque enim omnia sunt in eloquentia, qua tantum vales, vt quod nonnulli veteres siue illi oratores, siue sophista fuerint, professi sunt, possis deteriore causam dicendo facere meliorem. Sed laetor coram ijs Iudicibus causam agi, quos nullum artificium possit pervertere, neque vllus illorum metibus obijci error in re praesertim tam clara. S. A. V. L. Multo mihi formidolosior esse deberet eloquentia tua GONZAGA, quam mea tibi, si in instituta disputatione vllus illi esset locus, quod tu tam acri oratione ac vehementi modo a te recitata, satis docuisti, cum ego nullum vnquam in hoc genere aut periculum mei fecerim, aut spem dederim. itaq; tuam tibi artem facile concedere. verum illud multo mihi magis, quam tibi latendum video, quod coram ijs Iudicibus causa agitur, quorum sapientiae & ingenio nullis captiombus possit illudi. Tua enim ista ratio, quam tantopere amplexaris, cuiq; occurrere non posse existimas, quamquam re falsa est, tamen tamen similitudine verum attingit, vt nulla ad speciem sit insignior. Verum hoc in loco vnde te nulla ratio

R aut

aut argumentorum vi exturbari posse confidis, quam commode constas mox apparebit. quod ne longum faciam, illud quod a te positum est, accipio, non de illis hominibus inter nos esse pugnam, qui quo tandē scribendi genere res suas mandent litteris, minus laborant, modo a legentibus ipsorum scripta intelligantur; sed de ijs nos differere, qui scribendo nomen suum eloquentiæ laude student commendare, quales sunt Poetæ, Oratores, Historiarum scriptores, atque ij quoq; qui ingenuas artes, ac doctrinas non hoc fædo & inquinatissimo orationis genere, quo multis abhinc annis scholæ vtuntur, sed polito illo & eleganti litteris mandant. quam rem Platonem, Xenophontem, Aristotelem, omnēsq; prisicos illos magnos viros ac Philosophiæ, omnīq; doctrinæ, & eruditionis, omniumq; præclararum artium parentes, Turis quoq; Civilis auctores, sacros etiam Theologos nostros Chrysostrum Nazianzenum, Cyprianum, Tertullianum, Ambrosium, Hieronymum, Augustinum, Leonē, & reliquos veteres semper fecisse constat. Eiusmodi hominibus, si finem, quem spectant, assequi volunt, magna pars temporis a doctrinarum studijs ad eloquentiæ auctores legendos, eorumq; libros assidua tractatione conterendos necessario est conuertenda, atque illorum scribendi genus summa cura, omniq; ingenij contentione obseruandum, quo se se ad illorum similitudinem quammaxime possint, conforment. Omnia enim fere sunt, vt diximus, in hac imitatione, in artis præceptis minimum. quæ res homines a doctrinæ studijs multos annos abstrahit. quam rem veteres non minus, quam nostros facere solitos, testis est Demosthenes, qui Thucydidem in ore & in manibus perpetuo habuisse; quamplurimosq; annos in eius scriptoris assidua lectione contriuisse traditur. Quod idem atate nostra fecisse M. Antonium Flaminiū constat. Cuius multos annos vnum illud studium fuit, vt Poetas omnes Latinos, eos nimirum, ad quorum imitationem se se contulerat, initium faciens a Vergilio, deinceps memoriter recitaret. quibus fratis de integro inciperet; itaq; per plures annos fecisse, omnes in orbem nullo die intermisso recitando. idem alios facere existimandum est, qui ad summum laudis gradum in scribendo contendunt. nihilq; interest, vtrum hic tantus ac tam assiduus labor in sua, an in aliena ponatur lingua, cum vtraque æque diuturnum tempus postulet. GONZ. In hoc vero paucos tibi assensuros puto. SAVL. Assentientur omnes ij certe, qui vtramq; rem experti sunt. Adsunt graues testes, qui Rembum, quem in vtraque lingua æque laborasse tot egregia ab illo relicta monumenta testantur, sepe audierint, cum diceret, se non

non minus assiduum minusue diuturnam & diligentem operam & contentionem in Petrarca & Boccacij, quam in Ciceronis & Latinorum Poetarum scriptis obseruandis consumpsisse. GONZ. At in lingua Latina auctoribus duplex suscipitur labor, quod in illis præter eloquentiæ imitationem perdiscenda sit lingua, quo altero labore vel maximo, quiq; multum temporis aufert, carent ij, qui Italice scribere decreuerunt. SAVL. Duplex responsio est, altera simul cum modo scribendi linguam quoq; perdisci, & ea, quam superius prolixè explicauimus, non minus in Hetrusca ista lingua perdiscenda, quam in latina hoc tempore esse laborandum, quam vos, qui eam, vt diximus, a vobis vultis peti, ab ipsorum etiam Hetruscorum populari loquendi vsu secernitis, vt nemo nisi ex præscripto vestro mittere verbum possit. Quo fit, vt si quis bene Italice scribere velit, æque ac tam diu in Boccacij & Petrarca obseruatione illi sit laborandū, si Italus, ac si Gallus sit; nihilq; intersit, hæc cura & diligentia in aliena an in sua lingua sumatur. qua similitudine cogimus idem de latina lingua fateri, neque dubitare debemus, quin nobis in Petrarca & Boccacij, quam in Ciceronis & Vergilij lectiōne minus diu minusq; attente sit versandum. GONZ. Paucos te puto SAVLI huius opinionis socios habiturum. SAVL. Immo vero paucissimos, vt paucissimi sunt, qui huius rei periculū faciant; quiq; in rebus existimandis, momentoq; suo ponderandis mentem & cogitationem bene penitus defigant. Tu ipse GONZAGA, si quis tibi iusiurandum deferat, minorem ne atatis tuæ partem in lingua Hetrusca, atque in Boccacij & Petrarca scriptis euoluendis te putes contriuisse, quam Longolius aut Oforius in latina lingua, & in Ciceronis ceterorumq; eius linguae Antistitum obseruatione, amabo te, quid respondeas? GONZ. Quid omnino respondeam, cui mea tantum studia nota sunt, ceterorum ignota? SAVL. Satis, vt arbitror, tres priores loci purgati sunt. qui genere leuiores sunt habendi, atque eiusmodi, vt solutam optionem relinquunt, qua quisque lingua sibi scribendum statuat. Simul tamen doceant & admoncant, melius & præclarius, maioreq; cum fructu & gloria operam & studium in latina lingua poni. id quod tamen posterius clarius apparebit, cum dignitatem vsusq; linguae inter se comparabimus. Quarti & Quinti loci, qui deinceps sequuntur, maiora & grauiora sunt momenta. quorum alter, hoc est quartus est de innumeris post vsu latini sermonis vulgo omissum nouis exortis rebus, quæ vocabulo latino careant, quæ nouis nominibus in aliena & mortua, vt vultis, lingua

appellare non liceat; & si appellentur, tum vero aliam plane linguam fore. Quintus sermonem Italiae popularem latino ut praestantiorum & pulchriorem aut eponit. Quae si vere dicuntur, non iam libera nol is relinquuntur consilia, utram linguam sequamur; sed quarto efficitur, ut latine omnino scribi non possit, quinto, ut, etiam, si possit, non debeat. Duo igitur hi loci, qui susceptam quaestionem maxime continent, longiorem & fortasse etiam litigiosorem habent disputationem. Quae cum ille dixisset BONCOM-PAGNVS, multum, inquit, diei iam processit, horaq; prandij appropinquans nos admonet ut ad sacrum accedamus. Consurreximus igitur omnes, sacroq; peracto discubuimus.

D.E

DE. LING. LATINAE  
VSV. ET. PRAESTANTIA  
LIBER. SECVNDVS

AD. S. CIPIIONEM. GONZAGAM



¶ M summa hilaritate iucundissimisque sermonibus ac iocis in conuiuio fuisset, mensis remotis BONCOM-PAGNVS cum in nulla, inquit, disputationis parte SAULI te conuenit defatigari, tu vero haec, quam nunc habes in manibus, acerrimam a te contentione postulat. venistis enim in media dimicatione, atq; in eam, in qua huius quaestionis vertitur summa. haec enim pugnam a vobis elusam putamus, nunc a comminando ad inuendum praelium descendendum est. non debes igitur nos nunc, ut cum maxime, ad te audiendum animis erectis desistere; expectationemq; nostram frustrari, sed tamquam nunc primum certamen inter vos committatur, integris viribus animoq; infracto & viuido manu commiscere. Ex huius enim argumenti exitu pendet, utrum nutantem & instabilem, ut adhuc, an certam & exploratam de instituta quaestione posthac habeat sententiam. Perge igitur alacri animo sententiam tuam nobis explicare. SAUL. Pergendum vero, & fortiter agendum video. neq; enim mihi imperijs tuis deprehensio integrum iam est; aduersus iussa contumacem esse. Initium igitur faciens illud repetitum volo, quod superius satis arbitrator demonstratum, latinam linguam Italis alienam dici non posse. illud praeterea praemuniendum est, quod paullo ante leuiter attactum enodatum nunc est explicandum. Nego igitur latinam linguam extinctam aut mortuam esse existimandam. neq; enim ea res mortua vere ac recte appellatur, quae nobiliore & praestantiorum sui parte uiuat & vigeat. quae res in inuestigationem nostram conuenit. Etenim cum sermonis duplex sit usus & facultas, altera loquendi, altera scribendi, longe haec infinitisq; partibus illi praestat; atq; adeo rerum humanarum praestantissima est, quippe quae vitam, mores, humanitatem, omnes doctrinas, omnes artes, omnia denique nostra contineat. sine qua homines in altissimis ignoracionis tenebris versentur; vitaeq; haec nostra agrestis & inculta haud multum sane a ferarum absit immanitate. Litterarum enim praesidio, scribendiq; facultate

facultate duce omnes doctrinæ, omnesq; artes, quibus vita hæc nostra ad humanitatem excolitur auctæ, & absolutæ, atque ad perfectum hunc statum adducta sunt, leges scriptæ, viuendi tradita præcepta. nulla enim ars litterarum & scribendi ope deferta aut perficitur & absoluti potuisset; aut perfecta & absoluta durare. neque enim. vlla earum primo & ab vno inuente ad perfectum & absolutum operis effectum perducta est, aut omnibus suis partibus & numeris expleta, sed tantummodo inchoata, cui reliqui, qui consecuti sunt eiusdem studij amuli alia deinceps atque alia paullatim addendo omnes tandem scientias & doctrinas; omnesq; artes ad perfectionem hanc, in qua nunc sunt, adduxerunt. at hoc haudquaquam potuissent facere ope litterarum & scribendi facultate destituti ij, qui primos rerum inuatores deinceps consecuti sunt; nisi primi illi inuatores; ijq; qui primis proxime succreuerunt, inuenta & addita sua litteris & scriptura consignata successoribus reliquissent; præbuisentq; materiã, cui ipsi deinceps ac paullatim quæ præter iam inuenta excogitassent, adderent. neque enim ex primis inuentis lumen aliquod in eodem studio succedentibus potuisset præferri; quo illi illustrati cetera, quæ restabant, possent inuestigare; atq; superiorum inuenta ipsi limare & polire. Iam vero quæ & quanta illa est utilitas, quod litteris & scriptura deficientibus nullam priorum. temporum & sæculorum, quæ ante auos aut summum proauos nostros fuerunt, notitiam haberemus? omniumq; rerum memoria periret; atq; in maxima obscuritate & obliuione tot Regna, tot Respublicæ, tot clarorum virorum res gestæ, omnia deniq; temporum monumenta iacerent. Ut qui rerum status superioribus sæculis fuerit; qui vsus, qui mores, quæ leges; quæ instituta, quæ bella, quæ pestes, quæ rerum conuersiones, quæ imperiorum euerfiones, qui populi opibus & armis floruerint, ne suspicari possemus quidem. Quare cum singulis doctrinarum & artium inuentoribus tantam gratiæ nostræ partem debeamus, quanta est in singulis inuentis rebus utilitas, litterarum & scribendi inuentoribus vniuersam gratiam omniaq; nostra debemus. quorum ingenio & præclarissimo omnium, quæ excogitari possint, inueto omnes artes, omnesq; doctrinæ ad perfectionem & absolutionem venerunt: vita nostra legibus, moribus, institutis formata & excolta est; clarorum virorum memoria celebratur: vigentq; virtutum monumenta, a quibus vitæ cum honestate & laude deinde sumamus exempla. Cum igitur pars hæc linguae, quæ dignitate & gloria infinito interuallo alteri sit anteponepa, viuat ac vigeat; eiusq; numquam sit intermissus vsus, sed iam inde ab eius

ab eius initio cum in Latio hac lingua loqui homines cœperunt, perpetuo retentus & cultus, siquidem etiam post Italiam, Hispaniam, Galliam & ceteras linguas inductas numquam latine & quidem maxima ex parte scribi desitum est, vt paullo ante diximus, qui tandem hanc linguam mortuam conuenit vocare? Usus quidem minus nobilis illius partis omissum dicere possumus; neque eum ipsum omnino. quippe cuius in rebus, quæ reliquas humanas dignitate antecellunt, in ijsq; locis, in quibus negotia omnium maxima tractantur, sit adhuc locus, hoc est in scholis & in iudicijs. Quare diligenter cauendum est nobis, ne post hæc linguam latinam vigentem & florentem falso mortuam appellado per summam iniuriam & impietatem obruere & sepelire contendamus. GONZ. Voluntati istius tuæ SAULI, quam ita egregiam erga linguam latinam ostendis, nihil illa tibi magnopere debet, quod illam ab interitu seruare, atque adeo defunctam iam & extinctam ad vitam reuocare verbis studeas, cum re non possis. neque ista tua distinctio de scribendi & loquendi facultate satis acute a te excogitata quidquam tibi est perfectum ac conclusum. Te enim virum omni eruditione perpolitum, omniq; eleganti doctrina instructum non fugit, in vnaquaque re ponderanda & iudicanda non ea, quæ extrinsecus adueniunt, sed vim & naturam ipsam rei esse spectandam, & ad illam iudicium & estimationem nostram dirigendam. Dubitari autem non potest, quin vis & natura sermonis sit locutio; eaq; de causa lingua & sermo sit a natura hominibus datus, vt loquantur, notionesq; animi loquendo expriment; eaq; facultas, non autem scribendi ars inuenta nos a belluis distinguat. Hominum enim est inuentum, vt tu ipse modo posuisti, quæ loquimur, ea litterarum monumentis & scriptura ad posteritatis memoriam consignare. res quidem præclarissima, sed quæ linguae natura ac vi sua nequaquam insit, verum illi extrinsecus accidat. Cuius rei vel illud sit signum, quod multæ nationes fuerunt, & etiam nunc sunt, quibus hic scribendi vsus diu fuerit ignotus & adhuc sit; atq; adeo vniuersus orbis terrarum eo vsu multa sæcula caruerit, cum inuentor Cadmus proferatur, aut si quis alius fuit, qui multis sæculorum ætatibus post conditum orbem fuit. Illa igitur tantummodo lingua viuere existimanda est, quæ loquimur; quæq; nobiscum nascitur, cum nulla alia linguae & sermonis vita sit, quam locutio. quæ vero non loquimur, in quaq; loquendi vsus, qui sermonis vita est, extinctus est, ea mortua plane est censenda; neque naturalis nostra appellanda, quippe, quæ non a natura insita nobis, sed a Magistro accepta aliena & dici & haberi debeat.

debeat. Qui enim alicnam eam linguam non dicamus, quam si propria nostram esse contendamus, ceteræ omnes Europæ nationes nobis litem intendant; singulæq; illam suam vindicent? quippe cuius vsus non minor, atque adeo frequentior sit apud illas. Ut si cam alienam nõ libeat appellare, saltem propriam nostram nõ esse cogamur confiteri SAUL. Enimvero GONZAGA cetera. quæ adhuc attulisti, & si minus mihi probata sunt, tolerabilia tamen fuerunt. hæc vero tua tam captiosa ratio, pace tua dixerim, nullo modo ferri potest. non enim ista, quam adduxisti solida est sententiæ, sed verborum futilis & inanis differentia: quod si verba potius sequi, quam sententiæ volumus spectare, nulla disputatio satis nobis procedet. Definitio enim sermonis istam à te excogitatam differentiam refellit. didicisse autem te a Dialecticis puto, quarum rerum definitio sit una & eadem, eas res inter se re non differre. Quæ vero sit alia sermonis definitio, quam verborum contextus & complexio, quibus animi notiones & sensa ab ijs, ad quos verba perueniunt, percipiuntur? quid porro interest, vtrum verba hæc ore pronuntiemus, an in tabulis exarcemus, cum vterque sit modus, quo verbis, non autem nutu & significatione (ne eam latebram habeas) sensa nostra animiq; nationes quibus volumus, aperimus. Modi igitur sermonis cum alijs communicandi duo sunt, cum vnus tantum sit sermo, alter oris, alter stili. quorum hic præstantior illo est habendus. quippe quod ille caducus sit ac subito intereat; auresq; præteruehatur posterioribus verbis antecedentia trudentibus & expellentibus, at qui scriptura consignatur sermo, immortalis est; quiq; sepe repetitus adhæreat & retineatur; neque præteruolet. Quod si captionibus ego quoque velim tecum agere, vide in ratione ista tua quot sint vulnera. Principio qui tibi venit in mentem Italiam linguam natura nobis insitam vocare, cum hoc in nullam linguam cadat? Si enim vlla esset hominibus naturalis lingua, ea nimirum omnes homines omnesq; gentes vterentur. quarum tam varius tamq; inter se diuersus nunc est sermo. quæ enim natura sunt, ea vbique eadem & perpetua sunt, neque locis, aut nationibus aut temporibus variant. facultatem tantummodo & aptitudinem ad loquendum natura hominibus dedit; hoc vero, aut illo sermone vti, hoc non à natura, sed ab alijs causis habemus. deinde si sermo, qui perdiscendus sit, naturalis non est, id non minus in Itala, quam in latina lingua valet. vtraque enim perdiscenda est; nec refert vtrum a nutrice, an a præceptore, & vtrum in schola, an in domestica consuetudine. Iam vero quid ruidem ista tua distinctio ad

quæstio-

quæstionem nostram pertinet? aut quid verba inter nos aucupamur, cū sententiæ non discrepemus? Quare quoniam aures ita delicatas habemus, alijs vramur verbis, duasq; has res, quas adhuc vno vocabulo nominauimus linguæ siue sermonis, distinctis nominibus vocemus, alteramq; latinam locutionem; alteram latinam scripturam appellemus. cum vtraque res nihil aliud sit, vt diximus, quæ modus sermonis proferendi, animiq; cogitata enuntiandi; neque de origine vtriusque, quod nihil ea res ad nos pertineat, laboremus; sitq; sane locutio vetustior, modo illud teneam, hanc scripturam eundem vsum ad verba emittenda, quem locutionem habere. quam tu subtili quadam ratione rem ad tenue limando contendis non esse in natura & vi linguæ, sed illi extrinsecus aduenire; ad hoc solidam per se rem esse; quæ natura & vi sua innixa stet; quæ omnium rerum humanarum vtilissima sit; qua sublata non multum homines abessent a belluarum immanitate. Quod igitur in altera parte valet, idem cur in altera non suscipiatur, non video; ac si ideo Itala locutio, siue illam linguam velis appellare, non enim pugno, vna existimatur, quod vsus Italice loquendi vigeat, cur non viuere existimeretur latina scriptio, cuius vsus nunquam interierit? Verum hæc spinosa & captiosa sunt; potiusq; ad rem inutilibus controuersijs implicandam, & inuoluendam, quam ad veritatem explorandam ac commodatam; nosq; in rebus futilibus nimium immoramur, quæ omitti omnino potuerunt. Ut quod extremum posuisti: de exteris gentibus linguam hanc singulis vindicantibus, omitti etiam potuit. Nam non ideo Italis hominibus aliena est hæc lingua, aut minus ipsorum propria, quod ea ceteris Europæ nationibus communis sit, vt Romana Ciuitas non minus Romanorum propria erat, quamuis illa non priuati modo homines complures, sed integræ quoque nationes donarentur. Igitur exteri lingue huius, vt Ciuitatis participes facti quemadmodum Ciuitatem, ita linguam propriam Italarum, ac secum comunicatam debent agnoscere. Retinendum est igitur, latinum sermonem nobis, & huic ætati nostræ alienum non esse, neque extinctum vlllo modo. quippe quem graues atque ingenio & doctrina præstantes viri se non deponere perpetuo testati sunt, neque ab eo se auelli nisi quotidianorum vsuum necessitate sint passi, sed eum perpetuo vsurparint. in grauioribus negotijs & rebus, nimirum in Gymnasijs, in doctrinis litterarum monumentis mandandis, in iudicijs exercendis, in actis & decretis publicis condendis, in Historijs conscribendis, in epistolis inter se mittendis, vt minus centum ab hinc annis non modo Principes, sed priuati etiam homi-

S nes



in alio sermone, quam latino litteras etiam familiares scribere verendarentur. quem morem Genueses tam in epistolis, quam in tabulis conscribendis postremi omiserunt. Duo igitur haec sunt posita, alterum quod tu des mihi necesse est, latinam linguam non alienam, sed non minus nostram, quam Italiam popularem esse, eamque non extinctam sed vigere; alterum, in quo non magnopere tecum pugnabo, eius usum in quotidiano & populari sermone esse intermissum, vel etiam, si ita manis, plane extinctum, non quidem omnibus in locis, nam in scholis & in iudicijs viget. His igitur positis id quod necessario sequitur suscipiendum est. GONZ. Quod id tandem? SAUL. Ut in nouis nominibus fingendis quod veteribus latinis licebat, idem nobis quoque partim liceat, partim non item. GONZ. Quae tandem sunt ista, aut quae est ista distinctio? SAUL. Ea quae huic loco lucem afferat, ac sine qua in obscuritate nos versari necesse sit: nihilque certi & explorati statuere possimus. quod idem in omnibus controuersijs vsuuenit, ut sine distinctione veritas elucere non possit; sineque, villo fructu in arduis rebus inuestigandis & disceptandis laboremus. Ut recte Horatius dixerit.

- „ Non qui Sidonio contendere callidus oestro
- „ Nescit Aquinatam potentia uellera succum,
- „ Certius accipiet damnum, propius ve medullis,
- „ Quam qui non poterit vero distinguere falsum.

In quam sententiam mentem bene penitus desigere debemus. Versatur enim hoc tempore magnus error, qui quamplurimos uel excellenti ingenio, egregiamque scribendi facultate & eloquentia praeditos viros, quos non necesse habeo nominare, ni fallor, transuersos egit, dum putant non licere nobis noua uocabula, nouaque reum nomina in latinum sermonem tanquam alienum inducere. quemadmodum Romanis olim licuit in sua uidelicet linguam. Hoc vere dicitur aliqua ex parte. at qui id omnino & in uniuersum sine distinctione suscipiunt, eo errore lapsi sunt, quod causas variandi sermonis non satis animaduertunt, aut ponderarunt; neque res inter se longe diuersas, ut par fuit, distinxerunt. id quod liquido apparebit. Nos igitur errorem aperiemus distinctione adhibita, quae disputationi nostrae lumen praeferat, inueteratumque errorem eripiat. Peto igitur a te GONZAGA, & a uobis omnibus, qui adestis, ut mentem acriter intendatis, ac si qua opinio insedit animis uestris, eam si ratio ueritasque ipsa non dico labescetabit, sed plane extorquebit, ne inuati deponatis; neque uos eorum, qui adhuc in

hac

hac facultate latine scribendi cum laude sunt uersati, a re momentis suis ponderanda deterreat consilium: maioraque & grauiora sint apud uos rationis & ueritatis, quam cuiusquam auctoritatis momenta. Peruincet enim ratio, ut spero, lapsos plane esse viros ceteroqui doctos & ingeniosos, ac disertos. Qui igitur ueteribus in sua lingua uocabula mutare, nouaque, alia ac nouas loquendi formas inducere licuisse contendunt, nobis non item, ij rationem & causam eius rei debent afferre. at nihil est facilius, aut magis in promptu, forensis nimirum ac popularis loquendi usus. ad quem scribentes, & oratores, poetae quoque se accommodare, ut mox. planum faciam, cogebantur. quare ubi viget hic usus, ibi loquendi formas, uocabulaque, variare non solum licet, sed necesse quoque est. si imperet usus uarians.

„ Quem penes arbitrium est, ac vis & norma loquendi.

Hic igitur forensis & popularis usus pro tempore uariis, aliusque, alij paulatim succrescens; ueteresque loquendi, ad pronuntiandi, & scribendi formas expellens, ac nouas in eorum locum paulatim inducens, variare quoque oratores & scriptores cogebat, ac non potestatem modo illis faciebat, sed vim quoque & necessitatem adhibebat noua uocabula, nouaque loquendi formas inducendi, quamuis id neminumquam contra rationem fieret, id quod Cicero non uno in loco aperite restatur, qui se se populi usum sequi, quamuis contrarium rationi, atque a ueteri usu tam in recte loquendo, quam in scribendo abhorrens fatetur. nam rectius inuideri florem, quam flori dici, sed consuetudini seruendum, quae flori accepit; item confidentem mala consuetudine loquendi in uitio poni. Consuetudinem igitur quamuis malam sequitur Cicero. haec & multa eiusmodi loquendo. at scribendo non pauciora. Maiores, inquit, nusquam nisi in uocali aspiratione utebantur. idco ipse loquebar sic, ut pulcros, Cetegos, triumphos, Cartaginem dicerem. alioquando, idque sero, conuicio aurium cum extorta mihi ueritas esset, usum loquendi populo concessi, scientiam mihi retinui. ueritati igitur & scientiae usum populi ueluti arbitrium & normam loquendi anteponendum docet Cicero. quae res nobis prorsus est interdicta usu hoc loquendi magistro atque arbitro extincto. Forensis igitur & popularis usus, tum uigens nunc extinctus uera & germana causa est, quae in potestate nouarum uocum nouarumque loquendi formarum induendarum differentiam inter nos & ueteres facit. Quam rem ut copiosius explicem, ac planiorem faciam, dico ueluti hinc initium sumens, latinam linguam, & ceteros omnes omniumque gentium

S 2 sermones

sermone vocabula saepe & loquendi formas, ac verborum terminatio-  
nes, vocum quoque sonos variasse, procedentibusq; temporibus littera-  
rum usum immutasse, aliamq; pro alia posuisse, idque non in vocabulis  
modo, sed in consonantibus quoque; aliterq; alio atq; alio tempore ver-  
ba ac nomina terminasse & inflexisse. Ut Polybius affirmet, tantam  
factam esse Romanae linguae mutationem, ut pleraq; in primo saeculo a  
Romanis cum Carthaginensibus isto anno primo post exactos Reges L.  
Iunio Bruto. P. Valerio poplicola Coss. vix ab antiquitatis studiosis  
ac peritissimis viris intelligeretur. Quod ne mirum videatur, bona tua  
gratia Praefecte inscriptionem incisam in basi columna erectæ C.  
Duillio, ei, qui primus Carthaginenses navali praelio vicit, modo inven-  
tam, quam mecum attuli, quod eam ad hanc disputationem pertinere  
existimaui, proferam, simulq; tabulam, quæ Genue in sede maxima ad-  
servatur, a Rusticano quodam Patrum nostrorum ætate in finibus Ge-  
nuensium haud procul ab Urbe ipsa casu repertam, cum is agrum fo-  
deret. magnam enim lucem afferet disputationi, quæ in manibus est.  
Annunte BONCOMPAGNO. SAVLIUS tabulas protulit.  
quarum aenea Genuensis tota integra est, at Duelliana marmorea rui-  
nis contracta multisq; circum detractis partibus, ut multa in illa de-  
siderentur. quæ industria & sollertia plurimoq; labore Petri Ciacho-  
ni Toletani multæ eruditionis eximieq; antiquitatum cognitionis, ac  
præstantis ingenij viri, mihiq; amicissimi suppleta sunt, præclare ac ve-  
re mea sententia. Duo attuli exempla, alterum veteris inscriptionis,  
ut est manca & circumcisa; alterum, in quo suppletæ res minutiore-  
bus litteris notatæ sunt, ut sententia inspicientibus & legentibus cla-  
rior sit, obscurissima aliter futura. primum exemplum tale est.

ANO

ANO

D. EXEMET. LECIONES

XIMOSQVE. MACISTRATOS  
VEM. CASTREIS. EXFOCIONT. MACEL-  
VCNANDOD. CEPET. ENQVE. EODEM. MAC  
EM. NAVEBOS. MARID. CONSOL. PRIMOS  
LASESQVE. NAVALES. PRIMOS. ORNAVET. PA  
VMQVE. EIS. NAVEBOS. CLASEIS. POENICAS. OM  
VMAS. COPLAS. CARTACINIENSIS. PRÆSENTE  
ICTATORED. O. OM. IN. ALTOD. MARID. PVC  
QVE. NAV. T. CVM. SOCIEIS. SEPTE  
QVE. TIREMOSQVE. NAVES. X  
M. CAPTOM. NVMEI. CIO CIO CIO IO  
TOM. CAPTOM. PRED. NVMEI. CCCIOOO  
CAPTOM. AES CCCIOOO CCCIOOO CCCIOOO CCCIOOO CCCIOOO  
CCCIOOO CCCIOOO CCCIOOO CCCIOOO CCCIOOO CCCIOOO CCCIOOO CCCIOOO CCCIOOO  
CCCIOOO CCCIOOO CCCIOOO CCCIOOO CCCIOOO CCCIOOO CCCIOOO  
OQVE. NAVALE. D. PRÆED. AD. POPLO  
ARTACINIEN NVOS D  
EIS ARTA.

## Exemplum suppletę sequitur.

C. bilios. m. f. cos. asuorsum cartaciniensis en siceliad  
 rem cerens ecestANOs cochnatos popli romani artifumad  
 obsedioneD. EXEMET. LECIONES cartaciniensis omneis  
 maXIMOSQVE. MACISTRATOS lucis bouebos relictis  
 noVEM. CASTREIS. EXFOCIONT. MACELAm moenitam vrbem  
 pvcnandod. CEPET. ENQVE. EODEM. MACestratod prospere  
 rem. NAVEBOS. MARID. CONSOL. PRIMOS. Cestet, remecosque  
 CLASESQVE. NAVALES. PRIMOS. ORNAVET. PARauetq. diebus Lx  
 SVMQVE. EIS. NAVEBOS. CLASEIS. POENICAS. OMneis paratasq.  
 SVMAS. COPIAS. CARTACINIENSIS. PRAESENTED maximod  
 dICTATORED. OlorOM IN. ALTOD. MARID. pvcnandod vicet  
 xxxQVE. NAVeis cepet. CVM. SOCIEIS. SEPTEm resmosque ducis  
 quinresmosQVE. TRIRESMOSQVE. NAVEIS. Xx. depreset  
 auroM. CAPTOM. NVMEI. CIO CIO CIO. DCC  
 arcenTOM. CAPTOM. PRAEDA. NVMEI cccicccc cccicccc cccicccc  
 erame CAPTOM. AES cccicccc cccicccc cccicccc cccicccc cccicccc  
 cccicccc cccicccc cccicccc cccicccc cccicccc cccicccc cccicccc  
 cccicccc cccicccc cccicccc cccicccc cccicccc cccicccc cccicccc  
 cccicccc cccicccc pondo  
 triompOQVE. NAVALED. PRAEDAD. POPLOM romanum donauet  
 captiuos cARTACINIENSis inceNVOS. Duxet  
 primosque consol de sicelEIS claseque cARTACinienseom  
 triompauet earom rerom ergo S. P. Q. R. hancce ei columnam p.

Bella

Letta & inspecta inscriptione SAULIUS Sollerti, inquit, ingenio  
 ac coniectura, historiasq; diligenter inspicendo & conferendo verita-  
 tem, & integram inscriptionis sententiam mihi videtur affecutus Cia-  
 chonus, omissumq; sermonem repetens, Dij, inquit, immortales, quan-  
 ta, quotq; in rebus linguae est facta mutatio a Duillio Cos. ad Ciceroni-  
 nis & Caesaris tempora. nam nullus apparet G. littera vsus. cuius  
 loco: C. semper ponitur. LECIONES. MACISTRATOS.  
 CARTACINIENSIS. Exiguus est vsus vocalis. V. cuius  
 locum: O. occupat. PRIMOS. CAPTOM. frequentissimus est vsus  
 ei SOCIEIS: NVMEIS. Qui vero nisi sententia declarante EXFO-  
 CIONT pro EFFVGIVNT intelligat? Sextus casus in consonan-  
 tem exiens. D. littera terminatur PRAEDAD. ALTOD. MA-  
 RID. prateritū tempus non in it, sed in et exit. CEPET. VICET.  
 Numquam interiecta vocalibus geminatur consonans. quem morem  
 in semiuocalibus fuisse apud veteres Quintilianus & Festus tradunt.  
 Qui ergo CESET pro GESSIT per se nisi antecedentibus vocibus &  
 sequentibus intelligat? caruisse aspiratione videntur TRIOMP O.  
 CARTACINIESEIS. Quod si tanta mutatio facta est lin-  
 gua a Bruto, & Valerio Coss. ad primi Punici belli tempora, nume-  
 rusq; annorum, qui inter illos & Duillium cos. interfuerunt, subdu-  
 catur, ducenti enim & quadraginta octo fuerunt, quanta inter Duil-  
 lium & Ciceronem coss. nemo profecto Polybij verba mirabitur; ne-  
 moq; qui prima conditae vrbis tempora cogitatione & coniectura re-  
 petierit, non statuet, vix aut exigua ex parte linguam Romuli Caesa-  
 ris temporibus intelligi potuisse. Verum inspicenda quoque est Ge-  
 nuensis tabula media inter Duelliana, & Ciceroniana tempora, quae  
 ad Ciceronianā linguam propius accedit, longe tamen illius dissimilis.

Q. M.

Q. M. MINVTEIS. Q. F. RYFEIS. DE. CONTROVERSIIS.  
 INTER. GENVATEIS. ET. VEITVRIOS. IN. RE. PRAESEN-  
 TE. COGNOVERVNT. ET. CORAM. INTER. EOS. CON-  
 TROVERSIAS. COMPOSEIVERVNT. ET. QVA. LEGE  
 AGRVM. POSSIDERENT. ET. QVA. FINEIS. FIERENT. DI-  
 XSERVNT. EOS. FINEIS. FACERE. TERMINOSQVE. STA-  
 TVI. IOVSSERVNT. VBEL. EA. FACTA. ESSENT. ROMAM  
 CORAM. VENIRE. IOVSSERVNT. ROMAE. CORAM. SEN-  
 TENTIAM. EX. SENATI. CONSVLTO. DIXSERVNT. EIDIB.  
 DECEMB. L. CAECILIO. Q. F. Q. MVVTIO. Q. F. COS. QVA  
 AGER. PRIVATVS. CASTELI. VEITVRIORVM. EST. QVEM  
 AGRVM. EOS. VENDERE. HEREDEMQ. SEQVI. LICET. IS.  
 AGER. VECTIGAL. NEI. SIET. LANGANTIVM. FINEIS. A-  
 GRI. PRIVATI. AB. RIVO. INFIMO. QVI. ORITVR. AB. FON-  
 TEI. IN. MANICELO. AD. FLOVIVM. EDEM. IBI. TERMINVS  
 STAT. INDE. FLOVIO. SVSVM. VORSVM. IN. FLOVIVM. LE-  
 MVRIM. INDE. FLOVIO. LEMVRI. SVSVM. VSQ. AD. RI-  
 VOM. COMBERANE. INDE. RIVO. COMBEANEA. SVSVM.  
 VSQ. AD. CONVALLEM. CAEPTIEMAM. IBI. TERMINA.  
 DVOS. TANT. CIRCVM. VIAM. POSTVMIAM. EX. EIS. TER-  
 MINIS. RECTA. REGIONE. IN. RIVO. VENDVPALE. EX.  
 RIVO. VENDVPALE. IN. FLOVIVM. NEVIASCAM. INDE  
 DORSVM. FLOVIO. NEVIASCA. IN. FLOVIVM. PROCO-  
 BERAM. INDE. FLOVIO. PROCOBERA. DEORSVM  
 VSQVE. AD. RIVOM. VINELASCAM. INFVMVM. IBI.  
 TERMINVS. STAT. INDE. SVRSVM. RIVO. RECTO. VI-  
 NELASCA. IBI. TERMINVS. STAT. PROPTER. VIAM.  
 POSTVMIAM. INDE. ALTER. TRANS. VIAM. POSTV-  
 MIAM. TERMINVS. STAT. EX. EO. TERMINO. QVI. STAT  
 TRANS. VIAM. POSTVMIAM. RECTA. REGIONE. IN  
 FONTEM. IN. MANICELLVM. INDE. DEORSVM. RIVO  
 QVEL. ORITVR. AB. FONTEI. IN. MANICELLO. AD. TER-  
 MINVM. QVEL. STAT. AD. FLOVIVM. EDEM. AGR. PO-  
 Plici. QVOD. LANGENSES. POSIDENT. HISCE. FINIS.  
 VIDENTVR. ESSE. VBEL. CONFLVONT. EDVS. ET. PRO-  
 COBERA. IBI. TERMINVS. STAT. INDE. EDE. FLOVIO.  
 SVR. SVORSVM. IN. MONTEM. LEMVRINO. INFVMO  
 IBI. TERMINVS. STAT. INDE. SVRSVM. VORSVM. IVGO  
 RECTO

RECTO. MONTE. LEMVRINO. IBI. TERMINVS. STAT.  
 INDE. SVSVM. IVGO. RECTO. LEMVRINO. IBI. TERMI-  
 NVS. STAT. IN. MONTE. PROCAMO. INDE. SVRSVM.  
 IVGO. RECTO. IN. MONTEM. LEMVRINVM. SVMMVM  
 IBI. TERMINVS. STAT. INDE. SVRSVM. IVGO. RECTO. IN  
 CASTELVM. QVEL. VOCITATVST. ALIANVS. IBI. TER-  
 MINVS. STAT. INDE. SVRSVM. IVGO. RECTO. IN. MON-  
 TEM. IOVENTIONEM. IBI. TERMINVS. STAT. INDE. SVR-  
 SVM. IVGO. RECTO. IN. MONTEM. APENINVM. QVEL.  
 VOCATVR. POPLO. IBI. TERMINVS. STAT. INDE. APE-  
 NINVM. IVGO. RECTO. IN. MONTEM. TVLEDONEM  
 IBI. TERMINVS. STAT. INDE. DEORSVM. IVGO. RECTO  
 IN. FLOVIOM. VERAGLASCAM. IN. MONTEM. BERIGIE-  
 MAM. INFVMO. IBI. TERMINVS. STAT. INDE. SVRSVM  
 IVGO. RECTO. IN. MONTEM. PRENICVM. IBI. TERMI-  
 NVS. STAT. INDE. DORSVM. IVGO. RECTO. IN. FLO-  
 VIVM. TVLELASCAM. IBI. TERMINVS. STAT. INDE. SVR-  
 SVM. IVGO. RECTO. BLVSTIEMELO. IN. MONTEM. CLA-  
 XELVM. IBI. TERMINVS. STAT. INDE. DEORSVM. IN  
 FONTEM. LEBRIEMELVM. IBI. TERMINVS. STAT. INDE  
 RECTO. RIVO. ENISECA. IN. FLOVIVM. PROCOBERAM  
 IBI. TERMINVS. STAT. INDE. DEORSVM. IN. FLOVIOM  
 PROCOBERAM. VBEL. CONFLVONT. FLOVIL. EDVS. ET  
 PROCOBERA. IBI. TERMINVS. STAT. QVEM. AGRVM  
 POPLICVM. IVDICAMVS. ESSE. EVM. AGRVM. CASTELA-  
 NOS. LANGENSES. VEITVRIOS. POSIDERE. FRVQVE.  
 VIDENTVR. OPORTERE. PRO. EO. AGRO. VECTIGAL.  
 LANGENSES. VEITVRIS. IN. POPLICVM. GENVAM. DENT  
 IN. ANNOS. SINGVLOS. VIC. N. CCCC. SEI. LANGENSES  
 EAM. PEQVNIAM. NON. DAVNT. NEQVE. SATISFACI-  
 ENT. ARBITRATVV. GENVATIVM. QVOD. PER. GENV-  
 ENSES. MORA. NON. FIAT. QVO. SERIVS. EAM. PEQV-  
 NIAM. ACCIPIANT. TVM. QVOD. IN. EO. AGRO. NATVM  
 ERIT. FRVMENTI. PARTEM. VICENSVMAM. VINI. PAR-  
 TEM. SEXTAM. LANGENSES. IN. POPLICVM. GENVAM  
 DARE. DEBENTO. IN. ANNOS. SINGVLOS. QVEL. INTRA  
 EOS. FINEIS. AGRVM. POSEDET. GENVAS. AVT. VEITV-  
 RIVS. QEL. EORVM. POSEDEIT. K. SEXTIL. L. CAECILIO  
 T Q. MVV.

Q. MVVTIO. COS. ITA. POSIDERE. COLEREQVE. LICEAT  
 EVS. QVEI. POSIDEVNT. VECTIGAL. LANGENSIBVS.  
 PROPORZIONE. DENT. ITA. VTI. CETERI. LANGENSES  
 QVI. EORVM. IN. EO. AGRO. AGRVM. POSIDEVNT.  
 FRVENTVRQVE. PRAETEREA. IN. EO. AGRO. NI. QVIS.  
 POSIDETO. NISI. DE. MAIORE. PARTE. LANGENSIVM  
 VEITVRIORVM. SENTENTIA. DVM. NE. ALIVM. INTRO-  
 MITTAT. NISI. GENVATEM. AVT. VEITVRIVM. COLEN-  
 DI. CAUSA. QLE. EORVM. DE. MAIORE. PARTE. LANGEN-  
 TIVM. VEITVRIVM. SENTENTIA. ITA. NON. PAREBIT  
 IS. AGRVM. NEI. HABETO. NIVE. FRVIMINO. QVEI. AGER  
 COMPASCVOS. ERIT. IN. EO. AGRO. QVO. MINVS. PE-  
 CVASCERE. GENVATES. VEITVRIOSQVE. LICEAT. ITA  
 VTEI. IN. CETERO. AGRO. GENVATI. COMPASCVO. NI.  
 QVIS. PROHIBETO. NIVE. QVIS. VIM. FACITO. NEIVE.  
 PROHIBETO. QVO. MINVS. EX. EO. AGRO. LIGNA. MA-  
 TERIAMQVE. SVMANT. VTANTVRQVE. VECTIGAL.  
 ANNI. PRIMI. K. IANVARIS. SECVNDIS. VEITVRIS. LAN-  
 GENSES. IN. POPLICVM. GENVAM. DARE. DEBENTO  
 QVOD. ANTE. K. IANVARIS. PRIMAS. LANGENSES. FRV  
 CTI. SVNT. ERVNTQVE. VECTIGAL. INVITI. DARE. NEI  
 DERENTO. PRATA. QVAE. FVERVNT. PROXIMA. FOENI-  
 SICEL. L. CAECILIO. Q. MVVTIO. COS. IN. AGRO. POBLLI-  
 CO. QVEM. VITVRIES. LANGENSES. POSIDENT. ET  
 QVEM. OPIATES. ET. QVEM. DECTVNINES. ET. QVEM  
 CAVATVRINES. ET. QVEM. MENTOVINES. POSIDENT  
 EA. PRATA. INVITEIS. LANGENSIBVS. ET. ODIATIBVS  
 ET. DECTVVINEBVS. ET. CAVATVRINES. ET. MENTOV-  
 NES. QVEM. QVISQ. EORVM. AGRVM. POSIDEBIT. INVIT-  
 TIS. EIS. NI. QVIS. SICET. NIVE. PASCAT. NIVE. FRVATVR  
 SEL. LANGENSES. AVT. ODIATES. AVT. DECTVNINES.  
 AVT. CAVATVRINES. AVT. MENTOVINES. MALENT. IN  
 EO. AGRO. ALIA. PRATA. INMITTERE. DEFENDERE. SI  
 CARE. ID. VTI. FACERE. LICEAT. DVM. NE. AMPLIOREM  
 MODVM. PRATORVM. HABEANT. QVAM. PROXIMA  
 AESTATE. HABVERVNT. FRVCTIQ. SVNT. VITVRIES  
 QVEI. CONTROVERSIAS. GENVENSIVM. OB. INIOVRIAS  
 IVDICATI. AVT. DAMNATI SVNT. SEI. QVIS. IN. VINC-  
 LEIS.

LEIS. OB. EAS. RES. EST. EOS. OMNEIS. SOLVEI. MITTEI  
 LIBERIQVE. GENVENSES. VIDETVR. OPORTERE. ANTE  
 EIDVS. SEXTILIS. PRIMAS. SEI. QVOI. DE. EA. RE. INI-  
 QVOM. VIDEBITVR. ESSE. AD. NOS. ADEANT. PRIMO  
 QVOQVE. DIE. ET. AB. OMNIBVS. CONTROVERSIIS. ET  
 HONO. PVBL. LI. LEGI. MOCO. METICANIO. METICONI  
 F. PLANCVS. PELIANI. PELIONI. F.

*Vtraque tabula lecta s. AVLIVS. ad omissum sermonem rediens.  
 nominum, inquit, formarum loquendi, & ceterarum rerum varietas  
 non aliunde profecto nascebat, ut sepe iam dixi, quam ab usu loquen-  
 di populari. cuius vim Horatius diserte testatur illis versibus.*

„ Multa renascentur, quae iam ceciderunt; cadentque,

„ Quae nunc sunt in honore vocabula, si volet usus,

„ Quem penes arbitrium est, & vis, ac norma loquendi.

*Qui alio quoque in loco eos homines accusat, qui nova rerum vocabula  
 spernentes vetera & obsoleta pugnaciter retinebant.*

„ Quid autem

„ Caecilio Plautoque, dabit Romanus, ademptum

„ Vergilio, Varioque, & ego cur acquirere pauca

„ Si possum inuideor? Cum lingua Catonis & Enni

„ Sermonem patrium ditauerit, & nova rerum

„ Nomina protulerit? licuit, semperque, licebit

„ Signatum presente nota producere nomen.

*Quos etiam homines a Cicerone reprehensos & irrisos accepimus. tan-  
 tumque huic usui tribuebatur, ut ipse etiam Cicero, ut diximus, in re-  
 ste scribendi ratione usum se rationi praeserre affirmavit. quae auctori-  
 tas illorum consilium redarguit, qui etate nostra vetera & obsoleta  
 vocabula Boccacianorum temporum consecratur, nova, & quae in usu  
 loquendi sunt, spreto, neque animadvertunt, se similitudine Latinae linguae  
 reprehensionem subterfugere non posse. Usus enim Latinae vulgo loquen-  
 di, vel omissus, vel extinctus, nova vocabula gignere non potest. ut ve-  
 tera & Ciceronis temporibus usurpata nobis sint, necessario & perpe-  
 tuo retinenda. at in lingua populari diuersum est, in qua popularis lo-  
 quendi usus idem quod vetus Romanus debet efficere. sed horum homi-  
 num opinio satis acute & copiose a Baldassare Castillio refellitur,*

qui mihi de hac re probabilius disseruisse videtur. GONZ. Tu vero Cassillionium tibi dabeto. Ego Bembū & ceteros, qui contra sentiunt, tenebo. quorum, ni fallor, hac præferim in re maiora sunt auctoritatis momenta. SAVL. Maiora apud egregios viros esse debent rationis, quam vilius humana auctoritatis momenta; parcesq; de magnis viris loquendum est; meminisseq; proverbij decet, quod a comparationibus tamquam odiosis rebus nos iubet abstinere: sed hæc alias. nunc quod agimus. Nempe ita dicebamus, neque in eo sententijs discrepamus, nõ licere nobis in rebus, quæ veterum temporibus erant, nova vocabula, novasq; loquendi formas inducere, quippe quod loquendi vsus sit extinctus, a quò vno hæc petenda sunt. quæ res latine scribentibus nihil prorsus incommodat. veteribus enim latinis vocabulis veteribusq; loquendi formis uti possunt. Qua parte diuisionis expedita, quæ facilior & minoris contentionis fuit, altera restat longe difficillima, atque in primis controuersa. quæ ita in speciem firma est, ut quamplurimos, qui nõ exiguos progressus in latinis litteris habebant, ab eo studio abduxerit. Quare ea quæ hæcenus diximus, ludus & iocus fuerunt præ ijs, quæ mox disputaturi sumus. in mediam enim & acerrimam dimicationem deuenimus; at quæ adeo in ipsam arcem inuadendum est. Tria igitur affecerunt ij, qui latine scribendi nullam esse facultatem hoc tempore contendunt, primum nouas easq; innumerabiles post vsum latine vulgo loquendi extinctum exortas res, quæ nomine latino omnino careant. quo fieri, ut si quis latine velit scribere, hæc omnia cogatur omittere; maximamq; proinde cogitationum & sensorum suorum partem non possit exprimere. Alterum, si vocibus non latinis eas res velit nominare, non iam latine illum scripturum, sed barbare & inquinatè; deformeq; monstrum pariturum ex diuersissimis duabus rebus conflatum. Tertium est, si circumlocutionibus uti velit, molestum illum sibi, & legentibus ingratum ac vix tolerabile negotium sumpturum. quid vero ea lingua facias, qua recte & proprie animi sensa aperire non possis, sed per ambages te debeas auribus hominum insinuare? Cui vero omnino mortalium tantum ab vsuum suorum necessitatibus otij est, ut te iustum diem vix dimidiam sententiam tam longo, ac molesto verborum ambitu exprimentem ferat, quam si proprie loquereris, aut scriberes, duobus verbis poteras expedire. Tunc cum tanto conatu, tantòq; verborum apparatu nihil tandem dicas, tamen te audiri & legi postulare audebis? Quo vero opere prætio tantam molesti negotij molem tibi tandem studeas constare? Quibus rationibus, qui ita dispartant, perfectum

fectum sibi & conclusum putat, quod intendunt; atq; illis ita hærent, ut contra differentium sermonem vix auribus admittant. quam rem tu GONZ. AGA in oratione tua satis demonstrasti, qui in hoc argumento plurimus fueris, quod causæ vestræ munitissimam arcem putas. GONZ. Et quidem ita munitam, ut si me & ceteros ex ea decieris, lauream tibi deberi confitear. SAVL. Palmam quidem ex hac victoria potius quam lauream spero, ita leuis mihi in hac dimicatione videtur exudandus esse labor; speroq; te hoc in loco multo minus commode constiturum, quam in tribus superioribus constiteris. Verum ne verbis tantum feroces videamur, pes est conferendus; pressaq; agendum; ac distinctio præmunienda, cuius ut paullo ante diximus, ea est natura, ut res confusas & obscuras explicet & illustret; veruq; ab adumbratis speciebus secernat, ac veritatem inuolucris euolutam in clara luce constituat. Rerum igitur, quibus noua sint imponenda nomina, duo esse genera dico, alterum earum, quæ re & vsu omninoq; veteribus erant ignota. alterum, earum quarum vsum habebat veteres quidem; quarumq; essentia apud illos erat, quamuis eadem forma quadam non illa quidem, quæ rebus ut sint, dat; sed extrinsecus adueniente, variarent; diuersaq; a nostris essent. GONZ. Exemplis hæc mihi plana fieri velim. SAVL. Fient vero. Superioris generis sunt quamplurima Magistratum ac Principatum & Procuratorum, muniturumq; tam militarium quam Ciuilium nomina. Ut Duces, Marchiones, Lant grauij, Sultani, Bassæ, Bellerbei, Sangiacchi, Asapi, exercitus Magistri. Columnelli; Bellica præterea tormenta & instrumenta: armorumq; genera quamplurima Bombardæ, Cannones, Moscheti, Sargri, Sclopi, Alabardæ; Quamplurima præterea munitio nomina & species. Belloardui, Casemattæ, formæ platæ, & nonnulla eiusmodi. quæ res apud veteres non modo nullo in vsu fuerunt; sed ne excogitare quidem, aut eorum nomina fando audita. ad hoc genus referenda quoque sunt vrbium & prouinciarum, tum locorum & fluminum mutata nomina. Alterum genus est earum rerum, quæ vsu & essentia apud veteres eadem erant, quæ apud nos sunt, quamuis forma, non illa, ut sæpe repetam, quæ intima rebus est: a quaq; res, ut sint habent, sed hac extrinsecus adueniente ac mutabili re eadem manere variant. Eiusmodi sunt complures vestium & ciborum ac condimentorum, ad hoc domesticorum instrumentorum tam vrbiorum quam rusticorum, domesticaq; suppellectilis species; nonnulla quoq; forasse opificum instrumenta. Et si qua alia sunt eiusmodi. In primo genere debemus nos ad vete-



ad veterum similitudinem conformare, ut non vereamur res nouas no-  
 nis ijsq; quæ habent, vocabulis appellare; eaq; vocabula scriptis no-  
 stris inserere, quiq; ita facientes latine negant scribere, ij Casarem &  
 Liuii ceterosq; latina lingua principes latine negant scripsisse. qui Ma-  
 gistratum & Imperiorum ac Procuratorum item bellicorum instru-  
 mentorum & ceterarum rerum nouarum ab exteris acceptarum, quæ  
 scribenda incidebant, nomina, suis vocabulis, ijsdemq; quibus ab exte-  
 ris gentibus, a quibus res eas accipiebant, appellabantur, insignia fa-  
 ciebant, quamuis ea neque a Græco sermone manarent, neque ulla simi-  
 litudine latinam linguam attingerent. Doceant igitur ij, qui ita deli-  
 catas aures habent, cur non idem quod illis, liceat nobis? cur tandem  
 minus latinus sit sermo noster. Magistratum Procuratorum, item  
 bellicorum instrumentorum & armorum nominibus, quæ superius paullo  
 ante commemoravi, in scripturas nostras insertis, quam veterum, qui  
 Mediastuticos, Saufetes, Druidas, Ambactos, Item Cestrophendo-  
 nes, Falaricas, Acinaces, Sarissas, Cetras, Rompheas, & quam-  
 plurima alia similia magistratum & armorum nomina in scripta sua  
 transtulerunt. ea enim fuit veterum sententia, ut quemadmodum Ci-  
 uitatem suam non minus Romanam, ac Quiritium populum non mi-  
 nus Romanum putarent, quod nonnullos sæpe exteros in Ciuitatem  
 acciperent, ita linguam suam contaminari non putarent, neque cor-  
 rumpi, nec minus puram latinam esse, quod nonnulla rerum nouarum  
 & antea inauditarum vocabula Ciuitate donarent, qui mos omnium  
 populorum & omnium temporum fuit, & nunc, ut cum maxime, vi-  
 get. Cui orationi occurri non potest, quod is mos ab illis tantummodo  
 possit vsu pari in sermone suo, quorum lingua extincta nõ sit. nam hæc  
 ratio quando valeat, modo demonstrauimus. Longe diuersa ratio est  
 eorum vocabulorum, quæ non vsu loquendi forensis, & popularis po-  
 puliq; arbitrium, sed nouæ exortæ res vel peregre importatæ neque Ro-  
 mano populo antea cognitæ aut auditæ necessario inducebant, scripto-  
 resq; una cum nouis vel exortis vel peregre aduectis rebus aut noua  
 ipsi fabricabantur vocabula, aut peregrina vsurpabant. quam rem qui  
 licuisse illis facere concedunt, nobis negant, ijs Pitagoræ auctoritas  
 est optanda, cuius dicta pro decreto rato & fixo illius discipuli habe-  
 bant, nefasq; putabant, rationem querere. nam ratione quidem quod  
 statuunt, docere possunt nulla. Cur enim nobis minus, quam veteri-  
 bus nouarum rerum noua nomina accipere & vsurpare liceat? aut  
 quis rationem comminisci possit diuersum statuendi? quippe quæ Ro-  
 mani

mani & Latini homines ab vsu & consuetudine populari sermone  
 immutante similiter atque nos non acciperent, neque in hoc secundo  
 genere sese linguam mutare intelligerent. Neq; enim quemadmodum  
 in superiore genere cum noua vocabula nouasq; loquendi formas indu-  
 cebant, vetera expellebant, nouasq; in illorum locum subieciunt,  
 ita in hoc secundo genere cum noua Magistratum vocabula vsurpa-  
 bant Romanis non antea audita, idcirco nomina Magistratum suo-  
 rum deponebant, quod nouam linguam faceret, sed vetera earum re-  
 rum nomina retinebant, linguaq; eadem manebat. Neque enim pro  
 Consulibus, Tribunis, Prætoribus, Aedilibus, Dictatoribus, Pon-  
 tificibus, Saufetas, Mediastuticos, Druidas inducebant, nec pro pi-  
 lo, toracæ, gladio, sarissæ, cestrophendonis, cetræ, falaricæ, acina-  
 cis nominibus utebantur, sed in rebus & magistratibus Romanis ac  
 veteribus vetera nomina retinentes, nihilq; immutantes exteras res  
 & Magistratus, quæ Romano vocabulo carebant, suis & extercis vo-  
 cabulis appellabant; neque ideo sese aliam linguam creare, aut linguã  
 latinam exteris vocabulis vsurpandis putabant inquinare. quod cur  
 nobis idem non liceat, nemo ne umbram quidem, ut ita dixerim, ra-  
 tionis poterit comminisci. At in superiore genere non nouas neque co-  
 gnitas antea res nouis & suis vocabulis peregre aduenientibus num-  
 cupabant, sed veteres & cognitatas res nouis nominibus veteribus ex-  
 pulsas appellabant, nouasq; loquendi formas vsu populari ita cogente  
 veteribus paulatim obsoletis & expulsis inducebant, sermoneq; sese  
 ea in re mutare profitebantur. quod non modo illis facere licebat, sed,  
 ut sæpe iam dixi, necessarium quoque erat, vsu populi ita imperante,  
 at nobis nullo modo licere confiteor. Quam distinctionem si quis reti-  
 nebit, errorem, si quem mente conceptum habet, facile deponet.  
 GONZ. Scimitarram igitur & Alabardam in Historia scribenda no-  
 minabis, S A V L. Alabardam nominabo, Scimitarram non item,  
 distinctionem, quam posui retinens. nam Alabarda nouum hastæ seu  
 ferri, quo hasta præfigitur, genus est veteribus ignotum. ut non maio-  
 rem ea res mihi religionem iniiciat, quam Liuius Falaricæ appellatio, at  
 scimitarra Turcarum est falcatus gladius, semper autem homines vsu  
 sunt gladio. gladium igitur dicam; & si exprimere formam velim, fal-  
 catum gladium dicam. a scimitarra autem vocabulo abstinabo. Lati-  
 ne enim non Arabice scribere volo. Nam cū apud veteres singula na-  
 tiones gladiū, hastam, scutum, galeam, toracæ, lorica suo vnaquaq; no-  
 mine sibi proprio appellaret, Romani vocabula exterarum gentium  
 in ijs

in ijs rebus, quae sibi cum illis erant communia, in eoq; armorum genere, quo omnes utebantur, haudquaquam sequebantur, sed sua latina usurpabant, quamuis eadem arma forma non nihil variarent, ut Hispaniensem gladium, quem forma longe a Romano gladio diuersa fuisse constat, gladium tamen appellabant Hispaniensem, quem gladium nomen proprium suum Hispanum a Latino longe alium habuisse, necesse est GONZ. Verum illud fac tecum cogites S A V L I. longe aliam veterum ac nostram fuisse rationem. noua enim rerum nomina in latini sermonem inserenda singula singularium nationum tum erant ceteris gentibus prorsus ignota; vnoq; proinde tantummodo vocabulo singula res notabantur. Saguntinorum enim dixit, ut multi putant, erat Falarica; Hispanorum Cetra, Macedonum Sarissa. Ut explicata & explorata hoc in genere esset veteribus latine scribentibus, & loquentibus ratio nominis asciscendi, illius nimirum, quod vnicuique res habebat, at etate nostra eadem res non vno tantum nomine est insignis, sed tot nomina fere habet, quot sunt, quae ea re vtuntur, nationes. Ut nobis in hoc genere herendum sit; neque satis perspectum, & exploratum, qui sit habendus delectus. S A V L. Quem alium delectum habendum censem, quam ut singularium nationum scriptores latine scribentes sua quisq; nationis vocabula teneant? Italo igitur vocabulo vtantur Itali, quamquam nisi arrogans id possit videri, ceteris quoq; nationibus suadeam, ut Itala potius vocabula sequantur, quod latina lingua verius Italarum, quam ceterarum gentium dici possit, quippe quae in Italia nata atq; aliam relique provinciae ab Italis acceperint, multa sunt eiusmodi instrumentorum & armorum Italica nomina ad latinam linguam, quam ad ceterarum nationum sermonem propius accedentia. Latini enim sermonis rationem & similitudinem propius attingit Bombarda & Sclopus, quam Artagliaria & Archibugius. nisi forte quis dixerit, illud nomen ceteris anteponendum, quo ab ea natione, apud quam inuentum est instrumentum, appellatur, in quo non magnopere pugnabo; ac permittam, ut hac in re suo quisq; vtatur iudicio. Longe absurdior quamquam genere non nihil dissimilis est illorum error, qui Vrbes & provincias veteribus nominibus appellant; Papiamq; & Longobardiam, Ticinum, & Galliam. Cisalpinam vocant, qua re quid dici possit ineptius? aut qua in re a veterum more aliorum esse possint? Quae enim talia sunt, ea noua appellari vere non possunt. Cuiusmodi fere sunt vestium omne genus; ciborum praeterea & condimentorum varia species, multa quoq; domestica suppellectilis, ac nonnulla etiam opificum instrumenta. Perfacilis autem nobis & expedita haec est disputatio, quis enim dubitet, quin haec omnia cum re & vsu, qui in eiusmodi

scriptores se quoque ad nomina temporum accommodabant; neque scriptores modo, sed vulgo omnes. Igitur Linus & ceteri, quas vrbes Anxur & Nequinum vocarunt, cum res illorum temporum, quibus ita nominabantur, litteris mandabant; easdem postea Terracinam & Narniam appellarunt, cum ad ea tempora venissent, quibus oppida illa nomina mutauerant. Quid est porro ineptius, quam cum veteres tantam Italiae partem Galliam Cisalpinam ab incolis nominarint, nos non eandem Longobardiam ob eandem causam appellare? Quid enim magis latinam linguam vitiant Longobardorum, Flandrorum, Brabantinorum nomina, quam Gallorum, Insubrium, Cenomanorum, Baiorum, quibus multa Italica & Belgica regiones nominantur? Non ista ad linguam pertinent, sed ab euentibus & casibus pendent. GONZ. Atqui multi nostra aetate latine scribentes, ijq; quorum nomen clarissimum est, in hoc, quem vocas, errore versantur. S A V L. De re loqui, non de hominibus iudicia facere, in praesentia mihi propositum est. proinde tu ne me ad hanc necessitatem adigas. Simili sunt in errore, qui contra ut Italice scribere videantur, vetera populorum nomina recentibus ac mutatis vocabulis appellant, & Belgas, cum de Gallis & Belgis deq; illis temporibus scribunt, Francos & Flandros vocant. perinde quasi haec nomina a linguis mutentur, & non a rerum euentis, ac perinde quasi idem sint populi Franci & Galli duobus nominibus appellati, ut duae sint linguae: eademq; natio alia lingua, hoc est latina Galli, alia, hoc est populari Franci appellantur, cum duae haec sint diuersae nationes; Franciq; Gallos subegerint; ac Galliae partem etiam a se ipsis occupatam nomine suo, ut perpetuus fuit omnium gentium mos, appellarint. Non haec, inquam, linguae sunt, sed rei, sed euentorum. Vides igitur GONZ. AGA ratio ista, quae familiam ducit, quamq; ita firmam putabas, ut non modo non euerti, sed ne labefactari quidem posset, quam facile corruerit; quamq; tota iaceat. GONZ. Patronum te quamuis acrem & vehementem aequo animo feram, partes iudicis tibi assumptam non feram, quae audientibus sunt relinquenda. S A V L. Superest altera distinctionis pars, de rebus, quarum extrinsecus adueniens forma mutata est; ideoq; nouarum speciem habet, cum re & essentia vsuq; veteres sint censenda. quae enim talia sunt, ea noua appellari vere non possunt. Cuiusmodi fere sunt vestium omne genus; ciborum praeterea & condimentorum varia species, multa quoq; domestica suppellectilis, ac nonnulla etiam opificum instrumenta. Perfacilis autem nobis & expedita haec est disputatio, quis enim dubitet, quin haec omnia cum re & vsu, qui in eiusmodi

rebus spectandus in primis est, vetera sint, veteribus quoque nominibus sint appellanda? ac proinde latine scribentes exteriorem vestem, quae ceteras tegat, togam debeant vocare, interiorem tunicam; viatoriam penulam? Forma, inquis, harum rerum diuersa est a veteribus. quid tandem id refert, modo res essentia & vsu eadem sit? Utrum enim in rebus nominandis maiora esse debet essentia, an extrinsecus aduenientium rerum momenta? an nondum didicimus, quae essentia eadem sint, ea ab ijs, quae accidunt, non variari? Quare quemadmodum ferreum capitis tegmen cum vsu idem sit, forma tamen plurimum a veteribus differat, suo vocabulo galeam a scribentibus appellari non reprehendis, cur non idem in vestimentis aequo animo feras? Vel ex ijs, quae in lingua populari vsurpantur, te conuincam. penularum formam nostra aetate in Italia plus vicies variatam vidimus, quas tamen omnes vno eodemque tabarri nomine, quo vestis viatoria ab Italis appellatur, semper vocauimus. Cur igitur eadem similitudo in latina lingua non feratur? ut quemadmodum varia ac toties huius vestis mutatae formae idem semper tabarri nomen retinuerunt, in populari sermone, ita in latino penula nomen nunquam amittant? aut cur doliorum, cacaborum, peluium, sellarum, ceterorumque domesticorum instrumentorum vocabula non retineantur, cum supellex nostra eadem, quae antiquorum vsu, & essentia sit, ac forma tantum nonnihil differat? id quod veteribus ipsis vsuuenisse scimus, apud quos & vestium & ceterarum eiusmodi rerum formas nonnihil variasse multa extant indicia. quae tamen res nouis nominibus tamquam nouae non notabantur. Summam faciam, res ab vsu non ab artificio ac forma nomen accipere. exteriorem enim vestem, quod interiores ac totum hominem tegat, non quod hac vel illa forma confecta sit, togam appellari, sellam quod in ea sedeamus, ita vocari, non quod hac vel illa forma facta sit. Eodem igitur manente vsu, a quo res nomen habent, eadem nomina manere debent, quacumque tandem forma effingantur. quae ut rebus nomen non dat, ita ne adimere quidem potest. Nonnulla tamen noua plane esse, & a nobis inuenta non negauerim, quae ad superius genus possint referri, quaeque cum veteribus essent ignota; nullusque earum plane esset vsus, voce quoque latina omnino careant. verum haec ita pauca sunt, ut vix compareant. His nomen aptum & a latino vel a graeco manans facile potest imponi. Quis enim manuum tegmina Chirothecas nominari reprehendat? quis ferreos orbes ab equo loris vtriusque suspensos, quibus equitantes pedes inserimus, non recte Iouium stapedas ab vsu nominasse dixerit? cur

non

non illa, in qua equites sedemus, sellam iure vocemus, cum latina vox sit sella, instrumentumque sedendi sit, quamuis veteres equitantes ea carerent? eadem ratio erit ceterorum, si qua se offerent, quae noua voce sint notanda. quae adeo pauca sunt, ut mihi in praesentia non alia quam haec tria in mentem veniant. Minutula illa, quae quamplurima oratione tua persecutus es, cum Philippi arma pingeres, minimi sunt facienda, atque adeo superuacanea sunt omnino. neque enim in scripta, grauium rerum cadunt. Siue enim doctrinas tractes, siue poemata conficias, siue historias conscribas, siue de publicis rebus epistolas mittas, nihil opus est eiusmodi minutis rebus. neque enim si quis res gestas Philippi aut carminibus, aut soluta oratione litterarum monumentis suscipiat mandandas, necesse habebit, varias illas picturarum formas, quibus arma erant distincta & insignia, minute conscribere, quorum nomina grauius viris vel in populari sermone ignota ab ipsis tantummodo artificibus vix sciuntur. Vergilij auctoritate contentus grauis & prudens scriptor sese ad eius similitudinem conformabit. qui Didonem aureis & purpureis pictisque vestibus conspiciendam inducens a minutis illis rebus abstinet, quae poematis dignitatem & grauitatem immittunt; satisque habuit formam pulcherrimae Reginae vestibus ad venationem succinctae ita exprimere.

„ Sidoniam picto clamydem circumdata limbo;

„ Cui pharetra ex humero; crines nodantur in aurum;

„ Aurea purpuream subnectit fibula vestem.

Quod Vergilij iudicium sunt qui Homeri consilio anteponant, qui in rebus describendis minutissima quaeque nimium fortasse conscribitus est, quem aetate nostra imitari studuit in Poemate populari lingua conscripto, quod Italia liberatque inscripsit, Ioannes Georgius Trissinus eruditus quidem & doctus in primis vir, atque egregius Poeta. at hac in re sapienter ne fecerit Homeri auctoritatem Vergilio praesferens, aliorum erit iudicium. equidem mecum inter tantos viros, qui in Poetica facultate summum fastigium teneant, iudicium non interponam. Illud tenebo, neque me de eo quisquam dimouebit, Vergilij consilium ad Ciceronis eloquentiae antistitis sententiam propius accedere, qui affirmat, minutam & exilem atque humilem esse nimiam omnem diligentiam. quare in graui oratione & in amplo illo genere, res nimium enucleandas non esse, aut minute persequendas. Perspicuum autem est, ni fallor, nihil Heroico poemate magis ab humilibus & exilibus abhorreere, ac magis grandia postulare. Quam rem Vergilium iudicio potius adductis

V 2 fecisse,

fecisse, quam linguae egestate, quodq; latinus sermo non, ut Graecus, in quascumq; formas velis, flexibilis minus minutis rebus explicandis aptus sit, ut nonnulli putant, Moretum declarat, in quo Vergilius res humiles ita minute persequitur, ut nihil Graecis cedat. Quid enim minutius simulq; enucleatius dici potuit, quam hoc?

- „ Sollicitaq; manu tenebras explorat inertes,
- „ Vestigatq; focum, laesus quem demique sensit.
- „ Parvulus exusto remanebat stipite fumus,
- „ Et cinis obducta velabat lumina pruna.
- „ Admouet his pronam submissa fronte lucernam,
- „ Et producit acu stuppas humore carentes;
- „ Excitat & crebris languentem flatibus ignem.
- „ Tandem concepto tenebrae fulgore recedunt.
- „ Oppositaq; manu lumen defendit ab aura.

Item illa

- „ — erat vnica custos,
- „ Afra genus, tota patriam testante figura,
- „ Torta comam, labroq; tumens, & fusca colore,
- „ Pectore lata, iacens mammis, compressior aluo,
- „ Cruribus exilis, spatiosa prodiga planta,
- „ Continuis rimis calcanea scissa rigeant.

Eiusmodi minuta si in poemate non sunt necessaria, quod genus scribendi omnes stultos admittit, quanto eadem a gravitate historiae sunt magis aliena. GONZ. Veritatem mora, falsa festinatione valere vere tradidit Cornelius Tacitus. quare paullo amplius immorandum est hoc in loco, in quo disputationis summa in primis vertitur, resq; subtilius est tractanda, ac prolixius & planius explicanda: neq; veritas istius breuitatis involucris obtegenda. Tu enim SALLI bellica dumtaxat nonnulla instrumenta & armorum genera protulisti, quas nomis nominibus nuncupari posse, veterum ipsorum exemplo & imitatione confirmare conatus es, quam tamen rem non omnes tibi facile dederint; quin contra acerrimos aduersarios te habiturum puto. Verum ego non necesse habeo omnibus in rebus tibi morose aduersari. quare rem controuersam & ambiguam a me tibi concessam in praesentia habeto. non enim libenter lites sero, sed pauca haec & tolerabilia sunt. Quid cetera omnia, quae in quotidiano vsu versantur? quae non pauca illa sunt, quae commemorasti, chyrotheca, stapeda, sella, sed pene infinita in omni rerum genere, atque adeo tot, ut si quis summam subduca

subducat, plures sint pene etate nostra res, quae latino nomine careant, quam quae latine nominentur; exq; eiusmodi sunt, ut nisi sua quaeq; voce appellentur, quotidianorum vsuum commercia inter nos constare non possint. Atque ut distinctionem tuam accipiam, earum rerum, quae omnino non erant, quas nouo vocabulo nuncupandas esse necessitas a te expressit, ab ijs quae quamuis formam mutarint, vsus tamen earum viget, idemq; est, ac proinde cum eadem sit substantia, eadem cum veteribus possunt dici; recteq; idcirco illas veteribus nominibus vocari. Ut igitur tuam distinctionem sequar, quamplurimae ac pene innumerae biles sunt res in utroq; genere, quae nouis nominibus necessario egent, quae oratione persequi non necesse habeo, nam & vulgo nota sunt, & fatietatem facerent. Sed cogitationi vos ea vestra in omni genere quaeso, subiicite, eaq; omnia animo circumspicite. Principio in vestitu quot noua sunt, quorum nullus apud veteres erit vsus? ac praeter ipsum vestitum quot pannorum sunt inducta species veteribus plane ignota? Quid in cibis? dies me deficiat, si singulas species cum ciborum ipsorum, tum condimentorum velim recensere, quae suis singulis nominibus appellantur, quaeq; apud veteres cum ipse non essent, ne n. minari quidem poterant. Iam vero Salgamorum infinita genera a veteribus re diuersa an non sunt suis proprijs nominibus a nobis notata? Eadem multitudo rerum nouarum, ac nouis & suis proprijs vocabulis distinctarum in supellectili tam urbana quam rustica reperietur. Atq; haec in eo genere sunt rerum, quae nouas plane esse affirmasti; quarumq; nullum fuisse vsuum apud veteres constat. Alterius generis sunt ea, quae eadem cum veteribus fuisse, atque idcirco iisdem, quibus apud veteres nominibus appellandas ex substantia atque ex vsu argumentaris. quem locum non te facilius, quam superiorem tueri posse reor. nam ut tibi dem, quae vsu sunt eadem, quod ad nostram disputationem attinet, substantia quoque eadem esse, quamuis forma quadam varient; ac propterea eadem illis esse tribuenda nomina, ut de toga & de tunica dixisti. Ut igitur haec tibi dem, non tamen haec pro cetero tuo acumine mihi pronunciaré visus es, cum singula harum rerum genera compluribus speciebus ac varijs distinguantur. quas singulas species suis proprijs nominibus vocandas esse cum quotidianorum vsuum necessitas vel ab inuitis nobis exprimit, tum veterum exemplo demonstratur. quorum vno ero contentus, ne nimis longum faciam. Velandi capitis cum vsus sit vnus, non tamen omne capitis velamen vno eodemq; vocabulo nominabatur; sed nomina simul cum speciebus

speciebus erant varia. galerus, pileus, petasus, tiara, cidaris, diadema, corona, mitra, & nonnulla alia. idem igitur nos quoque facere tum veterum exemplum, tum necessitas ipsa cogit. nam ut vestem exteriorem, quam interiores tegit, togam, interiores tunicam etiam nostro tempore recte vocari tibi assentior; atque utramque rem eandem esse genere, substantia, usu cum veteribus non inficio, ita plures ac varias esse affirmo togarum & tunicarum species, varias item penularum, id quod vulgo notum est. quae singula si vno generis vocabulo velis appellare, & a veterum imitatione recedes; neque te ministri ac pueri tui illas poscentem intelligent. Iam vero nauticarum rerum vocabula, ipsiusque navis partium nomina, cum alia plane esset veterum nauigiorum forma, quot ac quam penes innumerabilia sunt? quibus cum latina lingua prorsus careat, in quanta ac quam necessaria re, si latine loqui ac scribere volumus, muti esse cogemur? Quem igitur exitum habet distinctio a te inducta, cum in utroque genere tam multa sint, quae proprio vocabulo nuncupari sermonis & quotidianorum vsuum necessitas cogit? Minuta igitur haec, quae contemnebas, quae in omni genere infinita penes sunt, quorum usu carere non possumus, si non scripto, id quod tamen nullo modo concedo, saltem loquendo, cum illis nobis opus est, an non necessario sunt nobis millies in die exprimenda? *S A V L*, Sunt vero *GONZAGA*. Verum an memoria iam excidit, ita partitos nos esse inter hos duos sermones munera, ut scripturam & graues res latinae linguae reseruaremus, quotidianorum vero vsuum commercia cum pueris, cum mulieribus, cum familiaribus, cum opificibus, cum villicis, cum rusticanis, cum ministris, addo etiam cum magnis & grauibus viris ad popularem linguam delegaremus? *GONZ*. Misera vero & perdita omnino ista est defensionis latebra a te vno nunc primum excogitata, praecclareque se habet egregius iste vester latinus sermo. quo quid mihi opus est; aut quid me molesto negotio implicem, tantoque studio ac labore eum mihi sermonem comparem, quo vix dimidiam rerum partem, quae in vsuum mortalium cadunt, possim exprimere, cum meum paratum habeam, quo omnia animi sensa commode declarare; omnesque res nominem? *S A V L*. Nemini oratio mea vim affert; liberaeque sunt tibi, & vero cunctis hominibus consilia, quo quisque sermone sibi utendum statuatur. vtrum quas tu nouas res in omni genere quotidianorum vsuum protulisti, eas non magnopere ad disputationem nostram dico pertinere. nam si mihi tecum pugna esset de loquendo, valeret tua ratio in quotidianis commercijs. ineptus enim ac ridiculus plane sit, si quis vulgo,

vulgo, ac cum familiaribus & ministris & opificibus alio quam populari sermone utatur. Verum nos non de loquendo, sed de scribendo ambigimus: Docuimus autem modo, eiusmodi res in scripturam non cadere, nisi raro admodum, atque inter familiares ac mercatores, si quis illorum eas res per epistolam sibi mitti postulet, easque in tabernae & societatis aduersaria referat. at in epistolis de grauibus & publicis rebus, quales sunt, quas Principes & oratores, qui Principibus sunt ab epistolis, atque ij, qui publicas & graues res tractant, inter se scribunt, in orationibus, in iudicijs, in historijs scribendis, in Poematibus conficiendis, in primis vero in Gymnasijs atque in doctrinae studijs & disputationibus nullus est, ut planum fecimus, minutis istis locis. *GONZ*. Hoc vero optimum, quod doctrinas & scientias latino sermoni reseruas. id vero est eiusmodi, ut nisi de tuo pudore & iudicio detrabere vererer, affirmare non dubitarem, te talium, qui te audiunt, virorum summam dignitati illudere voluisse. An quisque est tam omnium litterarum ignarus, qui nesciat latinum sermonem minime omnium doctrinis & optimis artibus tractandis aptum? quippe qui primis nominibus maxima ex parte careat. qui substantiam, quantitatem, identitatem, quidditatem, penitentiam, peritiam, perditionem, sublimitatem, aptitudinem, incertitudinem, diuersitatem, indifferentiam, paternitatem, fraternitatem, ac longe maximam eius generis partem dicere non possit. at qui in his vocibus doctrinae in primis versantur. quippe quae de rebus in vniuersum & aeternis differant, quas a materia abstrahunt. Vocabula vero liberalium & Mathematicarum artium apud Latinos nulla sunt, ut Lucretius & alij patrij sermonis egestatem conqueri soliti fuerint, qua fieret, ut Graecorum inuenta latinis litteris explicari non possent; Ciceroque ipse cum Philosophiam latinis litteris mandare aggressus esset, noua vocabula a Graecis mutuata in latinum sermonem inducere coactus est. Et adhuc non pudebit egentissimam latinam linguam cum ditissima Itala conferre. in qua doctrinae commodissime nulla linguae inopia tardante tractentur & explicentur? Tu vero latinum istum sermonem tuum tibi habeto. Ego veram & solidam rationem te nebo. *S A V L*. Neque meum est *GONZAGA* dignitati tantorum virorum illudere, neque est, cur tu acumen meum hac in re desideres, quod ego nullum mihi assumo; quin etiam a te datum neque agnosco, & libenter tibi remitto. quaeque dissero, ea non ingenij ostentandi consilio, sed veritate ductus loquor. pauca igitur pro re tibi respondebo. neque egentem neque ad doctrinas tractandas parum aptum esse latinum sermonem.







novas voces ab usu forensi abhorretes a repudiatis studiis inductas auri-  
 bus admittere noluisse. qua res doctos viros vercūdiōres ac timidiō-  
 res faciebat. Verū bellicosa illa ac gloria plena tēpora luctuoso Italia  
 fato abierūt; mita atq; omnino est ratio: nos enim doctrinæ studia totō  
 pectore amplexi illa in summo honore habemus; ingensq; hominū mu-  
 litudo maximā ætatis & operæ partē, quin etiā nonnulli omnem ipsam  
 ætate & operā in illis ponūt, frequētissimāq; tota Europa ac celeberrī-  
 ma sunt Gymnasia, ad quæ ex circumiectis & longinquis quoq; regio-  
 nibus ingens iuuentutis vis quotidie conflūt: ut repudiari non debeat  
 vocabula, sine quibus doctrinæ explicari non possunt. Quod si ita vere-  
 cundī sumus, ut nova vocabula ac latinis hominibus inusitata fabrica-  
 ri religio sum sit, at græca ipsa vocabula, quibus ut latine loquentes  
 semper in laude posuerunt, vsurpemus, eaq; latinis litteris scriberes,  
 latinisq; casibus græcis omīssis inflectentes ac nominantes latina faciā-  
 mus, quæ res adeo in hac lingua vsitata est, ut doctrinā nō omnīū & ar-  
 tium nomina, quæq; ab illis tractantur græca fere sint omnia, verū, ut  
 dixi, latinis litteris exarata, latineq; pronūtiata & inflexa. ut nō mo-  
 dō nos, sed veteres illi, quī a novis vocabulis abhorrebāt, nō magis illa  
 græca, quā latina esse existimarēt. Sexcēta sunt atq; adco infinita Græ-  
 matica, Rhetorica, Logica, Dialectica, Philosophia. Nō enim *ὑπερμα-  
 τική* aut *ὑπεροπιδιμισ* aut græco more inflectimus, ut secundus ca-  
 pit sit *ὑπεροπιδιμισ* sed Grāmatica, Topica, Topica; Philo-  
 sophia, Philosophia; Mathematica, Geometrica, Astrologia; Musica;  
 Poetica, Theologia, Philosophia, Physica, Politica, Ethica, Oeconomi-  
 ca, Chirurgica, Comoedia, Tragoedia, Epici, Elogia, Exameter, Pen-  
 tamer, Trimeter, Hendecasyllabus, Dactylus, Spondeus, Choreus,  
 Trocheus, Harmonia, Prosopopœia, Orthographia, præterea omnes fe-  
 re verborum & sententiarum figura, metaphora, tropus, apostrophe,  
 hyperbole, parenthesis, synecdoche, antipthesis, anomalum, hyperbatum,  
 antiphrasis, paraphrasis, sed quid ago? aut quid ea syllatim perse-  
 quor, quæ uniuerse & vno verbo dici possunt, omnia Grammaticorum  
 & Rhetorum vocabula. Idem in Mathematicis & Medicis animad-  
 uertere licet. quorum omnia fere vocabula græca sunt latine pronun-  
 tiata, inflexa, & terminata, quæ a Græcis accepta, atque vsu pertrita  
 non iam pro Græcis, vel ab ipsis veteribus, sed pro Latinis habeban-  
 tur, ad hoc horizontes, eclipsis, coluri, paralleli, arcticus, antarcticus,  
 planeta, cosmographia, geographia, topographia, tropicus, zodiacus,  
 melancholia, ephemera, hemitritea, phlebotomia, ut etiam latinis no-  
 minibus

minibus omīssis (multa enim sunt harum rerum latina vocēs) græcis  
 tamquam magis proprijs ac magis rem declarantibus libentius uti-  
 mur; idq; omnibus approbantibus & laudantibus. idem videre licet  
 in architectura, in qua maxima vocum pars græca sunt peristylum,  
 epistylum, stylobatus, zophorus, acroteria, triglyphi, metopa, bases,  
 anterides, hyperthyrum, triclina, œci, ginæceum, andronitis, xystia,  
 hypocæustum, apoditerium, apotheca, pinacotheca, hydraulica. Quod  
 si nemini dubium vniquam fuit, quin omnes artes tam illæ, quæ mecha-  
 nica, quam quæ liberales appellantur, singula sua propria rerum, quæ  
 ab illis artibus tractantur, haberent vocabula ab usu forensi segregata,  
 quæq; in illa tantummodo arte nominarentur, in hoc genere habeantur  
 græca hæc nomina, ac scholis inclusa, in doctrinisq; dumtaxat tra-  
 ctandis vsurpata; ab illis in foro & in alijs scribendi generibus, si ita  
 videtur, abstineamus. Quamquam Romani ipsi multas res in forensi  
 ac domestico & quotidiano vsu græcis vocabulis nominabant; eaq; nō  
 iam pro græcis sed pro latinis vsurpabant, Chirographum, singrapha;  
 Ehippia, stratagema, & alia complura, ad hæc omnium fere rerum,  
 quæ ad architecturam, & ædificationem pertinent, vocabula. Quem  
 igitur morem Cicero & reliqui omnes veteres in græcis vocabulis in  
 Latium inducendis imitauerunt, cum nos ad reliqua, quæ illi non tra-  
 ctarunt, perducamus illorum exemplo & auctoritate inducti. Et qui  
 etymologiam, amphibologiam, ironiam, idololatriam, & sexcenta aliq;  
 tamquam latina ab illis pronūtiata & inflexa ac terminata; quæq;  
 his nominibus subiecta sit notio, etiā a græcarum litterarum ignavis  
 intelligi videmus, cur ab analogia, adiaphoria, entelechia, sympathia  
 & eiusmodi reliquis abstineamus, non video: quid declarant vulgo, in-  
 quis; non percipietur. ne illa quidem, quæ diximus, vulgo tum per-  
 cipiantur; cum primum in latinam linguam inducta sunt. quæ tamen  
 res doctos homines nō deterruit ab illis vsurpandis, & qui latine scri-  
 bunt, litterarum tantum hominibus, & in scientiarum studiis versatis  
 scribunt. quæ nostra ratio auctoritate quoq; prisorum illorū patrum,  
 qui Iulij & Claudij imperantibus tum cum latinus sermo eiusq; quo-  
 tidianus & forensis vsus maxime vigeret, relicto Idolorū cultu Chri-  
 stianæ religioni nomina dabant, comprobatur. Idem enim seruarunt  
 prisici illi latini homines Christiani facti, in quibus complures fuerunt  
 ingenio, eloquentia, doctrina præstantes viri. Hi omnia fere sacrorum  
 ordinum, ac sacrarum rerum, nostraq; religionis nomina a Græcis ac-  
 cepta latina fecerunt, quod genus sunt, Clericus, Laicus, Catechumo-

nus, Acolitus, Exorcista, Hypodiatonus, Diaconus, Presbyter, Episcopus, Chorepiscopus, Synodus, Ecclesia, Oecumenicus, Heresis, anathe-  
ma, Diœcesis, Parœcia, Martyr, Baptismus, Eucharistia, Mysterium,  
Mysticum, Holocaustum, Pentecoste, & cetera, quæ longè fuerit. Quid  
igitur dubitamus, aut qua tandem ratio prohibet, quin omnia, quæ do-  
cendi necessitas postulat, græcâ in latinum sermonem transferamus,  
Veterum auctoritate inuitati, illorumq; iudicium sequentes, necessi-  
tateq; ipsa compulsi, ac distinctione illam, quâ disputationi nostræ præ-  
munus, retinentes, illudq; nobiscum reputantes, non hoc eius generis es-  
se, quæ ab vsu populari & forensi inducantur, noua vocabula.

GO NZ. Isto modo omnia omnibus linguis dici poterunt, nihilq; posthac  
erit, cur sermones inter se comparemus, aliumq; alio vberiore & di-  
tiorē dicamus, falsiq; Lucretius & veteres omnes patrij sermones  
egestatem conquerebantur, si quidem alienis vocabulis pro suis vri li-  
ceat. Ego vero latinam linguam non iam suam, sed alienam plane esse  
existimabo, in quam tanta vis externorum verborum inducatur, ne-  
que scientias & artes latino sermone tractari unquam concedam, sed  
græco aut, vt tibi hoc gratificer, græcolatino. S. A. V. L. Non in eo, vt  
paullo ante dixi, positas vrbes Romæ, atque imperij fortunæ putabât  
Romani, vt expauescerent in rebus, nouis neque antea auditis aliena  
nouaq; vocabula in linguam suam inducere, neque idcirco Romanâ lin-  
guam alienam fieri, & suam esse desinere existimabant. Vt non minus  
Romanam Urbem, aut populum Quiritium esse tum credebant, cum  
non vnum aut alterum hominem, sed integros populos Ciuitate dona-  
bant, vt cum omnem Albanum populum, quem diruta Alba Romanam  
commigrare coegerunt, in Ciuitatem acceptum nomine & iure Ciuium  
Romanorum esse voluerunt, illorum primotibus etiam in Senatuum le-  
ctis. Ego quoque libentius græcas illas voces latinis verbis exprime-  
rem, atq; ad id populi indifferentiam, ad aduatoꝝ incorporeum dicerem,  
cum præsertim corporeum apud Latinos legam. nunc quoniam hoc reli-  
giosum esse plerisq; video, in latinaq; lingua casta & integra ab omni  
contagione seruanda diligentiores & cautiore sumus, ne dicam moro-  
siores, ne quid grauius etiam addam, quam ipsi illi veteres Latini,  
exquisitiusq; nobis, si Dijs placet, iudicium assumimus, ac piaculū nos  
putaremus admittere, si possibili & impossibili vereremur, quæ vocabu-  
la Quintilianus docendi Antistes non horruit, ad illud confugio, quod  
nemo reprehendere possit, quoq; aures suas contaminari nõ debeat pu-  
tare, vt veterum exemplo in doctrina studijs & artibus tractandis  
græcis

græcis vocibus vtamur. Deinde non nobis nunc de latina lingua in pri-  
mis est instituta disputatio, sed illam cum Itala comparamus, in qua  
re miror illud ad egestatem coarguendam a te afferri, quod ego tibi  
possim referre. Quid enim? minus græcis vocibus in artibus, & doctri-  
nis Italo populari sermone est vtendum quam latino? aut felicior ea in  
re est Italus sermo? aut parallelum, tropicum, spheram, horizontem,  
octogonum, apostrophen, hyperbolen, hexametrum, endecasylabum,  
Elogium alijs quam græcis vocibus nominat? feliciusq; homœomeriâ,  
anacephaleosim, analogiam, sympatiam, entelechiam, etymologiam,  
enthymema verbis Italis popularibus quam latinis explicabitis? quæ  
si in Italam linguam accepta pro Italis pronuntiat, atque Itala ha-  
beri vultis, & esse contenditis, cur eadem in latinam inserta latina  
existimari non debeant, nemo dixerit, nisi idem diploma Pontificium  
aut Cesaris ostendat, quo plus iuris sit Italo populari sermone, quam  
latino concessum, vt græca aliena vocabula in Italam linguam transla-  
ta Italica sint habenda, in latinam inducta, non item latina censean-  
tur. Verum ego tenere me non possum, quin quæ sepe de hac re ani-  
mo agitavi, vobis exponam. Ego enim quorundam hominum ratio-  
nem mirari non satis possum, qui in quo a veterum similitudine & vsu  
maxime recedunt, in eo sese illorum esse persimiles & imitatores in  
primis putant, quin etiam vno Cicerone latinam linguam terminant,  
neque alia vocabula, quâ quibus ille vsus est, vsurpare fas esse putant.  
quod si suscipitur, tum vera non nobis modo, sed Romanis ipsis homi-  
nibus alia lingua querenda fuisset, qua animi notiones explicarent.  
Etenim si quis rationem ac summam subducat, atque omnes vitæ no-  
stræ partes, vrbanasq; & rusticas res circumspiciat, maiorem fortasse  
numerum earum rerum, quæ in quotidianum vsum tum cadebāt, quas  
non attigit Cicero, inueniet, quam earum, quas nominauit, id quod ex  
ceteris scriptoribus liquido apparet. Verum ne a proposito longius re-  
cedam, hæc ipsa prima nomina quam multa sunt in latina lingua, quæ  
in Cicerone non leguntur, a quibus ille non iudicio, aut quod parum la-  
tina illa putaret, abstinuisset existimandus est, sed quod in res, quas tra-  
ctabat, non cadebant. quod si quis contra sentiat, is & ratione & re  
ipsa refellitur. qui enim flagrantiam dixit, qui peruersitatem, qui im-  
puritatem, insaniam, socordiam, inscitiam, debitionem ac sexcenta  
atque adeo innumerabilia alia, cur idem a fragrantia, diuersitate,  
puritate, vesania, recordia, peritia, perditione abstineat? aliqua  
igitur differentie ratio ab ijs qui contra pugnant, comminiscenda est.

Sed quomodo re non conuincantur, cum innumera eiusmodi sint, quæ in usu latine linguæ & ipsius Ciceronis & superioribus aetatibus fuisse ex Plauti, Terentij, Catonis, Lucretij, Varronis, Cesaris, Sallustij, Liuij, Celsi, Vergilij scriptis perspicuum sit. quæ non pigebit referre. Dabis veniam Prefecte; satietasq; quam rei enucleandæ necessitas inducit, tibi erit deuoranda. Plauti enim sunt abitudo, amabilitas, palpatio, receptio, incogitantia, obstaculum, aliaq; cõplura. Terentij abitio, deambulatio, exprobratio, recordia, cãtilena. Catonis deportatio, putor. Lucretij canor, connexus, amaror, spurcicia. Varronis albor, ariditas, aritudo, cibus, cinctus, exurigo, exemptio, famulitium, frigedo, latratas, mistura, pinguedo, sominatio, tonsura. Cesaris accliuitas, decliuitas, deiectus, obiectatio. Hirtij iugulatio. Sallustij algor, gnaritas. Vergilij assultus, canities, descensus aliaq; complura. Liuij adactio, adiectio, alloquium, coercitio, comploratus, comploratio, comprecatio, consternatio, deiectus, decursio, deuexitas, desertio, descensio, excensio, eruptio, fatigatio, insectatio, intercurfus, litatio, procurfatio, rubor, simplicitas, succlamatio, transfugium, vagatio, variatio, vigor, violatio. Celsi, coercio, gestatio, recursus, refectio, suffusio, marcor, sutura. Catulli esuritio, quæ omnia a Cicerone non vt parum latina reiecta sunt, quippe, quæ non modo in vulgi, sed in doctorum usu essent, sed quod in rebus, quas tractauit, usu non euenerunt, omissa. Quid posteriores Plinius, Tacitus, Quintilianus, Columella & ceteri, quorũ innumerabilia sunt eiusmodi nomina in omni rerum genere a Cicerone præterita, ab ipsis cum usus esset, crebro vsurpata. Tantos ne ac tales viros ingenio & doctrina Ciceronis ætate haudquaquam inferiores a latina lingua excludemus? illorumq; iudicium repudiabimus? Hi præterquam quod ea ipsa, quæ modo retulimus nomina non a Cicerone modo, sed a reliquis quoque, quos nominauimus, acceperunt, innumera ipsi addiderunt, atque adeo ea omnia, quæ non modo in doctrinarum studijs tractandis, sed quæ in rebus quoq; domesticis & forensibus in omniq; usu vitæ se se offerebant. Eorum igitur hæc sunt a Ciceronis seculo vel omissa vel non litteris mandata. abdicatio, ablutio, accidentia, accumulatio, accursus, acor, acceruatio, admissio, adratio, aduectio, adustio, equiparatio, astuatio, alligatio, amaritudo, ambustio, apparitura, astrictio, attactio, auulsio, auersio, auersatio, austeritas, casura, captiuitas, captura, cautela, circumactus, circumcussio, circumplexio, circumstantia, colluctatio, computatio, concoctio, conculcatio, conditio, cõcussus, congruëtia, conniuentia, consummatio, contactus,

contactus, contradictio, conuulsio, coctio, comparatio, crematio, decoctura, deflexus, defluuium, dedignatio, densitas, densatio, deputatio, defectio, destinatio, directio, diuersitas, duplicatio, effluentia, egressio, eleuatio, emunctio, enarratio, enagatio, euectus, executio, exhibitio, expuiritio, exulceratio, facundia, fartura, feracitas, figuratio, foetor, futura, improbatio, incisio, incubatio, infusio, iniectus, leuitas, leuor, latratas, minutio, mucor, murmuratio, niectatio, nodatio, opacitas, oscitatio, ouatio, perfusio, perditio, peritia, pinguitudo, popularitas, præcipitatio, prælusio, præoccupatio, procurfio, pugnacitas, purificatio, rasura, rancor, reatus, recisio, recreatio, rehibitio, reuulsio, rigatio, signatio, sculptura; stratura; structura, strangulatio, sublimitas, substitutio, suffocatio, suffosio, succus, superuentus, suppositio, suppuratio, synceritas, tactus, textus, tinctura, tinctus, torsio, toruitas, transcriptio, transeursus, transfusio, versura, vesania, vanitas. Quid illa quæ in rerum & locorum descriptione atque in re rustica tantã cum venustate sunt a Casare, Celso, Plinio, Columella formata nomina? si quis ab illis abstinebit, sanum ne illum, atque integramente vitæ putabimus? contabulare, contabulatio, contignatio, inspirari, fibulari, decussare, deoacuminare, impedare, asperari, clatrare, cuspidae, fenestrare, fastigiari, radicari, flexuosus, angulosus, sinuosus, labrosus, gibbosus, syluosus, furculosus, racemosus, loculosus, carnosus, fungosus, granosus, rimosus, torosus, lignosus, numerosus, pectorosus, musculosus, lacertosus, spongiosus, fistulosus, cuneatus, cuneator, lunatus, capitulatus, sinuatus, cultellatus, discuneatus, denticulatus, striatus, reticulatus, virgulatus, clauatus, imbricatus, spiculatus, acuminatus, turbinatus, turbinator, turbinatio, carinatus, fornicatus, pandatus, cultratus, capitulatus, aculeatus, puluinaris, umbilicatus, geniculatus, echinatus, fimbriatus, ansatus, pactinatim, imbricatim, caniculatim, muricatim, orbiculatim, squamatim, litatim, enodis, internodia, exemptilis, loculamenta. Denique Romanorum hominum; latinæq; linguæ perpetuus usus fuit, ad res, quas tractabant, vocabula apta formare. tantãq; vis nouorum nominum, quæ recensui, cum multa me præteruisse non ignorem, post Ciceronis ætatem a scriptoribus inductorum significat atque adeo aperre declarat, a nullo nomine, quod necessitas notionis animi declarandæ induceret, illos abstinere solitos. qui enim in castris & in re militari aquationem, pabulationem, lignationem, frumentationem dixerunt, cur iudem essentiam, quantitatem, substantiam, dicturi non fuerint? Quæ igitur noua istæc religio sæculum tenet?

Castiores

Castiores videlicet ac puriores, atque adco latiniore: latinis ipsis ac  
 priscis illis magnis viris sumus. Equidem Ciceronem eloquentie ma-  
 gistrum habeo, ad eiusq; similitudinem me, quantum possum, semper  
 studebo conformare; genusq; dicendi illiusq; stilum & elocutionem ce-  
 teris praeferam. verum non illis vocabulis tantummodo, quibus ille  
 usus est, latinam linguam definiam, neque illam tam angustis termi-  
 nis includam: hoc enim neque Cicero ipse vult, neque in veterum cogi-  
 tationem unquam venit. Sed satis ac nimium fortasse hoc in loco co-  
 morati sumus; tempusq; est, ut ad ultimum argumentum de linguae la-  
 tine eximia dignitate atque praestantia, quod est omnium maximum &  
 & grauissimum, tractandum accedamus. Hic cum GONZAGA  
 baud paruum respondendi voluntatem, significaret, BONCOMPAG-  
 NUS se interponens, tempus, inquit, postmeridianum, aestusq; iam  
 fractus nos admonet, si idem quoq; vobis videtur, ut & corpus nimis  
 diuturna sessione languens, ac spiritus pene confositos saluta exercita-  
 tione recreemus, & excitemus. SAULIOQ. exiguum hoc spatium ad  
 respirandum atque animum ab acerrima contentione relaxandum de-  
 tur, ut parua hac quiete refectus ac veluti renouatus, vegetior ad  
 ea, quae reliqua sunt, transigenda accedat. Consilio ab omnibus colla-  
 dato Aedes Pontificias egressi per sublimem porticum iter Vaticana-  
 nos hortos versus cepimus.

DE

## DE LING. LATINAE

VSV. ET. PRAESTANTIA

LIBER. TERTIVS

AD. SCIPIONEM. GONZAGAM



VM in hortos peruenissemus, ac tam variarum amoeni-  
 tatum aspectu oculos & animos aliquantum pauissemus,  
 in nemus conuictum exiimus. quod per mollissimos cliuos  
 facilibus ascensibus & descensibus aliquandiu peruagati ad  
 ediculam, quae est in medio nemore accessimus. ibi in marmoris  
 sedilibus areae ambientibus in conspectu consedimus,  
 procerissimis ac frequentibus arboribus locum opacantibus.  
 Hic BONCOMPAGNVS ad GONZAGAM conuersus dabis,  
 inquit, ueniam GONZAGA, nobisq; omnibus gratificaberis,  
 ne disputatio de re, quam satis exucleatae putamus,  
 diutius extrahatur. iam enim dies in seruum inclinatus est.  
 egoq; totam disputationem hodie absolui cupio.  
 superestq; extremum argumentum grauissimum, ut  
 intelligis, quod paucis transigi posse non puto. Neq;  
 debes tu causam tuam parum defensam putare,  
 quam in oratione a te recitata tam copiose &  
 accurate egisti, ut nihil te ad ea, quae in illa dixisti,  
 magnopere addere posse putemus. neque quae tu ornate  
 & distincte multa attigisti, ea nobis exciderunt,  
 quae hic contra SAULIUM puta repetita, & ad  
 ANTONIUM conuersus. Permissu, inquit, GONZAGAE,  
 quae scimus in auctoritate nostra futurum, perge SAULI,  
 ac comparationem utriusq; linguae inter se, si idem  
 ceteris placet, ingredi. Hic cum omnes BONCOMPAGNO  
 essemus assensi; GONZAGAQ. se illius voluntati  
 morem gerere dixisset, SAULIUS. Ita nobis, inquit,  
 progressa ratio est in quattuor his partibus, quas  
 absoluimus, ut quamquam meam sententiam  
 omnibus, quicumque de his rebus existimare  
 possunt, uerorem visum iri spero, tamen tua  
 quoq; GONZAGA approbatores reperiat. in hac  
 uero popularis Italicae linguae suscepta  
 laudatione, in qua se in primis tua iactauit  
 oratio, cuiusq; laudanda studium te tam longe  
 extulit, ut eam latinae linguae non dubitares  
 praeferre, paululum diuersa a superiore mihi  
 ingredienda est disserendi ratio. Ego enim  
 Y sic

sic statuo, latinam linguam non modo infinita laude populari isti tue  
 ant eponendam, illiq; popularem multis partibus de dignitate & pul-  
 chritudine concedere, sed latinam pulcherrimam & præstantissimam  
 esse, contra Italiam popularem non in comparatione modo cum latina,  
 sed ipsam per se, id quod magis mireris, ignobilem & abiectam; ru-  
 demq; & mancā atque inopem esse, nullaq; dignam laude. GONZ.  
 Ego quoque SAULI orationem mutabo; neque dicere verebor, credi-  
 disse me, quæ hætenus dixisti, ea te iudicio adductum pro latina lin-  
 gua contra Italiam differuisse. nunc te odio quodam execrabili in pa-  
 trium sermonem efferatum esse, apparere. Cui nescio qua tandem re  
 ab illo læsus tā iniquus sis; ac tam atrox in illum coortus sis; orationeq;  
 tam non modo aspera, sed truci quoque illum insecteris vir cetero qui in  
 genio tam miti. SAUL. Non odio in patrium sermonem efferatus,  
 cuius causam nullam habeo, hæc protuli GONZAGA, sed indigna-  
 tione iusta commotus; tum ut vos vicissim vlciscerer. neque hæc quam-  
 quam vera sunt, tam ego mea sponte attulisse videri velim, quam a vo-  
 bis irritatus vobis rettulisse. Ac quoniam me nudavi, comprimenda  
 iam non sunt, quæ animo inclusa habeo. Ego enim ita sentio, duas esse  
 in primis causas, quamobrem lingua popularis nostra non tam defor-  
 mis & incompta nonnullis videatur; alteram naturalem rerum pa-  
 triarum amorem, qui mentis aciem perstringere & cæcare solet; alte-  
 ram vsum, quo assiduo aures nostræ possidentur. quod si quis tanto sit  
 animi robore, ut ab hoc vsum mentem valeat abducere, cogitationeq;  
 a consuetudine auocare; isq; popularem linguam latine audeat digni-  
 tate & pulchritudine non dico anteferre, sed æquare: atque adeo lin-  
 guam hanc sua deformitate non contemnendam ducat, hunc, quamquã  
 neminem consuevi appellare asperius, nihil omnino de his rebus iudica-  
 re posse dicam. GONZ. Non animaduerti SAULI te de tot clarissi-  
 morum virorum, quos orbis suspicit, præstanti iudicio splendidoq; in-  
 genio detrabere, ac Petrarca, Dantè, Sannazariū, Bembi, Ariostum,  
 Guicciardinum, Machiavellū, Castillionum, Carum, Casam, Trissinum,  
 Tassos patrem & filium, Speronum, Scipionem Gonzagam, Alama-  
 num, Molzam, Bernam, Anguillarium, Ptolemæum, Bocciardū, Por-  
 tium, in primis vero Victoriam Columnam, in qua muliebris gloria  
 æquauerit ne, an superauerit virilem, quis ausit pronuntiare? complu-  
 resq; alios vituperare. qui si linguam patriam ita turpem & ignobilē  
 iudicassent, quomodo tam longum ac diligens studium, tamq; assiduū  
 & diligentem operam in ea omni scriptorum genere excolenda & il-  
 lustranda

lustranda posuissent? SAUL. Nihil tantorū virorum auctoritate de  
 sententia moueor GONZAGA. nulla enim lingua est tam rudis &  
 agrestis, ut in ea a præclaris ingenijs cum laude elaborari non possit.  
 id quod nostra ætate declaravit Paulus Folieta huius, qui adest, Fo-  
 lietæ frater germanus. qui patrium sermonē nostrum Ligurum, quem  
 ipsemet rudem & incomptum iudicat, tam vario poematum genere  
 insignem fecerit. quæ omnes quicumque ligustice sciunt, mirentur. Ma-  
 luit videlicet Folieta in patria lingua quāvis rudi, quæ ipsi promptior  
 & facilius esset, quam in aliena cultiore curā & industriam suam po-  
 nere. quod idem fecisse claros viros, quos nominasti, cur existimandum  
 non sit? Hic BONCOMPAGNVS supersedeamus, inquit, amabo a  
 iudicijs clarorum virorum ponderandis & conijciendis; neque hoc in  
 illos arbitrium in præsentia nobis assumamus. Odiosa enim sunt ista;  
 nec sine offensione transigi possunt. Quare quod instituisti, perge AN-  
 TONI neque continuata disputandi series tam sæpe interrumpatur.  
 quæ non facile deinde contexitur. ista enim quæ interponuntur, multū  
 tempus auferunt, cuius angustijs vides quam urgeamur. Tum SAULI-  
 VS, Quoniam, inquit, in vnaqua; re aliquod est proprium, natu-  
 raq; illi insitum bonum, quo illa res maxime commendatur, in rerum  
 contentione spectandum in primis est, quod sit illarum rerum, quæ in-  
 ter se comparantur, bonum. Cuius boni quæ earum maxime particeps  
 est; in qua; bonum hoc est pluribus numeris expletum; ac cui paucio-  
 res illius boni partes desunt, ea res haud dubie perfectior & præstan-  
 tior est censenda, alijsq; præferenda. nihil est enim rerum perfectio, ut  
 idem sæpe repetam, quam nullis partibus, quæ illius rei essentiam con-  
 ficiant, carere; omnisq; res magis minusve perfecta est, magisq; minu-  
 sue ad perfectū statum accedit, vel ab eo recedit, prout in vnaquaque  
 plures aut maiores partes earum, quæ ipsam rem conficiunt, atque ut  
 ipsa res sit, faciunt, insunt, vel desiderantur. Inuestigandū est nobis, quod  
 sit hominū sermonis bonū, quæq; res illū conficiat. ad quod bonū qui ser-  
 mo propius accedit, pluribusq; illius boni partibus cumulatio erit,  
 is profecto perfectior erit, dignitateq; antecedit. hoc autem bonum  
 cū, ut in ceteris rebus, ita in sermone nihil aliud sit, quam, ut sapien-  
 tiæ professores recte tradunt, ipsarū rerū essentia, cumq; essentia rerū  
 ab illarū definitione indicetur, is nimirum sermo perfectior erit, in quo  
 humani sermonis definitio absolutior & expletior erit, cuiq; pauciores  
 partes decrūt ex ijs, quæ essentia sermonis cōficiunt, quæ definitio, cū,  
 ut a Dialecticis didicimus, ex duabus rebus cōficiatur genere & diffe-  
 rentia,



rentia, cuius differētia ea vis est, vt speciē constituat; formamq; rebus det, quæ vt res ipsæ sint, efficiat, genus & differētia, quæ sermonis definitionē conficiūt, nobis quærēda sunt. At genus perspicuū est. est enim ore editus sonus. Differentia vero ita nobis est inuestiganda. Duas esse aiunt res, quibus homines a ceteris animantibus differant, rationē, quā eamdem intelligēdi ratiocinādiq; vim appellāt, & hunc ipsum sermonē, quod saepe Homerus testatur, qui homines μεροπας hoc est articulatum & distincte loquentes appellat. qui sermo cū genere cū belluis cōmunis sit, omnes enim ore edunt sonum, in quo tandem differat, vidēdum est. at hoc Homerum expressisse diximus. belluæ enim vnum tantum sonum, vniusq; formæ numquam variatum edunt. at homines articulatum loquuntur; sermonemq; veluti articulis distinctum habent, quem innumeris figuris variant; distinctaq; sunt apud illos ac quamplurimæ soni editi formæ, quas vocamus voces, ad sensa & notiones animi distincte declarandas aptæ. Vt nihil aliud sit humani sermonis definitio, quam ore editus articulatum sonus varijs verborum formis distinctus ad notiones animi distincte, ita vt ab audientibus percipiantur, declarandas aptis. Qui igitur sermo varius magis ac multiplex erit, verborumq; formis ac figuris & terminationibus distinctior; & ab illo cōfuso & obscuro; vniusq; semper figuræ & terminationis sono multiplici variatione sua remotior, in eo profecto humani sermonis cumulatior erit definitio; isq; sermo ex pluribus constabit eorum rerum, quæ essentiam sermonis conficiunt. quare perfectior erit existimandus is sermo, propiusq; ad humanitatem accedens, ac proinde pulchrior & præstantior, atq; idcirco nobilior. nihil est enim aliud pulchritudo, quam ipsa rerum perfectio, quod & ipsum indicat deformis & formosi nomen, quasi deformibus rebus aliquid desit de forma, quæ rebus essentiam dat, ac de partibus illis, quæ formam rerū conficiunt; formosis vero integra adsit forma omnibus ijs partibus, quæ ipsam formam, hoc est essentiam rerum conficiunt, expleta. Tum BONCOMPAGNVS in hoc, inquit, GONZAGAM ipsum a te SAVLI nō dissensurum puto. Hic GONZAGA, nescio inquit, an satis mihi percepta sit SAVLII sententia: atque eadem sit quæ mea. Ego enim ita existimo, omnium rerum regulam, ad quam res ipsæ sint dirigendæ, finem esse; ab eoq; omnia pendere. vt recte in scholis tradatur, res speciem & definitionem a fine accipere. quod hoc exemplo planum sit. finis domus; cuiusq; causa domus inuenta est; ille est, vt nos ab iniurijs celi, quibus corpora nostra sunt obnoxia, defendat. Definitio igitur domus

tur domus a fine manans hæc erit, ædificium ad nos a celi iniurijs defendendos comparatū. eaq; perfectior erit domus, quæ melius & perfectius beneficium hoc nobis præstabit. Cum igitur sermonis finis sit animi sensa aperire, ea profecto perfectior erit lingua & dignitate antecedet, quæ perfectius finem suum assequitur; notionesq; animi melius declarat. talem porro esse Italiam linguam nostrā SAVLIUS paullo ante non negavit. quem cum urgerem, innumera esse, quæ hac ætate latine explicari non possent, eo confugit, vt diceret, innumerabilia hæc; quæ ipse minuta vocabat, in scripturam non cadere, sed ad popularem linguam reiicienda esse, quæ quotidianis vsibus & commercijs aptior sit. qua re efficitur, vt hic noster patrius sermo ætate saltē nostra præstantior latino sit habendus, quæ tam multa explicare nō possit. Tum SAVLIUS finem sermonis esse hanc ipsam notionum animi declarationem & explicationem, quam dicis, nemo GONZAGA negauerit: quæq; res propositum finem perfectius assequantur, eas perfectiores quoque esse, hoc quoq; tibi facile omnes dabunt. Verum duplex tibi datur responsio. primum hoc in illis tantum valere rebus, quarum aliæ perfectius, aliæ minus perfecte ad finem, quem spectant, perueniunt. quæ regula in linguarum comparationem non cadit. siquidem nullus est sermo tam barbarus & agrestis, qui finem hunc non perfecte assequatur, quiq; non animi sensa, ita vt ab illius linguæ gnaris perfecte intelligantur, declarat. quo fit, vt si hac regula linguarum dignitatem & præstantiam metiamur; nullus sit inter illas perfectionis gradus, quo altera alteram superet. alia est igitur dignitatis linguarum ponderandæ ratio, ea nimirum, quam dixi, multiplex distinctaq; verborū, varietas ab illo belluarum vno semper & eodem neq; distincto oris sono quammaxime recedens. Altera est responsio; tuam ipsam rationem, quam contra me attulisti, mecum facere; nihilq; esse, quod causam tuam magis premat, quam hoc ipsum, quod tu ad eam subleuandā protulisti. Longe enim perfectius finem assequitur, cōmodiusq; & clarior & vberius atque elegantius animi sensa & notiones explicat latinus quam popularis Italus sermo. In qua re magnum versari errorem, teq; & reliquos, qui ita disputant, labi docebo, erroremq; aperiri. Non enim perfectius finem assequi is sermo est censendus, animiq; notiones melius declarare, qui nonnulla priuarum rerum vocabula habeat, quibus alter sermo, cui ipse comparatur, careat, vt in hoc nostro Italo sermone vsuuenire dicis. nam hoc non natura aut vi sermonis sit, neque quod is sermo copiosior sit aut vberior, aut quod copia & vbertas



& vbertas linguæ ex ea re sit spectanda, sed quod ea res, illarūq; vsus, quibus noua sunt indita vocabula, apud Latinos non erant. quo sit, vt res, quæ omnino nulla essent, nominari non potuerint. quæ si fuissent, nominibus suis profecto essent notatæ. Sed sermonis perfectio in eo posita est, isq; sermo perfectius finē assequi est censendus, qui omnes animi notiones melius, clarius, distinctius, copiosius, magis proprie et elegantius declarat, eamq; habet verborum & loquendi formarum copiam & varietatem, quæ ad hoc faciendum apta in primis sit, vq; propria verborum valeat, neque ope extrinsecus petita circuitibusq; & ambagibus egeat. qualem esse latinum sermonem dico, quæq; contra egestate popularem Italum laborare facile ex ijs, quæ dicturus sum, apparebit. Confirmari hoc potest linguæ Græcæ exemplo, quæ omnium consensu copiosissima est his ipsis vocabulis, quibus latina caret. quæ in patriū sermonem Italum non vis ipsa sermonis, sed res postea inuenta importarunt. Fingamus enim sermonem aliquem inopem & egentissimum, quem ex altera parte Græco copiosissimo opponamus: eumq; esse Indorum occidentalium etate nostræ repertorum, si modo is talis est. verum nil prohibet id fingere, an ideo copiosiorē illum Græco faciemus, quod sexaginta sint apud Indos rerum vocabula, quibus Græcus sermo careat? Id enim non vbertate linguæ fit, quam egentissimam ponimus, sed quod ea res, quarum ea sunt vocabula, apud Indos tantūmodo sint, neque alibi illas ferat solum. Sermonis igitur perfectio, perfectiorq; finis assecutio, ex virtute & copia ipsius linguæ, non ex nouis exortis rebus; quæ nouis vocabulis insignes sint faciendæ, est existimanda; eaq; lingua, vt idem sæpius repetam, perfectius finem assequi est censenda, quæ omnia negotia, quæ in vsu & commercia hominum communitur cadunt, melius, vberius, verborum propria vi, quæ aliena ope non indigeant, possit explicare, quamuis nonnullarum rerū vocabulis careat, quæ cum is sermo copiosior, quem dicimus, vigeat, non erant in hominum vsu, ac propterea nominari non poterant. Neque vero Casar Ciceronem linguam Romanam ditasse ac copiosiore fecisse ideo dixit, quod is noua rerum nouarum nomina in eam importarit, nam id quidem perspicue falsum est, sed quod linguam loquendi formis variarit & locupletarit ad notiones animi copiosius & maiore cum dignitate explicandas aptis. Quam rem, qui non videt, is neque scire distingueret, neque acute in rebus videre est censendus, neque in quo vbertas & diuitiæ ac perfectio linguæ posita sit, intelligere: tardusq; proinde & hebes, neque recte aut acute de rebus iudicare posse est existimandus.

Ex ijs,

Ex ijs, quæ modo differui, sequitur, vt altera mihi sit addenda linguarum commendatio. ea est hæc ipsa vbertas; verborumq; & elocutionis copia. quæ animi notiones sensaq; omnia verbis proprijs neque aliunde petitis possit declarare. vt ea lingua haud dubie præstator sit, quæ ditior & vberior est; contra ea, quæ egestas sit & deficiens, inferior sit habenda. egestas enim vt in ceteris rebus omnibus, ita in oratione in malis ponitur; contra diuitiæ & copia in bonis. Duabus igitur his rebus fixis & stabilitis linguarum nobilitatem & præstantiam varietate & distinctione, quæ illas a confuso illo, & immani belluarum sono quam longissime remoueat, tum autē copia & vbertate in primis contineri, dico latinam linguam duabus hisce rebus populari Itala longe præstare, ac proinde nobilem, splendidam, magnificam, copiosam, locupletem, distinctam, politam, comptam, elegantem & esse, & vocari debere: Contra popularem ignobilem, obscuram, confusam, humilem, inopem, rudem, incomptam, absonam. quam rem cum in omnibus orationis partibus, si quis singulas expēdat, apparere affirmo, tum vero perspicuam esse in duabus illis, quæ multo maximam partem in oratione obtinent, atque adeo totam fere illam continent, hoc est in nomine & in verbo. Recte enim Plato, cui Plutarchus assentitur, ex his duobus tantūmodo confici orationem putat. Cuius sententiam, quod ea ad disputationem nostram in primis pertineat, non pigebit summam referre, nisi forte id tibi Prefecte molestum fuerit. Hic BONCOMPAGNVS Molestum narras? Quid tandem gratius mihi aut incundius facere possis, quam tantos viros, omnisq; elegantis doctrine Antistites de præclara re disputantes inducere? quorum sententiam nolo te summam, vt dicis, perstringere, sed diligenter explicare ac dilatare, eoque gratior oratio tua hac in re fuerit, quo proluxior. Tum SAULIVS morem tibi geram Prefecte, nec laborem præsertim incundum detretabo. Affirmant igitur summi viri veteres nomini & verbo tantum tribuisse, ceteris orationis partibus neglectis, vt quod nunc pronuntiatum siue effatum a Græcis πρότασις a nonnullis etiam ἀξιωμα appellatur, quod e nomine & verbo solis constat, λόγον, hoc est, orationem vocarent, quasi ex duabus his tantum rebus nomine & verbo constet oratio. hoc prædicatum, illud subiectum, vt scholæ verbis vtar, Dialektici appellant. quod effatum simulatq; pronuntiatum; verum vel falsum indicat. Cum hæc enim audimus, Socrates disputat, Imperator pugnat, continuo nihil præterea requirentes notionem animi ea preferentis cognoscimus, effatumq; aut verum, aut falsum intelligimus.

Constat

Constat enim orationem & vocem articulis distinctam eo repertam, ut actiones, & qui agerent, item animi permotiones, & qui permouerentur, inter se significare & exprimere homines possent. Verbo autem & nomine solis res commode significantur & explicantur. cuius significationis causa orationem diximus repertam; Reliqua vero non ut nomen & verbum significare putat Plato, neque necessariam significandi vim habere, sed ascititiam quamdam, quae maiorem vim sermoni in significando addat; orationemque variet. quemadmodum qui spiritus & quantitates litteris annotant, ij non litteras, sed affectiones & accidentias ac differentias litterarum variare dicendi sunt. Non igitur ex ceteris partibus, sed per eas partes oratio conficitur; neque dissimilis res est, ac si quis, cum dicatur medicamentum ex cera & galbano confici, captiose obijciat, ignem & vas omissa esse, sine quibus illa misceri non possint. ita oratio non ex reliquis sex partibus conficitur, sed earum opera, ut sine illis confici non posse videatur. Qui enim verberare aut legere dicit, aut verberari ac legi; item qui Socrates, aut Caesar, is aliquid intelligendum profert. non item si quis quidem, aut, per, enim, ab, ac, cum, seorsum pronuntiet. nihil enim his vocibus auditis animo percipimus, nisi cum verbo & nomine una pronuntientur. His enim vel omnibus coniunctis nihil nisi inanes sonos proferimus: non mine autem cum verbo constructo continuo fit oratio, quae animi notionem declarat, ut non iniuria haec duae sola partes orationis putentur: ex quibus confici orationem constat, ex reliquis sex non confici orationem, aut illis constare, sed per illas confici dicendum est. quibus etiam rebus oratio sepe non indiget. quod Romanam linguam declarare addit Plutarchus, quae praepositiones paucis exceptis sustulerit, neque vllis omnino vtatur articulis, quod Homerus etiam fecit, qui per paucis quibusdam nominibus articulos tamquam poculis ansas ac galeis cristas adiecit; in alijs vero infinitis omisso articulo neque perspicuitati neque decori quidquam detraxit. confirmantur haec insigni exemplo, quod neque animal vllum, vllumue instrumentum, aut armorum genus, aut res vlla alia partis suae alicuius detractioe pulchrior sit, aut gratior & efficacior; oratio autem coniunctionibus ademptis pulchrior euadit maioremque habet ad mouendum vim, ut vultu, voce, manu, gestu, impuri hominis contumaciam fregisti; & factum est hoc tua diligentia, vigilantia, consilio, auctoritate. & illa adest, instat, hortatur, vrget. Recte igitur Rhetores eam figuram commendant, quae coniunctiones orationis detrahunt. quibus qui religiose semper vtuntur, ij orationem efficiunt plerumque;

plerumque languidam ac molestatam, quod variatione careat. Dialectici certe, qui coniunctionibus maxime opus habent, non partem orationis coniunctionem putant, sed colligandi instrumentum, quod ipsa docet appellatio, nisi velis lorum oneris, ac gluten libri partem esse. Sed & reliqua non magis quam coniunctio, orationis partes aut elementa sunt dicenda. nam pronomen perspicue nominis est species: quod participium appellatur, mixtum quiddam est ex nomine & verbo temporis ratione verbum, casuum nomen attingens. Praepositiones frustra fragmentisque, verborum similes sunt, quas festinandi orationemque, contrahendi studium induxit. Quibus rebus docent, vnamquamque; ceterarum partium vsum aliquem orationi praestare; partem autem & elementum eius non esse, hunc enim honorem solis nomini & verbo deberi, quae primum illum connexum efficiunt, in quo verum aut falsum locum habet. quem, ut paulo ante diximus, alij *πρότασις*, alij *ἀξίωμα*, Plato orationem ipsam vocat. Quo Plutarchi Graeci hominis ac grauissimi viri eiusdemque scriptorum mea sententia Principis testimonio apparet, Romanum sermonem Graeco proculdubio neruosorem minusque languidum esse. quippe qui a coniunctionibus longe magis abstineat, illisque non nisi raro admodum vtatur, cum Graecus sermo eiusdem refertus sit, easque passim inculcet. ut integram pagellam lagere non possis, in qua millies non reperias coniunctiones *καί, μὲν, δέ*, quam rem veluti per transennam attingendam esse haud ab re duxi. Verum ut ad institutum redeam, fit ex hac Platonis a Plutarcho explanata & dilatata auctoritate, ut latinum sermonem, si is in duabus his rebus popularem linguam infinito interuallo antecedere demonstrabitur, longe illa praestantior esse, fatendum sit. quod ne longius fiat, sigillatim nobis de illis est disputandum, & presse agendum, resque enucleanda. Veniam autem mihi abs te dari postulo Praefecte, si in rebus in speciem minutis, & caelibus; quaeque minimum habeant splendoris, tuaque audientia vix dignae videantur, ac pueriles magis aures pestulent; Grammaticorumque, sicut lae potius sint, nimium fortasse me esse, res ipsa coget. Prius igitur GONZAGA de nomine, in quo cum omnia apud latinos distincta & varia sint, quid tandem est absurdius ac magis barbarum, & ab omni polito loquendi modo magis alienum, quam nomen in lingua populari casibus non variari? neque rectos casus ab obliquis; neque obliquos inter se esse distinctos? sed omnes vno modo terminari; ut ab audientibus inter nosci non possint; neque animi notio possit percipi? Quinque parita est apud latinos casuum distinctio, quae res duo efficit, nam & lingua

varians pulchriorem illam & elegantiore, ab horridoq; illo belluarum neque distinctio sono dissimiliorem facit, & notionem animi vi sua explicat & aperit. qua utraque re popularis sermo, in quo omnes casus eodem exitu terminantur, plane caret. Quantam porro partem ad pulchritudinem rerum augendam & commedandam varietas teneat, cum omnes artes, quæ opus suum variare in primis studet; ipsaq; loquendi & scribendi facultas, quæ nulla in re æque laborat, tum dictatum illud vulgo acceptum & approbatum declarat, rerum varietate naturæ pulchritudinem in primis contineri. Quare vobis popularis sermonis assertoribus, si linguam istam uestram illustrare & commedare cupitis, a delectatione, quæ ex varietate capitur, animi & aures hominū sunt desuesciendæ; nouaq; delectandi lex est inducenda. Causa autem ne linguæ huius deformitas ita appareat, diuturnus est & assiduus vsus, quo aures assuesactæ & corruptæ sunt, a quo vsu difficile est, ut iam diximus, cogitationem seuocare. In alia igitur lingua hanc turpitudinem fingamus, in qua lingua nullus corruptus vsus mentis & cogitationis vim labefactet. Iulius amat Fabius, quomodo tãdem hic amantem ab amato dignoscet? Hæc res est Iulius; Do hanc rem Iulius; Huc ades Iulius: accepi de Iulius: quæ cum in alia lingua absurda & non ferenda auribus sint, cur talia quoq; in populari sermone non uideantur, unus vsus facit. Quo igitur confugies GONZAGA? Ubi niteris? GONZ. Subsiste uero SAULI. nec in re quæ tam facilis responsu sit, tua tantopere exultet oratio. quod casus in latina lingua, idem præpositio adiuncto articulo in Itala præstat. Vides quam facile me ex hoc laqueo expedierim. SAUL. Latebram uidebam. sed non est ea, in qua popularis linguæ ignorabilitas possit latere. nam nobis non de notionibus animi exprimendis, quam facultatẽ esse in omnibus linguis inter nos iam conuenit, est instituta disputatio, sed de illis compta & polite exprimendis, deq; utriusq; sermonis pulchritudine & præstantia. quæ pulchritudo in uarietate in primis posita est. ad quã nihil præpositio & articulus iste tuus pertinet. quin etiã decore & ornatu omisso, quod ad vim exprimendi attinet, quam parem in præpositione cum articulo & in casibus facis, paucos habebis assensores. Vtrum enim est elegantius ac præstabilius, notionem animi natura & vi uerbi, cui subiecta ea notio est, exprimi, an externo adnunculo nocem egere? Est uero persimilis tua ista ratio, ac si quis eum, cui crura integra & ualentia sint, nibilo meliore conditione esse contendat illo, qui pedibus captus non aliter ingredi possit, quam scipione inmixus. GONZ. Non

sentis SAULI te simul cum Itala nostra lingua Græcam reprehendere, cui omnes linguæ facile primas concedunt. articulis enim æque ipsa ac nostra uitur? SAUL. Verum tu quoq; fac cogites GONZAGA multa esse in hac re ingentia popularis sermonis vitia, quibus Græca lingua omnino caret. Principio Græcus sermo articulos ipsos æque ac nomina inflectit; articulosq; ad casuum varietatem in omnibus tribus numeris ipsos quoq; variantes accommodat.

ὁ, τὸ, τῷ, τὴν  
 τῶ, τοῖν  
 οἱ, τῶν, τοῖς, τοῖς  
 ἦ, τῆς, τῆ, τῶ  
 τὰ, ταῖν  
 αἱ, τῶν, ταῖς, ταῖς  
 τὸ, τῶ, τῷ, τὸ  
 τῶν, τοῖν  
 τὰ, τῶν, τοῖς, τὰ.

En græcos articulos varie ac per omnes casus inflexos, varietq; terminatos, quiq; varietate sua notiones distinguant, minusq; aures ledant, & satietatem effugiant, at elegans hic noster popularis sermo sui ubique similis est, eodemq; vitio eademq; egestate in articulo, quo in nomine laborat, quem non magis variat quam nomen, aut casibus inflectit. Lo, la, li, le in omnibus casibus. Deinde Græcus sermo articulis contentus est; at popularis noster cum sentiat nullam vim distinguendi inter se casus articulum per se habere, quippe qui casibus ipse similiter careat, præpositionem illi addit di, da, a, qua articulus, qui per se iacet, nitatur. ut tota oratio plena sit duabus uocibus millies repetitis lo, la, de lo, de la, a lo, a la, da lo, da la. Idem est in plurali numero, qua re fit, ut articulus nomini sustentando adhibitus ipse adnunculo egeat. qua re quid excogitari possit deformius aut uerbosius? Accedit, quod rem in primis continet, Græcum sermonem nibilominus ut articulis careat, per se ac ui sua stare; solaq; casuum inflexione & varietate æque ac latinum significantem esse. quod declarat Poeta, apud quos rarus admodum est articulorum vsus, Homerus quidẽ, id quod mox docebo, adeo ab articulis abstinet, ut integrum eius librum sine articulis legas. quo fit, ut ornatus & decor articulorum vsus in Græcam orationem inducat sine illis per se staturam; ut in po-

popularum Italum sermonem egestas & necessitas, qui nisi illis fulciatur, stare non possit. Iam vero quam gravis est illa reprehensio, quod in casibus rectis, qui prepositionibus, di, a, da carent, agens a patiete discerni non potest. Il Maestro ama il discepolo. Il Romano vince il Græco. quis in amate ab amato, aut vincente a victo discernendo articulum tandem est usus? cum idem articulus in utroque sit? Quid, quod non semper articulo popularis sermo utitur? Giulio ama Cornelio. amantem hic ab amato non discerno, quod vitium in alia lingua clarius apparebit. Iulius amat Cornelius. GONZ. quod in latino sermone casus facit, idem in Italo efficit ordo. S. A. V. L. Cum ipanca & imbecilla lingua uestra uno articulo & prepositionis adminiculo non satis subnitatur, aliud querit, quod est ab ordine, quo ne ipso quidem satis fulta staret, nisi tolerabilia isthæc uecessitas faceret. nulla est enim alia sensa animi explicandi facultas. Deinde non semper ordo iste tuus agentem a patiente distinguit. Vt illud Petrarca.

- „ La vita il fine, il di loda la sera. item illud.  
 „ Vincitore Alessandro l'ira vinse. item illud.  
 „ Che d' Homero dignissima & d' Orpheo  
 „ Stella commise &c. & sexcenta eiusmodi.

Sed cum in alias orationis formas hoc vitium sepe cadit, in interrogatione ita frequens est, ut perpetuum dici possit. in qua nihil omnino affert ordo, quamobrem patientem ab agente discernas. Chi ama Lucretia? Chi accusa Cornelio? Chi ingiuria Fabio? & sexcenta eiusmodi. Quomodo hic tandem ex ordine cognoscas utrum rogeris amet ne, an ametur Lucretia? Accusetur ne, an accuset Cornelius? Faciat ne, an accipiat iniuriam Fabio? Illud ad extremum accedit vitium, quod est eiusmodi, ut mirer GONZAGA, qui tibi venerit in mentem Græcæ linguæ mentionem omnino facere, quippe, qui nihil afferre posses, quod magis contra te faceret, magisque, comparatione sua causam tuam premeret. quæ lingua quamuis articulis utatur, nihilo tamen minus, quàm latinus sermo, nomina casibus inflectit & variat, ut sine articulis per se stare & herere possit. quam rem Poetæ declarant, apud quos petrarus est articulorum usus. Homerus quidem, ut modo dixi, illis fere abstinit, ut in integro libro articulum non reperias.

Μήνιν ἀειδέει θεὰ πηληϊάδεω Ἀχιλῆος,  
 οὐλομένην, ἣ μυρία ἄχαιῶϊς ἀλγὰ ἔθηκεν,

πολλὰς

πολλὰς διδοίμοις ψυχὰς αἰεὶ θεοῖα ψεν  
 ἠρώων. αὐτοὺς δὲ λώερα τῶ χε κύνεσσιν,  
 οἰωνοῖσι τε πᾶσι Διὸς δ' ἔτε λείετο βουλή.

Homeri carminibus oppone initium Italici Poematis,

- „ Le donne, i cavalier, l' arme, gli amori,  
 „ Le cortesie, le audaci imprese io canto.  
 „ Che fuoro al tempo, che passaro i Mori  
 „ D' Africa il mare, e in Francia nocquer tanto.

In quattuor carminibus octies articulus repetitur, bis prepositio. GONZ. Etiam ne S. A. V. L. de clarissimo illo Italiae lumine datrabere non verberis? diuinumque poema peruellere non dubitabis. S. A. V. L. Dij meliora. Ego ne ut tanto me scelere Italiae patriæ Diuinique, prope viri memoria obstringam? quem immo omnium in primis suspicio; quod, neminem predicare soleo omnibus Poeticis laudibus cumulatorem, quippe cuius versatilo ingenium in omni fere poematis genere excelluerit. Non igitur Ariostii caeleste prope ingenium perstringo, neque tam proiecta sum audacia aut impudentia, sed popularis linguæ flagitia insector, quæ ille tollere, linguam ve mutare nullo modo potuit. Ad hoc genus pertinent tria illa, quæ apud Græcos articuli sunt, & ὑποτακτικὰ appellantur, quod nominibus subijciuntur, cum superiores res προτακτικὰ nominentur, præponuntur enim; latini nomina relationis vocant. in quibus eadem sunt quæ in articulis, qui præponuntur, peccata. Carent enim & ipsa casibus, eoque superioribus vitiosiora sunt, quod nullis omnino generibus distinguuntur, cum superiores articuli maris & femina genere saltim sint discreti. lo. la. hic vero eadem est trium omnium generum, omniumque casuum vox. Latinus igitur sermo per genera & casus has orationis partes variat. qui, quæ, quod, cuius, cui, quem, quam, quod, quorum, quarum, quibus; magis variant distinctioresque sunt, apud Græcos. at popularis sermo ab omni varietatis elegantia perpetuo abhorrens tot variata genera, totque casus una eademque voce pronuntiat. qui, ilquale, quæ, laquale, quod, ilquale, cuius, del quale, & de la quale, cui, al qualer & a la quale, quem, il quale, quam, la quale, quod, il quale, a quo, dal quale, a qua, da la quale, quorum, de li quali, quarum, de le quali, a quibus, da li quali & da le quali. neque lenia ut parua aut pauca videri debent hæc quod tres tantum sint voces, nam cum relationes sint, neque unius priuata rei notiones, sed in vniuersam orationem sese vi sua fundat, infinita existimanda sunt, ut infi-

nitus

nitus est vsus, cū nulla fere sit periodus, quæ illis careat. Iam vero quæ illud non ferendum est, tam articulum, quæ, quod longe maius est, nomē ipsum, atque adeo totū hunc popularē sermonē vno e tribus generibus carere; marisq; dumtaxat & fæminæ genus habere neutri expertem hic, hac, hoc. Il, la, pulcher vir, pulchra mulier, pulchrum brachium. bello huomo, bella donna, bello braccio, latet deformitas in vsu. tolle vsum, continuo apparebit. quid enim minus auribus ferendum, quam pulcher vir, pulcher itē brachius? Postremo quantum illud est popularis sermonis & quam intolerabile vitium? quod comparandi nomine omnino careat? vt si alium alio doctiorem dicere velit, non possit. Aduerbio suppletur, inquis, facile defectus, piu dotto. non nego, quod ni fieret, querendus alius nobis prorsus esset sermo, sed non tollitur deformitas. quid enim est deformius, quam cum tam frequens sit comparatio, nomē, quod vi sua comparationem exprimat, hanc linguam non habere, sed in re tam necessarij & frequentis vsus in alienā opem confugere? quod vitium magis apparebit alterius sermonis similitudine. quis enim non mancā & inopem linguam Gallicam dixerit, quod nomine superlatiuo careat; ac pro doctissimo, pro sapientissimo, pro continentissimo, ter doctum, ter sapientem, ter continentem dicat? quod idem in aduerbijs facit, vt pro optime, pro iustissime, ter bene, ter iuste dicat. Inopiam & egestatem in lingua Gallica sentimus, at eandem in Itala non agnoscimus, quod æque liberum non sit nobis in Italico, atque in Gallico sermone iudicium vsu oppressum. Ac ne illud quidem popularis istius sermonis in nomine leue est vulnus, aut parum illum deformat, quod a nobis haudquaquam fuit prætereundum, quod eo nomini genere caret popularis sermo, quæ duabus syllabis ita terminantur, ludibundus, spectabundus, populabundus, moribundus. quibus nominibus quam scite quamq; commode ac significanter vtatur latinus sermo, qui in illo non sunt rudes, plane intelligunt. cum popularis vsque adeo illorum sit expertis, vt qui latine nesciat, illorum notionem vix animo concipiat. Quæ tam multa popularis lingue flagitia si quis mente tenebris euoluta secum reputet, profecto barbarā huius lingue originem agnoscat, eamq; vt rudem & degenerē auribus respuat, atq; animo aspernetur: inscitiamq; atque adeo stuporem illam cum latina comparantium irrideat. Non necesse habeo singula minuta persequi. nam & hora urget; & altera quæ restat pars, hoc est verbum longioris & maioris est disputationis. in quo tot sunt ac tam insanabilia vulnera, vt nominis vitia, quæ attigimus, quamquam nec lenia nec exigua sunt,

sunt, ludum & iocum fuisse dicas. GONZ. Iam posthac SAULI, vt te audio loquentem, feno opus erit. Itala hac lingua scribentibus & loquentibus. quod enim os belluarum lingua loquitur, ei non hominum cibis sed belluarum quoque pabulum conuenit. Præclare igitur se habent tot splendida ingenia, quorum tam multa tamq; egregia ac pene Diuina hoc patrio sermone tam soluta quam numeris astricta oratione extant scripta. SAUL. Neque ego Italā popularem linguam belluarum appello GONZAGA; neque præstantissimorum ac doctissimorum virorum, quos dicit, Diuina ingenia minus quā tu suspicio, aut scripta minus miror, in quibus tantam eloquentiæ vim & copiam. expresserint. sed quoniam illud pro disputationis nostræ fundamentum sumptum est, quod mihi omnes dederint, sermonum præstantiam in eo versari, vt a belluarum incondito sono quamlongissime. absint, non aliter latinam linguam populari Itala possum præferre, quam si popularem belluarum sono propiorem docco. quæ res me cogit hoc verbum sæpe vsurpare. Verum istud ad inuidiam trahere, non est GONZAGA candoris tui: neque debes tantam vniuersi odij molem ea de causa mihi conflare. GONZ. Ne te moueat quod non serio dixi SAULI, ego enim omnia tua in bonam partem accipio. quare disputationem de verbo ingrediens. SAUL. Ingrediar. vero; dabisq; veniam, si in eius vitijs colligendis tibi fortasse atrocior videbor, quā in nomine vsus sum. sed veritas quamuis nonnihil interdum pungat, æquo animo ferenda est. Cum igitur omne fere verbum duplex sit, duplicemq; vim habeat, alterā agentis, alteram patientis, ac propterea apud Latinos & Græcos duplici forma varietur & distinguatur, quarum altera vim agendi; altera patiendi declarat, vt amo, & amor. quid per Deum immortalem deformius & imperfectius excogitari potest, quā patientis verbo popularem linguam omnino carere: atq; ita dimidiam verborū partem tantummodo habere? qua re fit, vt in patiendi vi personis, temporibus, modis hæc lingua prorsus sit orbata, vt manca & trunca plane dicenda sit. quæ res cum innumerabilibus formis & terminationibus in latina lingua varientur, omnibus ijs formis priuatus est popularis iste vester sermo; ac pro omnibus ijs vocibus, personis, modis, temporibus vnam tantum vocem subijcit, hoc est patientis, quod vocant nomen participiū, verbo sum, es, est, omnibus verbis addito. qua re quid rudius, magisq; absortum, aut egentius dici possit? singulos modos strictim persequamur. vt egestas & deformitas huius sermonis magis appareat. Atque in modo indicāris, qui ordine primus est, animaduerte, quam

quam res latino sermone personis & temporibus varietur. amor, amaris, amatur. amamus, amamini, amatur. amabar, amabaris, amabatur, amabamur, amabimini, amabatur. amabor, amaberis, amabitur, amabimur, amabimini, amabuntur. Duodeviginti formis modus iudicandi variatur ita distinctis, vt simulatq; vox emittitur, persona & tempus nulla re externa adiuncta ipsa ui vocis prolata intelligatur. at in populari lingua una tantummodo est uox, amato, quæ, verbo, sum, adiuncto tot ac tam uarias nationes subiectas habet. Io sono amato, tu sei amato. Noi siamo amati, uoi siete amati, coloro sono amati. Idem in reliquis temporibus. Io erat amato. Io sarò amato. quam deformitatem & egestatem non ferendam usus tegit. at nos illam ratione & compa ratione uerbi agentis detegimus. quis enim eam linguam ferret; atque neci e mortalium uita extirpandam diceret, quæ verbo ageris caret, ac pro eo in omnibus personis, modis, & temporibus nomen participium addito uerbo, sum, es, est, subiiceret. quam rem amabo ita mecum considera amo, amas, amat, amamus, amatis, amant. amabam, amabas, amabat, amabamus, amabatis, amabant, amant, amauisti, amauit, amauimus, amauistis, amauerunt. amaueram, amaueras, amauerat, amaueramus, amaueratis, amauerant. amabo, amabis, amabit, amabimus, amabitis, amabunt. en latina lingue diuinita triginta formis distinctus est modus indicantis, quæ personas, numeros & tempora distinguunt. finge nunc id quod est in populari patientis uerbo; idem in agentis & pro illis modis omnibus hanc uocem amantis, addito uerbo sum, es, est subijce, vt sum amans, es amans, est amans. Sumus amantes, estis amantes, sunt amantes. Eram amans, & cetera, quæ consequuntur in omnibus temporibus. quis tam deformem paupertatem non aspernetur? Quæ ut clarior sit, in hac ipsa populari lingua comparatio eadem inducatur: Io amo, tu ami, colui ama, noi amiamo, uoi amate, coloro amano. Io amana. Io amai. Io amerò, & ita in omnibus personis. quis nunc ferat, pro tam uariatis & distinctis numeris, temporibus, personis, nomen unum participium subijci. Io sono amante, tu sei amante, colui è amante, noi siamo amanti, uoi siete amanti, coloro sono amanti. Et sic in ceteris temporibus, Io era amante. Io fui amante. Io era stato amante. Io sarò amante. ab hac perspicua deformitate & egestate uerbi ageris mentem & cogitationem ad eandem in uerbo patientis conuerte, tum ea apparebit, & detegetur, quæ nunc in usu latet. Sed ad ueritatem inuestigandam eo ingenio nobis opus est, qui mentem, vt diximus, & cogitationem ab usu possit abducere. Quamquam quid ego ingenium

aut

aut cogitationem loquor? rem ipsam exemplo explicemus, vt turpitudinem non iam ingenio, aut cogitatione, aut ratiocinatione deprehendatur, sed sensu ipso manifesto teneatur. quam detegit uerbi agentis ex altera parte respondens comparatio hoc modo. Io vi priego Signor mio, che vogliate accettare Giulio a seruitij vostri: & siate sopra l'honor mio, che trouarete in lui tutta quella fede & diligentia, che in seruitore possiate aspettare maggiore; & conoscerete con l'esperientia, ch'io nel metterlo con voi ho hauuto non meno riguardo al seruitio vostro, che al ben suo. Finge nunc sermonem popularem uerbo agentis carentem, atque in illius locum participium cum uerbo sum, es, est necessario subijcientem hoc modo. Io vi sono pregante Signor mio, che siate uolente, essere accettante Giulio a vostri seruitij, & siate state su l'honor mio, che sarete trouante in lui tutta quella fede & diligentia, che da seruitore siate possente essere aspettante maggiore, & sarete conoscente con l'esperientia, che io in essendolo stato mettente con voi, sono stato hauente non minor riguardo al vostro seruitio, che al suo bene. Cuius tandem aures sic loquentem ferant? Hic BONCOMPAGNVS. S. A. V. L. I. V. M. interfatus enim uero, inquit, non iam ingenio, sed sensu plane carere existimandus sit, si quis pudendam deformitatem non sentiat. S. A. V. L. Ab eadem deformitate uerbum patientis sola consuetudo vindicat, cuius tanta vis est, vt sensum ipsum opprimat, neque aurium modo, sed, id quod multo magis mirandum est, oculorum quoque, qui longe acrior est, atque adeo omnium sensuum acerrimus, quibus rementi altissime imprimit atque infigit. quam rem uestitus huius seculi Europæorum hominum declarat, quo nihil uiri grauitati magis indecorum, magisque, ab honestate abhorrens fingi potest, quique obscena specie sua leuitatis plena omni Asia; atque Africa risui & uituperationi merito est. Quid enim deformius aut magis pudendum excogitari possit exteriori curtissimo sago, quod nobis pro toga est, uix dimidia corporis partem tegente, cum tenuissimus pannus, quo crura & femora ambiuntur, ita arte corpori adhaereat, milleq; fibulis superiori toraci deuinctus ita adductus sit & contentus, vt non modo crurum & femorum ipsorum exprimat formam, illaq; ueluti nulla re tegente nudata & aperta præbeat inspicienda, sed natium quoque & ipsorum uirilium obscenam prominentem formam matronis & uirginibus ipsis palam contemplandam obijciat. Ut omittam septuplicia superinducta femoralia instar culcitrarum tanta uolenti infarta, itaq; turgentia, vt expansis cruribus homines ueluti ualgos incedere cogant, ingressumq; tardent.

AA Et etiam



Et etiam silentio proteream interiores artissimas tunicas & multiplices toraces mille locis temere lancinatos & fenestratos, quibus nugis mire ornari vestitum distitant. qui toraces innumeris ipsi quoque fibulis adducti humeros atque artus ita constringunt & comprimunt, ut vsu membrorum interdum impediunt. quam tamen obscenam atque incommodam ac morionibus potius, quam grauibus & honestis viris aptam speciem mens adeo non cernit consuetudine caecata & oppressa, ut contra hoc vestitus genus elegans in primis & concinnum; viriq; dignitati decorum iudicet. Verum ut eo redeam vnde digressi sumus, Ab eadem deformitate, ut dicebam, verbum patientis sola consuetudo vindicat. nam rationem quidem nemo erit, ni fallor, tam celesti ingenij acie praeditus, qui non dico comminisci, sed somnare vllam possit, quae patientis ab agentis verbo diuersum faciat: turpiusq; esse loquendi genus ostendat, io sono amante, quam io sono amato. Ceteros modos persequamur. Ecce modus imperandi, amer, ameris, ametur, amemur, amemini, amentur. & futurum tempus eiusdem modi, amator, amator. quibus omnibus modis caret popularis sermo. Idem in infiniti modo, amari essere amato. In iisdem vitijs, ne longum faciam, versantur reliqui modi. si amarer, si amareris, si amaretur, si amaremur, si amaremini, si amarentur. Se io fussi amato, se tu fussi amato, se eolui fuisse amato, se noi fustimo amati, se voi foste amati, se coloro fustero amati. Ut semper aures nostrae duabus vocibus amato, amati, & verbo sum, es, est, personent. Iam vero cum vestra ista lingua popularis in omnibus personis, modis verbi patientis tota deficiat, ne in agendi quidem verbo integra est, sed multis locis manca & trunca. multis enim in modis caret personis & temporibus. ut in modo imperandi amato, amatote, amanto. futurum quo omnino caret, a modo indicandi mutuatur. amerai, amerete. Cum amem, cum ames, cum amet, conciosia ch'io ami, che tu ami, che colui ami. caret hic personis, quas idem exitus inter se non discernit. Cum amauerim, amaueris, amauerit, & quae sequuntur, conciosia ch'io habbia amato, che tu habbi amato. Si amauissem, & ea quae sequuntur; S'io hauesti amato. Si amauero; & ea quae sequuntur. mutuatur hic quoque futurum a modo indicandi. Caret etiam gerundio lingua vestra; infinitiq; modo pro illa vtitur, amandi gratia, per cagione di amare. a supino etiam deficitur; cuius locum obtinet ille ipse infiniti modus. Visum, visu. Io vado a vedere, Io vengo da vedere. Participio quoque futuri temporis tam in agentis, quam in patientis verbo orbata est. amaturus, amandus. per douere amare,

per

per douere essere amato. quae omnia apud Latinos scite & eleganter distincta, clariorem & pulchriorem sermonem faciunt. Et adhuc non pudebit rudem istam & informem popularem Italiam linguam cum politissima & decorata atque eleganti latina conferre? aut quisquam erit integra mente vtens, qui tantam popularis sermonis egestatem cum vberissimis latinae linguae diuitijs conferat? quae egestas propter deformitatem illa quoque duo vel maxima habet incommoda, quod satietatem affert verbo illo sum, es, est, in singulis pagellis millicies repetito; & vocibus longo adminiculatorum ambitu egentibus longiorem orationem necessario facit. Contra latina lingua vocibus ipsis sua vi nulla ope externa petita rem declarantibus elegantem & perspicuam habet breuitatem. GONZ. Vide, ne modo Italarum, sed exterarum quoque nationum odia tibi irrites, quorum sermones iisdem sunt in erratis, eademq; cuius tu Italum nostrum arguis, laborant egestate. S. A. V. L. Quasi vero plus Galliae & Hispaniae debeam; maiore uel sim verecundia, quam Italiae obstrictus? aut non Hispani & Galli equo animo ferant, ipsorum sermonem a me damnari, quem videant, patrio non parcere? Iam vero in verbo quanta illa est popularis huius linguae egestas, quod cum quattuor sint verborum forma, quas Grammatici nostri coniugationes vocant, quarumq; nonnullam effigiem aliquibus in locis popularis sermo habet, ut in modo infiniti, in quo perspicua est distinctio, amare, vedere, leggere, vdir, non eandem elegantem varietatem in omnibus modis & temporibus retinet? Id quod latinus sermo facit. Uno exemplo, ne longum faciam, ero contentus. futuri indicatiui in prima coniugatio amabo, amabis, amabit; in secunda docebo, docebis, docebit; tertia legam, leges, leget. quarta audiam, audies, audiet. vides latini sermonis varietatem & elegantiam vario verborum exitu, & terminatione satietatem fugientem. at in populari idem est omnium verborum exitus eademq; forma. Io amerò, tu amerai, colui amerà. io vederò, tu vederai, colui vederà. io leggerò, tu leggerai, colui leggerà. io vdirò, tu vdirai, colui vdirà. Egentissima lingua eodem modo verba semper claudit. Ad hoc quanta sunt illa ac quot popularis linguae in hoc ipso verbo debonestamenta, quod cum quadripartitum sit apud Latinos verborum genus, quae quadripartitam vim habeant, quattuor animi notionibus exprimendis sigillatim aptam, primam quae actionem ipsam puram & simplicem declarat. ut lego. alteram, quae eandem actionem frequentem exprimit, ut lectito. tertiam, quae actionem vel incohantem vel procedentem ac crescentem demonstrat, ut calesco.

AA 2 quartam

quartam, quæ desiderium & constans quendam ostendit, vt parturio. quattuor his generibus ac formis Itala lingua prorsus caret, vt notiones illis subiectas, quæ vno verbo exprimit latinus sermo, longo verborum ambitu, minusq; significanter a populari explicentur. GONZ. Sint ista quæ dicit S A V L I, latinusq; sermo casibus & variato verborum exitu sit Italo nostro distinctior & multiplicior. verum hæc varietas non maius intervallum inter humanum sermonem, & belluarum horribilem sonum constituere videtur. neque si quis aciem mentis intendat, in hac in primis varietate huius dissimilitudinis causa inest, sed in eo, quod ex hac varietate ac veluti articulis distincta locutione sensa animi & notiones exprimitur. quo fit, vt ad hanc similitudinem inducendam parum omnino in hac varietate ponendum sit, modo sermo is ipse minus varius ad notiones animi declarandas æque aptus sit. in qua expressione vis omnis humani sermonis a belluarum clamore secernendi posita est, aliud igitur quiddam ad hanc dissimilitudinē inducendam maius esse censeo S A V L I. Huc & illuc te licet verses GONZ A G A eodē reuolueris. nam varietas, vt docui, ad animi sensa liquidius & explicatius exprimenda valet. quā rem contendis sermonē humanū a belluis in primis distinguere. visq; ipsa exprimendi vt supra docuimus, in primis vocibus, quæ casibus, tēporibus, personis distinctæ sint, sua spōte & per se inest nulla extrinsecus petita ope. & lingua præter hanc ipsam a belluis dissimilitudinē ab ipsa per se varietate mire ornatur & cōmendatur: satietasq; vitatur, quod vitium est in omni re vel maximū, auresq; in primis offendit. Duabus orationis partibus, quæ sermonē fere continent, nomine & verbo, de quibus tantūmodo differere constituerā, absolutis confecisse me plane puto quod intenderā, hoc est, sermonē latinū populari Italo dignitate & pulchritudine infinito intervallō antepōndū esse. Verum tenere me non possum, quin de reliquis quoque orationis partibus, non tamē omnibus, ne sim nimius, nonnulla strictim attingam; locaq; tantū indicē, quæ maiore quis otio possit dilatare. quā rem sine vllō omnino operæ pretio fore non puto. Ac primum de adverbio, cuius vsus post duas illas partes, quas caput esse orationis posuimus, est frequentissimus, in quo dabis mihi G O N Z A G A, vt Grammaticorum regulis in præsentia ommissis, quod ad disputationem nostram pertinet, tres adverbiorum formas triaq; genera mihi liceat ponere. primum est eorum, quæ per se suaq; sponte existunt, neque aliunde deducuntur, vt clam, non, etiam, pene, & sexcenta eiusmodi. Alterum genus est, quod qualitatis a Grammaticis ap-

pellatur,

pellatur, quod a nominibus secundis seu adiectis, quæq; adminiculo alterius nominis nituntur, trahitur. quod infinitum est, vt infinita sunt ipsa nomina, a quibus aduerbia manant, quorum nullum fere est, quod non adverbium ex sese gignat. Vt docte, caste, iuste, suaviter, sapienter, pulchre, & eiusmodi innumerabilia. Tertium genus est, quod a verbis ducitur, vel a nominibus ipsis non adiectis, sed per se hærentibus & stantibus. Cursim igitur in vnoquoque genere videamus popularis istius sermonis, quem tanoperc amplectaris, flagitia. At que in primo nonnullas species attingamus. nam omnia persequi infinitum fuerit. En adverbium affirmandi, & assuerandi, quod vna aut altera voce in oratione est insigne, si, certo, at in latino innumeris, etiam, ita, certe, nã, quid ni? profecto, sane, plane, vtique, nempe, nimirum, prorsus, quæ voces præterquam quod sermonem variant, variandoq; ornant, & satietatem vitant, varias quoque subiectas in hoc affirmandi genere habent notiones, quas suis singulas nominibus notari, perum fuit. idem vulnus est in adverbio similitudinis vna aut altera voce explicato, quasi, come, at latinus sermo quamplurimis vocibus adverbium hoc ad ornatum variat, quasi, ceu, tamquam, vt, vti, veluti, veluti, sicut, sicuti, quemadmodum. Unus item, aut alter est in populari sermone intēdendi modus, grandemente, assai, at in latino complures, multum, valde, magnopere, impense, longe, prorsus, omnino, plurimum. Eadem ratio est illius generis adverbiorum cito, celeriter, propere, raptim, festinanter, propediem, quamprimum, quæ quamquam ad vnum genus referuntur, diuersam tamen inter se vim subiectā habentia diuersis quoque inter se vocibus insignia esse debent, neque in vnum nomen confundi, hoc est, presto, item illorum, subito, illico, statim, continuo, mox, extemplo, simulac, euestigio, actutum; item illorū adhuc, hætenus, hucusq;. Paucis his contentus ero in primo hoc genere, ne longum faciam. In secundo genere non quidem adverbis caret popularis sermo, nam alius prorsus sermo querendus esset nobis, sed omnia aduerbia ipsa, quæ infinita sunt, vno eodemq; exitu terminat, cū apud Latinos exitus tot sint, ac tā varij, quot aduerbia ipsa docte, caste, salubriter, salutariter, calide, celeriter, aspere, caute, iuste, amanter, periculose, egregie, cōtinēter, recte, prave, bene, male. Vides GONZAGA extremā dictionis partē siue vnius, siue duarū syllabarum, in quas quod accentum consequntur, exire dictionē recte dixerimus, quæ multiplex, quamq; varia sit; quot exitus, quamq; varios sonos efficiat, qui satietatem vitent, & varietate delectent, at in populari sermone omnia aduerbia huius generis

generis qualitatibus duabus eisdemq; syllabis eodem exitu, eodemq; sono terminantur, hoc est, mente, dottamēte, castamēte, aspramente, cauta mente, & sic omnia. Quid igitur tanta sermonis latini varietate venustius aut elegantius? quid contra popularis egestate & satietate ieiunius, aut loguidius aut stomachosius? quam satietatem & egestatem si quis in consuetudinis patrocinio latere defendat, puto te ipsum intelligere GONZAGA, quā is misera & perditā defensione utatur, qui a re & ratione desertus ad consuetudinē confugiat, quā non turpitudinē tollat (id enim sola ratio & veritas efficere potest) sed deformitatem regat; ab eaq; contemplanda ac sentienda & animum abducatur, & aures auocet. quod consuetudinis patrociniū si suscipitur, iā nullus posthac erit sermo tam rudis, tam incomptus, tam agrestis, qui non ad decorem Atticae linguae elegantiamq; reuocetur. Videmus enim rudibus & indoctis suae cuique patriae sermonem maxime pulchrum esse; eoque in primis illos delectari, vsque adeo, ut videre liceat molierculas & rusticanos Ligures, si forte exteri per Linguriae fines iter facientes illos percitantur sermone hetrusco ea, quae vsuum necessitas postulat, irridere ac querere, cur non exteri quoque, quemadmodum ipsi, bona lingua utantur, mala illa abiecta; linguam videlicet suam, quam rudem & absontā esse, ne nos quidem Ligures negamus, ceteris anteferentes. adeo consuetudo ignaros homines suae quemq; linguae primas dare compellit. Quid, quod in hoc aduerbiorum genere idem est vitium, quod paullo ante in nomine tantopere reprehendimus? desideratur enim hic, ut ibi, vox comparandi, neque enim amantius, iustius sapientius dicere popularis sermo, ut latinus potest. quo incommodo in ceteris quoque aduerbiorum generibus non nihil laboratur propius, longius, celerius. Reliquum est tertium genus, quod vel a verbis, vel a nominibus ipsis per se stantibus, neque adhaerentibus manat, quo egentissimus iste sermo caret omnino, quod ad animi sensa explicanda, ad orationemq; venuste variandam, mirum est quantam vim habeat, quantumq; sermoni addat ornatum. Ut cursim, strictim, gradatim, saltim, subsultim, acervatim, punctim, caesim, ductim, ictim, imbricatim, cateruatim, pagatim, & innumera eiusmodi. in eorum locum popularis sermo ab egestate sua didicit vel nomen cum praepositione subicere, di punta, di taglio, vel participium, correndo, saltado. claudicat igitur in adverbio popularis sermo. Quid? in ea orationis parte, quam coniunctionem vocant, commodius consistit; aut cum locum melius tuetur? in illa vero longe maiora sunt vulnera: sordidaq; inopia magis apparet. Cuius coniunctionis complures species

cum

cum in totam orationem vsu ac visiva se se fundant, milliesq; repetitaeam sepe totam occupent; neque ulla sit, non dico periodus, sed ne vitium quidem colum ac comma, quod careat coniunctionibus, orationem, quae sine illis res, quaedam diuisa est, ac dissipata, neque cohaerens esset, copulant & continent, ac veluti conglutinant, & coagmetant. Quocirca ad satietatem vitadam, quam tam creber vsus necessario gignit, decorumq; & venustatem orationi addendam, variam in primis esse decet hanc orationis partem, ut cum eadem notio millies in sermonem cadat, nominibus variata minus ab auribus fastidiatur & aspernetur. quam rem egregie praestat latinus sermo, qui unamquamq; coniunctionis speciem multis vocibus variat, cum popularis una aut altera voce speciem unam appellet. singulas igitur species strictim ac breuiter persequamur. multiplex est appellatio apud latinos copulandi species, & etiam, ac, atque, quae, quoque, cum, tum, at apud populares una & simplex, Et, nonnullis locis anchora, quae vox, Et, in omni sepe periodo repetita quid vitij habeat, quantamq; aurium offensionem, si minus haec ipse aures vsu deprauata, iudiciumq; consuetudine corruptum sentiunt, periculum eius rei in latino sermone aliquis faciat, neque nulla alia voce, quam, Et, in copulando utatur, tum deformitatem deprehendet. Nec praclarior se habet, quae consequitur disiungendi species apud latinos varia, vel, ve, aut, seu, siue, apud populares una. O. minus peccatur in tertia aduersandi specie, quamuis longe latino in hac quoque popularis de varietate concedat. sed, verum, vero, at, atqui, et enim, tamen, verumtamen, quamquam, quamuis, licet, tamen si. haec latinus popularis, ma, benche, quantumq; se bene. At in specie caussa & rationis red denda, quam quarto loco ponimus, maxime perspicua est popularis sermonis inopia. quippe, quod cum hoc genere coniungendi nullum sit apud latinos vocibus ditius, nullū contra est apud populares egentius. unā enim tantum habet vocem, perche, aut quam nonnulli addunt, percioche, at latinus innumeras nam, namque, enim, et enim, quia, quod, quoniam, propterea quod, quando, quandoquidem, si, siquidem, quippe, utpote, videlicet, scilicet, & alia non pauca. In eadem egestate in iisdemq; sordibus iacet ea pars, quae quid ex dictis sequatur, & unde aliquid nascatur, & deducatur, colligit ieiuna plane & inops. duas enim aut summum tres habet voces, adunque, onde, perilche, at latinus sermo innumerales. ergo, igitur, ideo, itaque, idcirco, quare, quamobrem, quapropter, quocirca, proinde. Exigua sunt haec, & minuta, specie, quis negat? verum re & vsu magna & plurimi facienda. ac quemad-

madum

modum in symphonicorum choris vox grauis & ad inum depressa minime quidem speciosa videtur, fundamentum tamen totius harmoniae siue concentus est, ita parius his particulis tota orationis dignitas non in postremis nititur, sine quibus oratio ipsa varia, distincta, ornata, copiosa, ampla, nitens, splendida esse non potest. Age, ut e Græmaticæ scholis aliquando exeamus, & per Rhetorum spatia excurremus, cum ea sit orationis laus vel maxima, ut quamprimum verbis eiusdemq; significantibus animi sensa & notiones exprimat, quod homines ita fere sint a natura facti, ut longiorem oratione moleste ferant, animoq; celeritate sua ad exitum festinanti odiosa sit omnis mora, ac proinde omnes fere eorum hominum consuetudinem vitent, quorū sermo paullo est prolixior; supernacaneumq; ac negotijs impedimento sit, cum rem breuius possis transigere, longa oratione illā extrahere, audientiumq; tempora varijs multisq; occupationibus districta morari, Dij immortales quāto intervallo ea commendatione latinus sermo est isti vestro populari anteponendus. qui eleganti breuitate ac dilucida omnia pronuntiet, minimeq; sit ob longitudinem audientibus grauis aut odiosus, cum contra popularis Italus ab inopia vocum significarum, atque ab egestate sua cogatur fere longo verborū ambitu uti. *Non aut altero exemplo rem absoluam, Io mi credcua, che lo douessi fare, quā verbose præ latino, facturū credidi. Io era stato di parere, che si douesse lassare andare, dimitendum censueram. duobus tantum verbis numero, eandem, & eque perfectum nullaq; re plane immutatam sententiam exprimit latinus sermo, quam non minus decem verborum ambitu, ut videre licet, popularis complecti potest. Quod si quis certius periculum ea de re facere velit, paginam latini sermonis in popularem hunc conuertat. pignore contendere sum paratus, sesquialtera ut minimum, portione popularem prolixiorem fore, ac sesquialteram paginā occupaturum. Id adeo duabus de causis in primis fit, quod sermo hic magna ex parte referendus sit duabus aut tribus millies repetitis vocibus hoc est; sono, stato, pin, il, lo, la, di, da. quas voces necessitas & inopia induxit, quod verbis patiendi, & casibus, item nomine cōparandi sermo iste careat. quas res præter prolixitatem absonum quoque sermonem hunc facit eiusdem vocibus perpetuo ac continenter resonantem. altera illa causa est, eaq; non parua, quod caret fere compositis verbis & nominibus hic sermo, nisi paucula aliqua a latino accipiat. que compositio non modo vim rei; sed significationem, quoque addit, totumq; effatum, atque omnem actionem integramq; sententiam*

vnico

vnico verbo sæpenumero complectitur. perficere, conficere, adducere, inducere, deducere, perducere, producere, circumducere, subducere, inferre, offerre, deferre, afferre, auferrc, circumferre, aduertere, auertere, cōuertere, peruertere, importare, exportare, asportare, immittere, emittere, dimittere, submittere, remittere, cuius verbi ea vis est, ut populari sermone reddi nō possit, remitto hoc tibi, ne meā vicē ægre feras. quomodo hoc populari lingua imiteris, vix reperias, innubere, enubere, iniucere, eijcere, conijcere, abijcere, reijcere, deijcere, proiecere, subijcere, irrogare, abrogare, erogare, amādare, ablegare, elegantes voces, quibus caret popularis sermo; peruincere, quod non facile nisi multis verbis populari sermone exprimas. Perucit remis, ut promotoriū superaret. intorquere, detorquere, extorquere, itē exprimere, quorum duorū vocabulorum ea notio, quæ per translationē fit, hoc modo, expressit hoc ab illo necessitas, item si eam opinionem a vobis veritas extorquebit, elegantissima est, qua plane caret vulgaris sermo. aspicerre, respicere, prospicere, despicerre, suspicere, infundere, effundere, profundere, confundere, offundere, excidere, adigere, abigere, adhibere, redhibere, inhibere, exhibere, aberrare, adiudicare, abiudicare, annuere, abnuere, innuere, renuere, accedere, discedere, abscedere, recedere. adesse, abesse, inesse, subesse, aduolare, inuolare, auolare, euolare, præteruolare, acclamare, conclamare, proclamare, abdicare, adscribere, describere, affingere, allicere, illicere, elicere, arripere, abripere, prouipere, præripere, attingere, pertingere, contingere, aduehere, auerehere, inuehere, euehere, prouehere, circumuehere, præteruehere, influere, effluere, circumfluere, abiurare, eiurare, eripere, immergere, emergere, effodere, incurrere, exorare, perorare, peragere, effugere, cōfugere, perfugere, difugere, peruadere, amouere, dimouere, scouere, oppugnare, propugnare, secedere, seducere, seligere, seponere, includere, excludere, secludere, recludere, auocare, seuocare, seducere, peruius, inuius, auius, denius, cōbustus, ambustus, præustus, semustus, & sexcenta id generis, quæ vno verbo integram sententiam atque integrum effatum, comprehendunt cū a populari sermone pluribus verbis longisq; ambagibus sint explicanda, breuiorem, significantiorem, elegantiore, orationem faciunt. quæ in primis res Græcum sermonem commendat. quippe quæ ad plures voces in vnam componendas felicissimus sit. Iam vero cum tot aperuerimus popularis sermonis vulnera, vnum illud, quod mox detecturus sum, illum maxime deformat, atque insanabile est omnino. nam cum illud sit præcipuū omnis sermonis munus. cuiusq; adeo causa

EB sermo

sermo ipse repertus est, ut sensa animi clare & dilucide ac distincte explicet; idq; commodius fiat ab ea lingua, quæ omnes res, quascumq; tulit natura, quæq; in vsus quotidianos cadunt, omnesq; hominum actiones & officia suis proprijs vocabulis inter se distinctis habet notata, omni dubio procul ea lingua, quæ hoc possit, infinitis partibus infinitaq; laude erit illi sermoni antefercenda, qui egens & ieiunus multas atque inter se diuersas res vno eodemq; vocabulo cogitur appellare. Ecquid habes ad hoc GONZ. AG. A? GONZ. Expecto quo euadas. S A V L. Superioris generis esse affirmo latinâ linguâ, quæ diuitijs suis id, quod dixi, efficiat; in posterioris generis sordibus iacere mancu istum & inopem popularē vestrum sermonē, innumera exēpla proferre possim. nec ullus sit modus, si omnia, quæ infinita sunt, persequi velim. atq; adeo totū latinū Dictionariū sit euoluendū. Per paucis aliquot ero contentus. Verbi gratia animi illa permotio, quæ voluntas in res placitas fertur, amor generis nomine vocatur; at omnes quicumq; latine sciunt, intelligunt, quæ variæ & diuersæ inter se notiones huic generi subijciuntur, dilectio, beneuolētia, charitas, voluntas, pietas, indulgētia, studiū, quæ diuersæ notiones diuersis nominibus a latinis distinctæ omnes generis nomine a populari appellantur, hoc est, amoris. neque ab hoc genere abest stomachari, irasci, excādescere, item succēserē. quæ voces quāquam eamdem animi perturbationē declarant, elegāt et tamē simulq; ad significandum apte illius remissio & intensio nominibus distinguitur. Præterea his generibus timori, dolori, lætitiæ, variæ diuersaq; inter se species subijciuntur a latino sermone, ut par est, vocibus distinctæ, timori, timor, metus, terror, pavor, formido, horror, consternatio, trepidatio, quæ vox non ab homine posita, sed simul cum re videtur nata. dolori, dolor, moeror, tristitia, ægrotudo, angor. lætitiæ, lætitia, gaudium, hilaritas, iucunditas, exultatio, iubilatio. Verum hæc & eiusmodi multa alia a latini sermonis rudibus minus animaduertuntur. Quid illa? quæ non modo gnari, sed rudes quoque sentiunt? Quis enim ferat, socium, collegam, comitem, sodalem, æqualem, vno nomine, cum res tam diuersæ inter se sint, a populari sermone nuncupari? similiter vitium, flagitium, nequitiam, item malitiam, improbitatem, scelus, nefas, prauitatem vnum habere vocabulum? item peccatum, delictum, crimen, noxam, piaculum tam discrepantes inter se res, quāuis ad idem genus reuocari possint, vna voce a populari sermone nominari? in quo genere illud nullo modo potest ferri, criminis nomine & criminandi verbo re in quotidiano vsu ac fando tam frequenti popularem sermonem prorsus

prorsus carere. Eiusmodi sunt queri, expostulare, lamentari. quæ tantam habent inter se differentiā, ut nō specie, sed genere pæne distinguantur, cum tamen vno eodemq; vocabulo a populari sermone sint notata. item hostis, inimicus, item conari, niti, item cruor, sanguis, itē sanies, pus, item inuenire, reperire, nancisci, item abire, discedere, item adire, accedere, appropinquare. quæ diuersa fere genere ipso hoc verbo accostari vulgaris appellat sermo. item, ire, ambulare, ingredi, incedere. item fessus, lassus. item petere, postcere, postulare, quærere, rogare percunctari, item loqui, sari, affari. item dico, aio, autumo, fertur, perhibent, prædicant. item promittere, polliceri, spondere. item certare, pugnare, dimicare, decernere, præliari. iam vero cernere, spectare, intueri, videre, contemplari aut ornant sermonem voces vnius eiusdemq; rei tam variæ, aut si nonnihil differentes subiectas habent notiones, egestatem popularis linguæ in comparatione insignem faciunt. Iam crudelitas, seuitia, immanitas. iam splendo & splendor, fulgeo, & fulgor, caudor, corusco, rutilo. his adde nidorem, fragrantiam, odorem, si idem valeant; varietate sermonem condecorant, si aliquid cōmuni notioni addunt, ut certe addunt, egestatem popularis linguæ coarguunt. Exposito obnoxiiū perspicue aliquid addit, vno tamē vocabulo vtrūq; appellatur a populari sermone. perspicue item inter se differunt funis, restis, rudens, fides. quas diuersas notiones popularis sermo vna voce complexus inopiam suam ostendit. his adde opem, auxilium, adiuumentum, suppetias. quæ omnes atq; aliæ fere infinitæ multorum generum diuersæ inter se rerum species, non ornatus tātum causa, sed quod alia diuersa vis illis subiecta sit vocibus, a latino sermone singulis vnius cuiusq; speciei nominibus distinctæ, a populari vno generis nomine comprehenduntur. quare quid dici possit obscurius, aut confusius, aut egestius, aut vero etiam fœdus? Quod si quis eiusmodi vitia, quæ infinita pæne sunt, quibusq; tota lingua referta est, ea excusatione defendere pergat, quod & si laudabilia non sunt hæc, tamen quod ad idem genus reuocentur, tolerabilia esse, is misera & plane perdit a defensione vitatur, nec quidquam ad institutam disputationem pertinet. nam si hoc suscipiatur, species eidem generi subiectæ non magnopere referre vtrū vno eodemq; nomine exprimentur, an suo vnaquæque species nomine sit insignis, & ab alia distincta, iam posthac equum a boue, & ab aquila, & a delphino nihil attinebit nominibus distinguere, genere enim generisq; nomine omnes animantium species inter se communicant. nobisq; non tolerabilis ne sit popularis sermo, in præsentia quaestio est,



sed inter illum & latinum suscepta est dignitatis contentio. Nihil igitur talis defensio de popularis sermonis ignobilitate & contemptu imminuit, qui hac generis latebra tegi non potest, Ex qua etiam ut te in apertum campum veritatis conijciam, quid illa, quae idem vitium habent in rebus non modo specie inter se differentibus, sed genere quoque prorsus disjunctis, quae ipsa quoque infinita sunt quomodo tandem, aut quo ore defendes? aut vero quomodo tu ipse erga popularem sermonem ita affectus poteris ferre? Verbi gratia honor, decus, existimatio, fides, officium, quae tot ac tam differentia genere vno eodemque honoris nomine a populari sermone nuncupantur. item pudor, verecundia, erubescencia, quae res sunt in laude, dedecus, & ignominia, quae sunt in vituperatione, longe diuersa inter se res, vno vocabulo, hoc est vergogna nominantur, quid porro tam diuersum inter se, quam clamare, obiurgare, castigare, increpare? at res tam alieni alia ab alia generis, vnum habent nomen, hoc est gridare. Vnum item contumelia, probra, conuicia res aperte inter se diuersae. Quid porro tam absurdum atque horribile, quam complicatum, curuum, res notione inter se ita distantes, cui addere potes flexum, aduincum, vno nomine, piegato, appellare? Non tantum inter caelum & terram, quantum inter has notiones, quarum voces mox subiiciam, est interuallum. Ea sunt largus, latus, laxus, his adde aduerbium procul. Larga enim sunt qui donant, eosque large dicimus donare; lata est semita, laxus nodus, laxare nodum, item enim summa prudentiae est, a stultis procul decedere. at lepidus iste noster popularis sermo omnes eas res vno eodemque vocabulo, hoc est largo, appellat, largo donatore, dona largamente, larga strada, largo nodo, alar gare il nodo, star largo da matti. Ut me interdum tam egentis sermonis ac sordidi nostram omnium Italarum vicem pudeat. Minus mehercule insanat, si quis ficus, cerasa, mala, nuces, sorba, pira, nespila vno cerasi nomine appellans bene & distincte ac dilucide sese loqui putet. omnia enim haec poma sunt atque arborum fetus, qui genere saltem inter se comunicant. at illa nulla aut generis, aut similitudinis alterius ve ullius rei affinitate inter se attingunt. quam tamen sermonis egestatem, rudemque & incomptam barbariem exteris nationes iure nobis obijcere posse non credo. neque enim res apud illos meliores esse puto, minoribus ve incommodis aut vitijs laborare. quam rem de Hispanis quidem & Gallis asseruare non dubitem. Quam diuersa, ut inceptum persequar, inter se sint notionis alter, & alius, omnes intelligunt, vtramque rem vno vocabulo nominat popularis sermo. Ad hoc genus

pertinent,

pertinent, atque hic repetenda sunt quae superius multa de aduerbijs & coniunctionibus strictim percursa sunt. Variatio in his & eiusmodi innumeris rebus non ad sermonem tantummodo ornandum & illustrandum valet, satietatemque vitandam, quod ipsum tamen faciendum est per se plurimi: sed multo magis ad illud distinguendum, clarioremque & magis perspicuum faciendum, quae prima est eloquentiae laus, quaeque vna res humanum sermonem a voce secernit belluarum. Neque vero longe abest ab hoc loco, quod ad hanc ipsam popularis sermonis egestatem magis aperiendam, diuitiasque & opulentam supellectilem latini proponendam & explicandam in primis valet, non est omittendum, hoc est, notiones illas, quae suum proprium in sermone latino habent vocabulum, cum eadem in populari sermone suo proprio vocabulo careant, ut notiones ipsae vix noscantur, paucisque admodum veniant in mentem; cum tamen vsu sint frequentissima atque innumerabiles, ijsque totus sermo sit refertus. quare longis ambagibus & circuitionibus ad notiones eas explicandas in populari sermone opus est. quae res & venustatem orationi detrahit, & eam verbosiorcm, simulque languidiorem & enervatorem facit. quae mihi ex tempore & in nomine & in verbo succurrunt, ea acruatim, & sine ordine proferam. sunt igitur haec, sancire, moliri, moles, impartiri, irrumpere, irruere, ingruere, grassari, iterare, innurere, incumbere, incubare, trudere, intrudere, extrudere, excutere, captare, astuare, coniuere, caligare, caecutire, frustrari, manare, procrastinare, assenerare, libare, delibare, percrebuit, vterque, neuter, alteruter, superne, supine, ut supernus ictus, supinus ictus, expers, compos, obnoxius, lugubris, teter, praeposterus, perspicuus, perplexe, multiplex, annuus, menstruus, opportunus, inuisus, infestus, recordia, secordia, petulantia, procacitas, bifidus, fruges, fruticari, facere, fulcire, fulcrum, vortex, simulatio, obrectatio, patulus, expers, compos, pandus, repandus, compages, vastus, impressio. quid illa? quae praeter propriam vim significandi sunt eiusmodi, ut vna cum re ipsa nata videantur, neque ab hominibus imposita, sed ab ipsa rerum natura manant, cuius generis sunt clangor, bombus, crepitus, susurrus, fremere, frendere, cachinnus, titillare, titubare, trepidare, vibrare, trux, truculentus, torus. sed quid ago? qui rem pene infinitam paruo hoc temporis curriculo exequi pergo? modum igitur faciam. per otium, si cui hoc erit studium, colligere ea poterit. Et adhuc uon pudebit sordidam hanc popularis sermonis egestatem, atque adeo verbosissimam mendicantem cum latina lingua affluentissimis opibus conferre? illasque tenebras

cum



cum hoc nitore & splendore comparare? Hic mihi occurritur ab ijs, qui popularis sermonis propugnationem susceperunt, quod te GONZAGA in oratione tua praetermisisse miror. Diligenti enim coquisitione unam aut alteram, summam teritiã rem inuenerunt, quas res nominibus distinguunt a populari sermone solent gloriari, cum a latino vno eodemq; nomine notentur, il valore, la scaramuccia, il fresco. haec fere puto esse. nam alia mihi in praesentia in mentem non veniunt. Si qua alia sunt, ea velim a te mihi suggeri GONZAGA. GONZ. Perge vero SAVLI. SAVL. Eas res latinus sermo nominibus diuersis a virtute, praelio, frigore non discernit. illud etiam addunt duplicato praeterito imperfecto eiusmodi, quem a subiungendo Grammatici nostri nominant, recte, & decore, & significanter vti popularẽ sermonem, S'io ti amafsi, io farei, cum latinus in hoc genere macus sit; nihilq; variet. si te amarem, illud facerem. In qua re amẽtem ne insitiã, an proiectam istorum impudentiã mirer? Tu cum latinus sermo in eodem genere non dico deculpo tanto amplius voces, nec centuplo, sed millesimo possit tibi referre; ac pro tribus aut quattuor vocabulis non dico sexcenta, sed sex milia proferre, vt in tanta ac tam infinita multitudine paucula illa voces vix conspecta sint, tamen tam ab omni pudore eris derelictus, vt popularem sermonem idcirco cum latino audeas conferre? Illud etiam, vt finem tandem faciam, restabat ad huius sermonis vituperationem, quod praeterendum nullo modo fuit, quoq; nulla ratione possit excusari. necessitas enim has particulas, il, lo, la, di, da, piu, sono stato tota oratione inculcandi, vt tertio quoq; verbo aliqua illarum sit vsurpanda, etsi deformitatem non tollit, neque sarietatem imminuit, consilium tamen aliquo modo excusat. Egens enim lingua e media barbarie emergens verbo patiendi, vt sepe iam dixi, nomineq; comparandi, & casibus carens sine harum particularum ope animi notiones omnino declarare non possit. Quid? vbi nulla necessitas cogit, qua tandem re prauum consilium excusabis? Nullam rem nominat hic sermo, cui non proponat numerũ vnus. Uno huomo, vn cauallo, vn fiume, vna casa, vna Città. quo quid excogitari possit ineptius, aut magis superuacaneum? Quid enim? cum hominem, equum, flumen, domum, urbem singulari numero pronuntio, non ipsa vi dictionis quilibet percipit, me vnum dicere? neque enim equus aut vrbs plus vna esse potest. si enim plures essent, iam non recte illas Urbem appellarem. Vt auctores huius popularis linguae reprehensionem ineptę ac futillis loquacitatis captasse videatur, fiat q; vt quo sermone nihil excogitari possit egentius, eodem, nihil sit verbosus

bosius. Quibus ineptijs latinus & Graecus, Hebraicus quoque & Arabs sermones carent. Simili sunt in reprehensione Gallorum & Hispanorum sermones non minoribus sordibus ipsi quoque inquinati, neque minoribus minusq; superuacaneis ineptijs referti. Ex ijs omnibus, quae complura collegi. liquido efficitur, quod nunc summam colligam, cum haec sint praecipua sermonis laudes, vt sit copiosus, varius, significans, breuis, in omnibus quattuor hisce rebus sermonem latinum infinitis partibus populari praestare, Perorare possem, sed parua appendix addenda est, quae ad ignobilitatem popularis sermonis in nullas non partes declarandã non parum facit. nam neque in soluta oratione numerosus esse potest hic sermo, & metris minime aptus est. quippe qui breuib; & longis syllabis, vt latinus & Graecus non distinguatur. quo fit, vt temporibus careat, neque oratio tamquam pedibus quibusdam ingredi possit. quem metri defectum vt supplerent, similiter desinentes atque inter se respondententes extremas duas carminum syllabas commentis sunt, quibus rhythmum effici dicunt. quae res illud vitium habet maximum, quod detruncat notiones, ac veluti angustijs quibusdam animi sensa coarctat, vt quae scriptor animo agitet, pronuntiare libere non possit, sed rhythmi necessitati cogatur parere, neque ingenium necessarijs similiter desinentibus vocibus tamquam carceribus coercitum libere possit excurrere. quod vitium sentiens vir acutissimo ingenio, vtinam constantiore consilio fuisset, Claudius Ptolemaeus, vt ab hisce copedibus Poetarũ ingenia eximeret, novam hexametrorum formam ad Latinorum & Graecorum similitudinem comentus est. laudarem inuentum, nisi conatum & laborem inaniter captum exitus docuisset. popularis enim linguae exilitate sublimitatem illarum heroicis carminibus aptam non capi, experiendo compertum est. Sed tempus iam est, vt ad id, quod initio dixisti, in dignitate sermonũ ponderanda spectandum in primis esse, veniamus. GONZ. Id nisi molestum est libenter repetierim. SAVL. Quin mihi pergratum feceris. GONZ. Aurium iudicium hac in re ceteris omnibus anteponendum puto, quippe quae magis sentiant offensiones. nulla autem re aequae aures offenduntur, atque horrido ac truci & aspero sono. Ille igitur sermo ceteris iure praefertur, qui ab omni asperitate quamlongissime absit; quiq; in aures dulcior influat: casq; iucundiore suauitatis sensu perfundat. Talem porro esse patrium sermonem nostrum, ab eoq; ceteros omnes suauitate superari nemini dubium erit, qui animaduertent, omnes voces vocalibus terminari,

minari, neque mistarum consonantium asperitate aures laedi. Cui suauitati doctum quēdam virū tantum tribuere solitum initio dixi, vt hanc linguā Superis ipsis, si humana lingua loqui velint, maxime conuenientem affirmaret. *S A V L.* Iouem, si humana lingua loqueretur. Platonis lingua locuturum fuisse, qui dixit, is non linguæ Græcæ dignitatem & pulchritudinem voluit extollere, sed miram ac prope Diuinam & Iouē ipso dignam in Platone fuisse eloquentiam, demonstrare. At Diuinus iste tuus vir non hominis alicuius eloquentia, sed sermoni populari Italo eam laudem tribuit. De quo si quis querat, quoniam illum in cœtu & consilio Deorum fuisse oportet, qui eorum intimos sensus introspexerit, atque hoc quoque arcanum elicere potuerit, qua tandem lingua Superi ante hunc sermonem inuentum locuturi fuissent. equidem puto illum simile quiddam coqui illius Plautini responsurum. Ut enim ille dixit, in nidorem ciborum a se conditorum Iouem cœnare, rogatusq; cum ad condiendos cibos nusquam est vocatus, in quem tandem odorem cœnet Iupiter? respondit eo die Iouem incœnatum cubitum ire, ita hunc responsurum puto: mutos tum futuros fuisse Deos. Verum omisso Diuino isto homine ad te orationem conuerto *G O N Z A G A.* Firmiora argumenta tradunt Rhetores vel orationis initio statim opponenda, vel ad extremum referenda, leuioribus interiectis, quod duobus his locis posita maxime adhaereant. Quare minime miror, te argumentū istud de sermonis suauitate tamquam firmissimū, & in quo explicando in oratione recitata plurimum fuisisti, vt clausula disputationis nostræ esset, uoluisse. Verum vide quam a te dissentiam *G O N Z A G A.* Hoc enim argumentū, quo ad linguam commendandā nihil magis putas valere, eiusmodi mihi videtur, vt nihil aequè sermonem istum vestrum premat ac despiciendum faciat. in quo argumento quam multa peccentur, ita mecum considera. primum labi te dicent, in eo, quod putas, consonantibus voces asperius terminari, non enim consonantibus asperiore vocem fieri, sed grauitatē, ac sonans quiddā addi, maiorisq; ponderis ac sublimiorē sermonem fieri. Deinde, cum id quod paulo ante ostensum est, nihil varietate sit iucundius ac pulchrius, qua vitium satietatis in omni re vel maximum in primis vitatur, auribus haud dubie iucundior erit ea oratio, quæ nō vocibus eosdē exitus omnibus habentibus constet, sed quæ varie & multipliciter cadentibus terminetur, & distinguatur. Præterea vt in vocaliū exitu sit ista, quam inesse vis, dulcedo, non tamen ea perpetua & continuata potest esse iucunda, quod nulla re magis natura nostra, vt sepe iam diximus, quam varietate

varietate delectetur, contra continuatione offendatur. ac quemadmodum si quis epulū det, in quo omnes cibi e saccaro sint, vel saccaro sint conditi, cito conuiuas satietas ac nausea etiam capiat, contra illa epula sint iucunda, quæ multiplici condimentorum genere variata simul cum dulci salsum, austerum, acidum, asperum, subamarum habent, illaq; vina Galli in primis in pretio habeant, quæ vna cum leni austerrum mordicans habeant immistū, neque ille chorus delectet, qui vnus tantum soni vocibus constet, sed qui omnibus vocum sonis temperatus iucunda quadam & inter se congruenti dissimilium sonorum varietate, quam Græci ἀρμυρίαν vocant, concinat. ita nihil est quod sermonis pulchritudinem & decorem æque commendat, atque hoc varie cadentium vocum, suauitatemq; cum grauitate miscentium temperamenti, neque nimia ista & perpetua ac nusquam intermissa dulcedo est dicenda. Neque vero huic ipsi suauitati sunt prima danda, quæ nimia sermonem potius deprimit quam extollit. facit enim, vt nihil grande ac sonans habeat. quam laudem nonnulli in sermone commendando vel primam putant. Quod igitur primum ac maxime excellens ad popularē sermonem extollendum sumunt, id illum vel in primis deprimit ac deformem facit; quodq; illi summæ laudi esse putant, id ego in vitio vel maximo ponendum statuo. quam humilitatem & turpitudinem si aures nostræ consuetudine oppressæ in hac lingua minus sentiunt, in alia, in qua aurium liberum sit iudicium, neque vsus vinculis constrictum, facile & liquido deprehendent, nimirum in latina & Græca, ex qua vtraque exempla subiiciamus. quæ rem planam faciant.

Ἀντὶ πολλῶν αὖ ὃ ἀνδρες ἀθληταῖοι χερματῶν ὑμᾶς ἐλέσθαι νομίζω εἰ φανερόν γήροιο τὸ μέλλον σωσίσην τῇ πόλει ὡς εἰ ὡν νυλὶ σκοπέετε. ὅτε πύγυ τοῦ δ' οὕτως ἔχθ' ὑποσέκει προθύμων ἐθέλων ἀκούειν τῆς βουλομένηων συμβουλεύειν.

Eadem verba redde demptis extremis consonantibus.

Ἀντὶ πολλῶν αὖ ὃ ἀνδρες ἀθληταῖοι χερματῶν ὑμᾶς ἐλέσθαι νομίζω εἰ φανερόν γήροιο τὸ μέλλον σωσίσην τῇ πόλει ὡς εἰ ὡν νυλὶ σκοπέετε. ὅτε πύγυ τοῦ δ' οὕτως ἔχθ' ὑποσέκει προθύμων ἐθέλει ἀκούειν τῆς βουλομένηων συμβουλεύειν.

Deformitatem magis sentiemus in latina, quæ propior & naturalis nobis est.

Quamquam mihi semper frequens conspectus vester multo iucundissimus, hic autem locus ad agendum amplissimus, ad dicendum ornatissimus est visus Quirites, tamē hoc aditu laudis, qui semper optimo cuique maxime potuit, non mea me voluntas, sed mea vita rationes ab incunte etate susceptæ prohibuerunt.

- „ At trepida, & captis immanibus effera Dido  
 „ Sanguineam voluens aciem, maculisque trementes  
 „ Interfusa genas, & pallida morte futura  
 „ Interiora domus irrumpit limina, & altos  
 „ Conscendit furibunda rogos, enseque recludit  
 „ Dardanium, non hos quæsitum minus in vsus.  
 Redde eadem omnibus vocibus vocali ita terminatis.

Quaqua mihi sempe frequē conspectu vester multo iucundissimu, hi ante locu ad agendu amplissimu, ad dicendu ornatissimu, e visu Quirite, tamen ho auditu laudi, qui sempe optimo cuique maxime patui, no mea me voluntas, se vita mea ab incunte etate susceptæ ratione prohibueru.

- „ At trepida e capti immanibu effera Dido  
 „ Sanguinea volue acie maculiq, tremente  
 „ Interfusa gena e pallida morte futura  
 „ Interiora domu irrumpi limina e alto  
 „ Conscendi furibunda rogo, enseq, recludi  
 „ Dardaniu no ho quæsitu munu in vsu.

Qui igitur Græcam & Latinam linguam vocalibus ita omnem terminet, atque ea de causa suauitatem sese illi addere putet, ac non contra sordidam humilitatem & non ferendam deformitatem sentiat, neminem puto fore, qui tam inepte desipientem non ingenio tantummodo stupido ac prorsus amentem existimet, sed sensu plane carentē statuatur. Equidem sermonem Hispaniensem populari Italo ne ipsos quidem Hispanos prælaturos puto, sed hac in re tolerabiliorem illum esse autumo, qui voces suas terminatione & vocalium & consonantium variare didicit. quam rem sensisse aiunt Baltassarem Castillionium quo ingenio, quamque ad omnia versatili, qua doctrina, qua eloquentia, qua scribendi facultate, tum autem qua prudentia, qua magnarum rerum intelligentia, quo denique vsu rerum virum, in libro quē illum de vtriusque sermonis comparatione ferunt conscripsisse. Præclare vero dictum illud Delphici oraculi, quo nullum est verius aut sapientius, NE. QUID. NIMIS, seruauit popularis iste tuus sermo. qui suauitate hac insulsa ductus

ductus non modo nimius sed infinitus fuit. Vt contra non illum sermonem laudauerim, qui studio grauitatis & magnificentia, omnisque suauitatis oblitus nō cum consonantium terminatione vocalium quoque exitus misceat, ac sic temperetur, ne in rudem & plane agrestem exeat. quam rem Romani sensisse videntur, qui vt ex Duelliana tabula superius recitata apparet D. qua littera sextum casum fere terminasse videtur antiquitas, pucnādad, marid, presented, maximod, Dictatored, altod, naualed, prædad, auribus admonentibus sustulerunt. Extremū hoc faciam, cum varietas rebus pulchritudinem in primis addat, ac satietatem vitet, quam rem nemo vquam inuentus est, qui negare auderet, tamen tam proiecta impudentia, ne dicam an inscitia (pace illorum dixerim, veritas enim ita me loqui cogit) nonnullos reperiri, qui audeant assueerare popularem sermonem melius ac laudabilius voces suas quinque tantum modis terminare. tot enim sunt omnino vocales, quam latinum mille atque adeo innumerabilibus, vt varijs formis varios atque infinitos reddentes sonos consonantes miscet. Sermonis igitur latini summa ac præcipua maiestas & pulchritudo cum ex ijs, quæ attigimus, tum ex alijs multis rebus colligitur, quæ singula persequi maioris operis maiorisque, otij fuerit. Illud tātum in presentia pro clausula orationis meæ ponere non dubitabo, latinum sermonem, vt initio dixi, sublimem esse, magnificum, locupletem, plenum, multiplicem, floridum, grauem, verbisque cum splendidis fulgentem, tum grandibus & sonantibus aures implentem, cuiusque summa grauitas & acris vis nihil horridum habeat aut asperum, sed mira incūditate & suauitate temperata niteat, & in quo Romana maiestas adhuc spiret; quiq, splendore & pulchritudine sua decorem rebus & dignitatem addat. Contra popularem istum vestrum exilcem, tenuem, mancum, mollem, effeminatū, ieiunum, inopem, sine neruis, nulla varietate excultum, aut florentem, nihil habentem excelsum aut amplum, nunquam sese attollentem, sed semper iacentem, incomptam illam & agrestem barbariem, vnde originem ducit, redolentem, anilibus fabellis & sordidis misterijs, quam magnis & grauibus rebus tractandis aptiorem, quas humilitate sua potius deprimat, quam extollat, illud etiam addam, quod nemo, qui de rebus recte possit existimare, quiq, in re perpendenda mentem & cogitationem acriter defixerit, profecto negauerit, sermonem populare istum vestrum suauiter quidem, vt vos vultis, vt ego sentio, molliter loqui posse; significanter, copiose, ornate, magnifice, neruose, quæ sunt prima eloquentia laudes, non posse. Tum BONCOMPAGNVS latinū,

inquit, sermonem Italo populari elegantiore, pulchriore, vberiore,  
 grauiore, præstantiore denique esse, facilem apud omnes, ni fallor,  
 assensum inuenies, sed ijdem fortasse putabunt, contra Italum popula-  
 rem sermonem ingenium tuum nimium exarsisse, diuinatq; animus, non  
 te tot in illum congesta conuincia impune laturum. proinde te ad resi-  
 stendum para. magnam enim negotij molem tibi constasti. Cui. S. AV-  
 LIUS euident, inquit, veritas, ac bonitas causæ me ad omnes impe-  
 tus satis firmum, & ad petitiones tectum facit. Quæ cum ille dixisset,  
 surreximus omnes, nemusq; egressi aliquot spatia in xysto fecimus de  
 disputatis rebus vario assensu pro cuiusq; ingenio inter nos collocuti,  
 cum in hoc extremo de vtriusq; linguæ dignitate & pulchritudine ne-  
 mo esset, qui non assentiretur SAULIO, ac non longe primas latina  
 sermoni dandas iudicaret, quamuis eundem in populari sermo-  
 ne insectando nimium & supra quam æquum esset, vehe-  
 mentem fuisse nonnulli statuerent. Deambulatio-  
 neq; finita, ac BONCOMPAGNO  
 in Aedes Pontificias reducto Vati-  
 canum egressi rhedas con-  
 scendimus.

V B E R T I  
 F O L I E T A E  
 C L A R O R V M  
 L I G V R V M  
 E L O G I A

AD. IOANNEM. ANDREAM  
 AVRIAM. DVCEM  
 CLARISSIMVM


HIPPOLYTI. CAPILVPII  
EPISCOPI. PHANENSIS

*Illustres animæ Ligurum, quas Martia virtus  
Nota mari & terra sydera ad alta tulit.  
Quæq; sacrum Musis potuistis scandere montem,  
Et celeri immensum currere mente polum.  
Vestra Ligur chartis intexuit acta latinis,  
Et vigil æternum reddidit auctor opus.  
Sic docta artificis gemmas manus inserit auro,  
At que illis ingens adjicit arte decus.  
Quo Ciuem Patria ergo suum celebrabit honore,  
Qui vetat illius splendida facta mori?*

I O. FRANCISCI. FERRARI

*Vrbs inuicta caput Ligurum, illustrata quæ alumnis  
Tot tantisq; parens clarior vsque micas.  
Egregijs hominum virtutibus inclyta debes,  
Hi tibi non paruum nam peperere decus.  
Et pace, & bello quoniam castrisue forð ue  
Quæ gessere, tuum nomen in astra ferunt:  
Non minus at docto FOLIETÆ excelsa teneris,  
Qui Ligurum cecinit tot benefacta Ducum,  
Quin magis huic vni debes obnoxia alumno,  
Quam reliquis, de te qui meruere boni.  
Parta tibi est etenim mortalis gloria ab illis,  
Et quæ Lethæis mersa feratur aquis.  
Iste sed immemori scriptis felicibus æuo  
Hanc rapit æternus, perpetuamq; facit.*

PAVLVS. MANVTIVS  
VBERTO. FOLIETÆ. S. D.



*T si tu is es, cuius ingenium, & virtus neque meum,  
neque cuiusquam omnino testimonium desideret, me  
tamen vel amor in te meus, vel ipsa veritas addu-  
xit, vt extare vellem de tuis Elogijs iudicium meum,  
non tam apud te, qui te ipsum egregie nosti, quam  
apud omnes gentes, at que adeo apud ipsam posterita-  
tē, quæ de studijs ingenijsq; nostris expers amoris et odij, pro cuiusque  
merito sententiam feret. Ego enim tua scripta & legeram ante multos  
annos, & ita probaram, vt ex ijs, qui tunc excellere putabantur, tibi  
neminem anteferrem. nunc, vt vere dicam, non vt gratiæ causa tuis  
auribus largiri quidquam velim, hæc de tuis Liguribus illustris, & di-  
ligens, & ornata commemoratio ita mihi placuit, vt qui conferris tecum  
hoc in genere possit, proorsus neminem esse iudicauerim. nam ex vniuer-  
sa Italia, aut ex multis prouincijs multarum virtutum exempla colli-  
gere, id quod ex veteribus multi, ex recentioribus nonnulli fecerunt,  
haud sane magni negotij videtur esse: ex vna vero ciuitate, & ex vna  
satis angusta regione tamquam ex vberrimo fonte multos haurire, qui  
vita sanctitate, qui militari gloria, qui rē publicæ administrandæ sciē-  
tia, qui sollertia, & inuestigandi rerum nouarum, nouarumq; gentium  
studio, qui etiam litteris & eloquentia floruerint. hodieq; floreant, &  
admirandum quiddam est, & immortalī laude dignissimum. in qua cogi-  
tatione dum persor, non tam equidem patriæ tuæ gratulor, quod eos ci-  
ues tulerit, qui tantas res gererent, aut qui insigni aliqua laude inter  
ceteros eminerent, quam quod tu incredibili quodam ergo tuos amore  
incensus ad eorum memoriam ab interitu vindicandam ingenium ar-  
temq; contuleris. Viuum enim nomina consumptis corporibus excellē-  
ti scriptorum industria, et si præconem virtus inuenit, elucet, eo si ca-  
ret, obscuratur, & extinguitur. Quocirca vel ijs ipsis, qui ornati a te  
sunt, quorum hodie nonnulli sua gloria viuī perfruuntur, vel eorum po-  
steris tati debet esse munus officiumq; tuum, quanti semper a fortibus  
ac sapiētibus viris estimatā nominis æternitatē videmus, qui eam non  
modo*

modo laboribus ac periculis, verum etiam vita ac sanguine querendā putarunt. Et ut aliquid de meo sensu, cum Matthæum Senaregam, alumnium disciplinae meae præstati virū ingenio, natū maximis rebus, dicendi scribēdiq̄ facultate nemini prorsus ætate nostra concedentem proprij Elogij laude decorasti, & si debitum in eo virtuti præmium persoluisti, me tamen pro mea in illum singulari benevolentia, qua voluptate lætitiāq̄ affeceris, quo tibi beneficio deuinxeris, nec mihi verbis exprimere, nec tibi cogitatione cōsequi facillimū sit. Ac tu quidē materiā cepisti nobilem, et præclaram. Sed ut ca speciosior, & incundi or, & ut ita dicam, se ipsa maior sit, eloquentiæ tuæ præstatiā consequeris. Omitto reliqua, ne sim nimius, nam sua quidque laude dignum est, sed in principijs tam multis tantam varietatem, tam splendidam, tam elegantem quis non admiretur, aut quis vidit v̄mquā in ceteris enim Elogiorū partibus tui numquā non similis es, idest grauis, et sublimis, & ornatus, in hac vero tantus es, ut in illis certare cum alijs, in hac te ipsum vincere voluisse videaris. Maestice vir ingenio, atque virtute, optime de Patria merite, cui tot ciues, tot heroes, tot Principes communi factorum lege ereptos, vel temporis iniuriam timentes restituis atque conseruas. nunc illa te sua studiosum dignitatis, publici cupidum commodi, vereq̄, suum alumnium agnoscit: nunc amplectitur absentem, nunc incolumen, florentem, beatum exoptat. quæ tibi merces vna pietatis in illam perpetuæ præstantissima videtur. Vale. Romæ ex ædibus. pridie Kal. Dec. M. D. LXXII.

VBERTI. FOLIETÆ  
CLARORVM. LIGVRVM  
ELOGIA.

AD. IOANNEM. ANDREAM. AVRIAM

DVCEM. CLARISSIMVM.



AGNO animo, & excellēti ingenio viri IOANNES ANDREA AVRIA, eam esse patriæ caritatem statuerunt, quæ nullis iniurijs posset exhauriri: egregiosq̄, homines nullis quamuis grauibus offensionibus republica debere abduci, existimarunt, Illorum ego vestigijs insistens is semper fui, cuius incēsa in patriā studia exilij pœna, qua me ciues mei affecerunt, numquam aut extinxerit, aut labefactarit; quin contra omnes curæ in eius salutē, & dignitatem tuendam, augendam, ornandam, quantum pro virili parte possem, perpetuo fuerint intentæ. quamquam facere non poteram, quin vicem meā interca dolerem, quod me ita omnia fefellissent, ut quam rem mihi laudi & præmio putaram fore, in ea crimen vel grauissimū per dælionis constitutum esset. Verum perpetui mei in patriam studij haud contemnendum, ni fallor, inter cetera specimen fuerint hæc, quæ nunc edere decreui, Clarorum Ligurum Elogia. ad quæ scribenda illa me in primis impulit caussa, quod ad inuidiam, quam ciuitati nostræ nonnullorum malevolentia & obtrectatio studet conflare, lenandam, & extinguendam id plurimum valere existimari. Sunt enim, qui Genuenses homines totos mercaturæ, & quæstui deditos nihil magnum aut amplum spectare, nihilq̄, nisi humile & submissum habere contendāt, eaq̄, ratione de nationis nostræ nobilitate, quantum possunt, detrahere nitantur. Quorum maleuolētia & inscitia cum testimonio nostræ ætatis, quæ tot claros Duces, totq̄, amplissimos Antistites tulit, tum omnium temporum contestata Genuensium virtute refellitur. Illud enim plane constat, in nulla Italiæ ciuitate bellica studia aut vehementius, aut diutius, quam Genuæ viguisse; nullamq̄, esse nationem de Italis, quæ post occasum Romanæ virtutis ad naualem Genuensium gloriam, rerumq̄, gestarum magnitudinem (absit verbo inuidia) possit aspirare. Venetias DD clarissimum



clarissimum Italiae lumen semper excipio. Cui nunc urbi, ut de imperio & de dignitate facile concedimus, ita in pari cum illa bellica virtutis & rerum gestarum gloria nos versari, ne ipsi quidem Veneti magnopere abnuunt, aut iniquo animo ferunt. illa tantum re inferiores sumus, quod res Genuensium magna ac praeclara luce historiae, & egregij scriptoris ingenio carentes obscuriores sunt. Cui Civitatis nostrae parti claudicanti ego quantum ingenio & eloquentia possem ( utramque autem rem exilem & pertenuem in me esse intelligo) subuenire, saepe in animo habui. verum omni opera occupata, totoque animo intento in universa nostrorum temporum historia conscribenda, quae res immensi operis, ac laboris est, fit, ut in tot partes nostra distrahi non possit industria. Sed tamen non ita omni opera mea patriam desertam volui, ut quod tempus maioribus occupatiouibus, quamquam operae subsiciuae partem eripere potui, eam non illi tribuerem, quique universam illius historiam amplecti non potui, hos tamquam flosculos carptim collegerim; in paruoque hoc opere Ligurum, qui vitae sanctitate, Divinisque meritis in Divorum beatas sedes sunt recepti, quique ad summum in rebus mortalibus fastigium conscenderunt, ad hoc qui militari gloria, quorum maximus est numerus, clari fuerunt, praeterea qui Civilibus artibus & toga honoribus ac litterarum commedatione floruerunt; veluti in exigua tabella adubratis imagines ante oculos hominum posui, quasque maiorum res gestas plane explicare, iussit historiae opus fuerit, eas hac Elogiorum breuitate attigisse, ac veluti indicasse, haud leue operae pretium putavi. Ut & Clarorum Virorum memoria ab hominum oblivione scriptis nostris vindicaretur; nec patria nostra ea laude, quam illi tot civium suorum virtus & ingenium conciliat, omnino careret: hocque extaret singularis nostrae pietatis in illam monumentum. cum de militaribus viris eos tantum hoc honore comprehenderimus, quorum nomen rerum gestarum magnitudine clarissimarumque victoriarum gloria, aut magno aliquo memorabili facinore praefulget. praeter quos plus septingenti Ligures cum apud annalium nostrorum, tum apud exterorum scriptorum incorrupta monumenta numerantur belli pacisque artibus conspecti. innumeri enim fuerunt haud parvarum classium, haudque contemnendi navium numeri Praefecti; ad hoc non pauci superioris generis ordinum Ductores, aliisque honorificentissimis terrestri militiae muneribus usi. Vel una gens tua Auria praeter eos, quos suis sigillatim Elogijs decoravimus, summi fastigij viros, plus sexaginta tulit terra marique, insignes homines, qui consilio, qui virtute, qui audacia, qui rebus gestis nomen suum

immor-

immortalitati commendarunt. Ut gens Auria ex omni temporum memoria Civitati nostra feracissimum Ducum & Praefectorum seminarium fuerit. De togatis vero Liguribus quadringenti amplius Episcopi recenserunt. Atque ego credo, nonnullos non de ceteris modo nationibus, sed de civibus ipsis quoque nostris fore, qui Civitatis nostrae praeceptorum temporum potentiam mirentur, quaeque de maiorum nostrorum rebus traduntur, ea vix credibilia putent: magnopereque, ex nobis quaerant, qui fieri posset, ut Civitas tum dimidio, quam nunc est, minor, longeque minore civium & incolarum numero frequentata, eorumque minus locupletium; ad hoc angustiorem finibus uteretur, cui praeterea publica vectigalia multis partibus esset tenuiora, qui igitur fieri posset, ut Civitas, apud quam omnia, quae ad magnas classes parandas & instruendas, paratasque & instructas tuendas necessariae sint, tam exilia essent, tantas, tam validas, tam crebras classes, idque tam facile, tamque brevi tempore compararet, & ornaret. Illud enim constantiter traditur, in prima expeditione sacri belli, cuius Dux fuit Gotofredus Bollionius, septem ingentes & praevalidas classes, omni nautico instrumento, omni bellico apparatu instructas, ad hoc ingenti egregiorum bellatorum copia refertas tredecim annorum curriculo subsidio Christianis rebus in Syriam submissas. Et in vno ex bellis Pisanis septem annorum spatio, quod bellum illud duravit, sexcentas viginti sex naues longas varij generis e portu Genuensi pluribus com meatibus exiisse. quae rem gravissimum illorum temporum aequalis & scriptor Iacobus Auria, cui negotium scribendorum annalium publice datum est, pro explorata & comperta tradit, cum sibi studium fuisse dicat numerum navium recensendi. Iam vero quis non horreat secum reputans, mensis spatio classem centum sexaginta partim trirremium, partim maioris formae longarum navium, quas tunc Taridas vocabant, nunc Galeatas appellamus, comparata & instructam? quam plus quadraginta bellatorum millia omnes Ligustici nominis conscenderunt. quam rem Varagineus tradit certissimus scriptor, & sanctissimus Antistes, qui rei interfuit, numerumque navium sese iniisse scribit, gentili tuo VBERTO. AVRILIA, eo qui memorabili illa clade Pisanorum opes fregit, Praefecto, e portu Genuensi contra Venetos emissam? Auet admirationem ac fidem labefaciat nostrorum temporum comparatio. in quibus non modo Civitas nostra quamvis frequentia civium, omni opum copia, ad hoc finium latitudine longe superior, sed ne opulentissima quidem Regna tantas classes possint armare, aut armatas diu tueri. Vel ipsa Venetia, quae civitas tot opulentas

DD 2 ac claras

ac clavas Italiæ vrbes imperio sub iunctas habet, præterea latissime partem Illvrii oram, simul quamplurimas insulas oppidis, & vicis, ac populis frequentissimas, ad hoc locupletissima vectigalia possidet, tum autem amplissima habet naualia nauigijs omnium, bellici apparatus copia referta; quodque, caput est, nauale rem præ ceteris colit, in eaque gloria sibi primas vindicat, perraro atque omnibus viribus commixta tantum nauium numerum vis conficere potest. Quæ singula secum animo agitantem multos, ut dixi, video fore, qui scriptis nostris fidem abrogent, idque non omnino temere, cum ea res me quoque dubium septennero & nutantem fecerit. Verum cum animum in eam cogitationem & inuestigationem acriter intendissem, ac veterum scripta diligenter considerassem, exterorumque monumenta multis ex locis collecta cum nostris annalibus accurate contulissem, re diu ac multum quesita, animoque agitata ad veritatem me peruenisse credo, eaque allaturum spero, quæ omnem prorsus dubitationem tollant, scriptisque nostris stabilem fidem adiungant. Perimus igitur ab ijs, qui scripta hæc nostra in manus sument, ne susceptæ contrariæ opinionis, si forte menti hæsit, pertinaciter retinentes sint, candidoque animo rem mecum momentis suis ponderare ne grauentur. Principio cum tres omnino sint querendi victus vitæ, tresque rei familiaris tuendæ, & augendæ rationes, agricultura, opificium, mercatura, a duabus superioribus Genuenses & Ligures homines olim plane abstinebant. neque enim durum & asperum solum, regioque sterilis, ac nullius fere rei victui & quotidiano cultui necessaria ferax agricultura magnopere locum dabat: & opificia tamquam sordidam rem & libero homine indignam aspernabantur. quare textrina & cetera sellulariorum artificia ab exteris Genuam ea de causa commigrantibus exercebantur. cuius rei etiam ætate nostra illa non leuia extant vestigia, quod textrinam facientes Tusci; rerumque ad muliebrem ornatum & ad elegantiore cultum pertinentium opifices Mediolanenses vocantur, nominibus videlicet nationum, quæ eiusmodi opificia a Genuensibus præterea Genua tractabant, ad opificia ipsa translatis. Mercatura porro duo sunt genera, alterum, quod in re numaria, & fenebri tractanda, pecuniarijs permutationibus faciendis, vectigalibus publicis conducendis, & exercendis versatur, quarum rerum causâ societates instituitur, domiciliaque in exteris prouincijs collocantur, a quo genere maiores nostri semper abhorruerunt, nullaque illis erant in alienis prouincijs negotiationis mercatoriarum domicilia, præter per pauca in nonnullis maritimis vrbeb; ad ea, quæ ad comæatus & maritima comæcia

cia expeditæ pertinebant, instituta. Quocirca a cetero omni exercitatione, & questuum genere libera Genuensium opera tota in re nauali ponebatur, huicque vni studio Genuensium ingenia erant intentæ, atque huic vni operi & labori omnis illorum insudabat industria, cuius nemo omnino optimis illis temporibus expertus erat; simileque quiddam eius, quod in Romanis olim valebat, in Liguribus tum suscipi poterat, ut quemadmodum qui Romanus, idem miles esset, ita qui Ligur, idem quoque esset nauticus. Quo fiebat, ut quemadmodum nunc publicanis & opificibus urbem refertam habemus, ita tum nautarum omnia plena essent; Genuensesque homines, qui nunc textrinam, aut numulariam faciunt, omnes rei nauiculariæ se dederent. Illud porro erat nauticæ huius exercitationis genus, quod homines non minus bello, quam nauticæ industriæ aptos faceret, nam cum quattuor tum populi mediterranei maris potestates essent Venetus, Genuensis, Pisanus, Catalanus, ingentesque classes singuli armarent, fiebat, ut æmula virtutis & eiusdem professionis stimuli odia & inimicitias inter eas nationes alerent & incenderent, quæ res ipsas in armis perpetuo habebat, ac non classes modo ad bellum armatas, sed naues etiam priuatæ negotiationis causâ domo profectas prælijs sæpenumero inter se committebat; ad hoc mare Piratarum excursionibus & latrocinijs continenter infesto fiebat, ut illorum temporum negotiatoribus altera manu clauus esset regendus, altera gladius stringendus. quibus exercitationibus homines assuefacti, quemadmodum ex bonis olim agricolis, ita ex bonis tum nautis boni milites fiebant. quæ res acriter in illam intuentibus admirationem illam de numero nautarum & bellatorum plane tollit, docetque liquido, pro singulis nunc hominibus rei nauali ac bellicæ aptis centenos tum Genuæ & in ora Ligustica numerari potuisse. Remigium porro, quæ res difficilis in primis nunc est, præsto & ad manus affatum erat, cum infirmi homines in sua sortis ministerium republicæ operâ nauare non grauantur, cum præsertim neque loris aut fuste cederentur liberi videlicet homines, ac voluntariam operam reipublicæ professi, neque ijs iniquitatibus, quibus nunc serui remo alligati premuntur, tum vexarentur; neque grauior aut laboriosior esset remi, quam ligonis aut pectinis tractatio; fructuosissimumque esset is questus prædæ & spolijs inter omnes pro fortuna & ministerij portione diuidi solitis; nullumque fere aliud esset tenuiorum hominum opus, quo vitam tolerarent. Nauium vero numerus, quæ altera fuerat maxima admirandi causâ, multo minus dubius esse potest, si quis cogitauerit, priuatam negotiationem non tum onerarijs & corbitis,

ut nunc

vt nunc, sed nauibus longis omnis generis fere exerceri solitam. quarum maxima pars triremes erant, aut etiam maioris formæ Tarida. Ea a priuatis hominibus priuato sumptu parabantur, quarum ingentem fuisse numerum, haud dubitandum est, quippe quæ minoris oneris capaces essent, cum oneraria mediocris quattuor aut quinque & eo amplius triremium onus uehat. quo fiebat, vt minor capacitas numero suppleretur, cuiusq; patrum & nostra quoq; memoria plus centum quinquaginta onerarias in Ligustica ora ipsi uiderimus, quis sano iudicio utens negauerit, plus sexcentas longas naues, quarum haud exigua pars triremes essent, in Ligustica ora, vt minimū, fuisse? cum nullum esset tam exiguum oppidum ac tenue, quod non vnā saltem aut alteram triremem armaret, id quod ex innumerabilibus annalium monumentis perspicuum est. quæ res eo etiam minus mira uideri debet, quod longe minoris triremes, quam onerariæ constabant, tum cum nullus esset bombardarum usus, neque seruis in remigium uti soliti essent maiores nostri, quæ duæ res impenso parantur pretio, illisq; demptis minimi impendij sit præ oneraria & corbita triremis comparatio & instructio. Neq; uero ea nos moueat res, quod oram Ligusticam, id quod non in postremis mirum uidebatur, non nisi minima ex parte imperio possidebamus, quæ compluribus Dominis parebat. Omnia enim Liguria oppida, quæcumque Uaro & Macra fluijs interiectum accolunt mare, Casarum lege & decreto Ciuitati nostræ, cum instruenda & armanda esset classis, contributa erant, graui fraude Dominis constituta fiduciario iure & dominatu excidendi, si impedimento fuissent: & ipsi suis priuatim uiribus infirmi singuli populi, atq; ideo exterorum iniurijs obnoxij & expositi se se in fidem præpotentis Ciuitatis ultro tradebāt, viresq; cum illa libenter nulloq; adacti imperio coniungebant, quæ ipsos, ipsorumq; commercia tuta redderet. quam rem olim maritimas Græciæ ciuitatis fecisse accepimus uiribus cum Atheniensi populo coniunctis, vt impotenti Lacedæmoniorū dominatu sese eximerent. Iam uero pecuniarum ratio, quæ perdifficilis & impedita semper fuit, vt non parua atq; haud scio, an omnium maximam admirationem, ita perfacile habet responsonem. neque enim ingentes illæ classes ære publico, nisi parua ex parte parabantur, aut alebātur, sed a priuatis hominibus tã Principis urbis, quam ceterorum oppidorum armabantur, ac reipublice commodabantur, quibus ciuitatis Magistratus Præfectos & Duces Genueses ciues præficiēbat, quibusq; ciuitas cum tempora reipublicæ & usus belli postulabant, pro suis utebatur, omnibus, cum non decus

tantummodo,

tantummodo, & officium, ac communis Patriæ charitas, sed priuatis quoque utilitatis ratio homines ad operam reipublicæ alacriter nauandam incitaret, quippe quod ex uictorijs partis, hostilibusq; conatibus compressis tutior & minus infesta redderetur priuata nauigatio. neq; tum stipendijs mercebant homines, sed gratuitam operam, quæ priuatim quoque utilis esset, reipublicæ nauabant. quod non nouum, neque primi fecerunt maiores nostri, sed is mos uetustissimus fuit apud eos fere populos, qui impetu, & non perseuerantia bella gerebant, quemadmodum omnes erant maiorum nostrorum vnus ætatis expeditiones. Quare Romani milites non prius stipendia acceperunt, quam ultimo bello Veienti, quod fuit trecentis quinquaginta circiter annis post Roma condita, quod crescente imperio bella diutius duci necesse esset, cum prius in breuibus illis expeditionibus gratis meruissent. quem more, quodq; institutum a nullis Europæ Regnis & prouincijs adhuc retineri, nemo est qui nesciat. Vt nemini mirum uideri debeat, illorum temporū Genueses ciues bimensem, aut summum trimestem operam, quæ in priuatam quoq; utilitatem tantopere redundaret, reipublicæ gratuitam haud grauate commodare solitos. Quæ singula si quis animo & cogitatione circumspexerit, contrariam opinionem quamuis animo penitus comprehensam facile, ac non retractanter deponet, neque nos in patriæ laudibus plus illius amori indulgisse, quam ueritati tribuisse existimabit. Longe autem omnium difficillima nostra ratio fuit; eoq; iniquiore conditione hoc opus aggressi sumus, quam ceteri, qui ætate nostra simile argumentum tractarunt, quod illi omnem terrarum orbem, omniumq; nationum, atq; omnium professionum homines amplexi materiam amplam & copiosam habuerunt, in qua ipsorum ingenium & industria expatiari, ipsorumq; eloquentia posset excurrere, cū noster contra labor angustijs finibus inclusus vna ciuitate, atque vna natione terminetur. ad hoc illi non aliquod tantummodo clarorum uirorum factum illustrandum susceperunt, sed simul illorum uitam, illorumq; casus breui narratione perstrinxerunt. quo fit, vt opus tam uarium, ac multiplex, totq; ueluti amœnitatibus refertum & distinctum miras habeat delectationes, iucundaq; quadã suauitate legentiu animos perfundat. contra nos, qui uitas exponendas non suscepimus, neque enim nobis ille præter paucas notæ esse potuerunt, quiq; in eodem fere argumento in singulis classibus uersamur, quibusq; de rebus tanta similitudine inter se coniunctis, vt eadem pene esse uideantur, perpetuo scribendum fuit, tantum abest, vt ulla uarietate animos legentium tenere posse

posse speremus, ut præclare nobiscum actum putemus, si satietatem vitauerimus. Petimus igitur ab ijs, qui scripta hæc uostra legere non grabuntur, ne quod in re ipsa est incommodum, id nõ ingenij vitio, & orationis ieiunitati tribuant. quam rem nos ab illorum æquitate facile impetraturos confidimus, si in scripta nostra perpendenda animum acriter intenderint. Nemini autem quam tibi IO. ANNES. ANDREA, hoc opus inscribi verius fuit. neque enim vilius familia virtus in patria salute & dignitate tuenda & amplificanda magis, quam gentis Auriæ eluxit, aut maiora sunt omnium temporum in patriam merita. Ex ipsis porro Aurijs multis de causis te potissimum delegi, cui libri hunc nuncuparem. nam plus priuata domui tuæ, quam ceteris Aurijs ciuitas nostra debet ab Andrea patruo magno tuo tanto, tamq̃, immortali beneficio affecta; & tu is exitisti, qui in ipso ineuntis adolescentiæ flore tot maiorum indolem præclaris consilijs, fortitudinis, virtutis multis locis editis facinoribus expresseris. Ut gētis Auriæ nunquã senescens gloria nunc, ut cũ maxime, in te uiuat, ac vigeat: appareatq̃, te non minora ornamenta maiorum tuorum nomini, si vita suppetet, redditurum, quam quantum ipse ab illorum memoria acceperis splendoris. Accedunt egregia tua in me merita, susceptaq̃, salutis & afflictæ fortunæ mee propugnatio, ut tantam in me tuendo atque ornando voluntatis tuæ significationem sempiterna recordatione mihi colendam intelligam. Si quis autem huius nostri laboris futurus est fructus, eius gratia non tam mihi, quam viro amplissimo Hippolyto Estio Cardinali Ferrariensi debetur. Cuius, ut omittam in præsentia reliquas præstantes virtutes, atque eximias ingenij & prudentiæ laudes Italiæ & Galliæ, atq̃, adeo toti Europæ in multis ac grauib; reipublice partibus administrandis cognitæ & perspectas, Regia liberalitas cum in omni magnificentiæ genere sese copiose ostendit, tum vero in præclaris artibus fouendis & amplectendis veluti clarissimum lumen in his seculi tenebris elucet, eiusq̃, domus omnium hominum egregia aliqua in re præstantium, in primis vero doctrine & eloquentiæ gloria commendatorum receptaculum semper fuit. in quibus ille mea studia complexus, meq̃, in familiarium numerum receptum liberalitate sua sustentat.

DE. IIS.

DE . IIS . QVI . IN . DIVORVM  
NUMERVM . SVNT . RELATI  
QVIQVE . AD . SVMMVM  
RERVM . FASTIGIVM  
PERVENERVNT

DIVVS. VALENTINVS



QVI EVS felicioribus angustioribus ve in ijs nostra clarorum Ligerum Elogia, quam a caelestibus & Diuinis Viris auspiciari possumus? Docuerunt VALENTINVS. FELIX. STRVS. ROMVLVS Genuenses Ciues. ijdemq̃, Pontifices in Beatorum sedes recepti, Genuensium hominum uirtutem non humanis tantum rebus fluxis & caducis, ac uita huius gloria breui interitura terminari, sed caelum ipsum quoq; conscendere. Virorum sanctorum continentia, innocencia, pietas, religio, perpetuusq̃, uita cursus ab omni uitiorum contagione pura atq; integra, quam Diuino Numini fuerit acceptus, illud ipsum Numen multis insignibus miraculis declarauit. que per uiros beatos non uiuentes modo, sed post eorum quoq; obitum edidit. Quorũ ordine & tempore princeps VALENTINVS inter cetera multa a uiuente edita miracula, cum humanis excessisset, puellam claudam, cum illa ipsius opem apud diuinum Numen precibus & votis implorasset, insanabili uitio liberauit.

DIVVS. FELIX

AT FELICI Diuina gratia in hac uita, & destinata post mortem gloriæ clarissimum testimonium dedit ipse Spiritus Sanctus. aspectabili specie flamma edita olim in Apostolos, ac tanto seculorum interuallo repetita sacrificanti celo illapsus.

DIVVS. STRVS

Nullus uero memoria clarioribus ac crebrioribus miraculis nobilitatur, quam STRI. ab eo per omnem uitam editis, quemadmodum

modum totus cursus vitæ sanctissimus fuit. Nam & in prima adolescentia defunctam amiculum ad vitam reuocauit: & etate confirmata portentosa speciei & magnitudinis exortum serpentem, quem basiliscum fuisse scribunt, mortifero veneno ac letali morfu miserorum funera alia super alia edentem omnibus humanæ opis argumentis aduersus perimentem pestem frustra expertis, precibus necauit. Neque uero una cum vitæ miraculorum virtus & gloria extincta est, cuius mortui cruore panniculus aspersus compluribus ærotantibus amissam valetudinem restituit.

## D I V V S . R O M V L V S .

Postremus Genuensium Episcoporum est ROMVLVS uiuens quidem miraculis ipse quoque illustris, ceterum mortuus illustrior. Cuius tumultus in Vico Mauritano, in quo diem extremum obiit, complures ad eum delatos insanabilibus omnis generis morbis & vitijs corporis solo contactu liberauit. Qua re factum est, ut Vicus splendido ac perpetuo Sancti Viri nomine veteri omisso nobilitatus sit.

## D I V V S . D E S I D E R I V S .

AT in DESIDERIO ad superiorum virtutes, atque ad miraculorum splendorem, quibus non minus ipse quoque clarus fuit, multa eximia addita sunt, quibus sanctissimi viri gloria præfulget. In ignobili enim pago prope Genuam urbem ortus a Lingonibus Gallie populis, quos nunc Burgundos appellamus, tanto terrarum tractu ad Pontificatum ascitus est, cum illis de Pastore in demortui locum sufficiens sollicitis Diuinum responsum clarissimis verbis redditum esset, Desiderium Episcopum longe alia regione illis esse querendum. In quem diu errabundi, atque ignari, quem Desiderium, aut quo loco peterent, cum eodem ipso Numine Duce tandem incidissent, Diuino mandato exposito, ab aratro ad Pontificatum translatus est Desiderius. cuius in comisso populo regendo ita omnia Pastoralis muneris, multiplicisque ac Diuinæ virtutis officia constituerunt, ut Lingones ad nostra usque tempora viri Sancti memoriam omni veneratione colentes Desiderium cum Apostolorum ipsorum fere laudibus coniungere non dubitent. neque id ea solum de causa, quod pro Christiana religione confitenda & defendenda extremum supplicium fortissime subiit, omnibus prius intolerandis

dis patientiæ humanæ cruciatibus ab immanissimis Barbaris laceratus, sed quod ex indocto agricola, omnisque eruditionis experte, atque in omni litterarum genere ita rudi, ut ne prima quidem elementa nosset, subito clarissimus Diuinæ legis Doctor, ac sacrarum Mysteriorum egregius interpres euaserit; doctrina videlicet purissimæ mæti, id quod post ipsos Apostolos aut nulli, aut quæpaucissimis accidit, Diuinitus indita.

## I N N O C E N T I V S . Q V A R T V S .

Proximum a viris Diuinis locum tenent ij, qui ipsius Diuini Numinis locum & potestatem inter mortales obtinuerunt. In quibus INNOCENTIVS Quartus e nobili Fliscorum gente uetusto Lauanæ Comitum titulo insigni multorum Romanorum Pontificum laudes, quorum pietas & prudentia in republica gerenda enituit: profecto superauit. Siquidem illorum duntaxat uiuentium merita rebus Ecclesiæ profuerunt, INNOCENTII virtus & ingenium non uiuentis modo, sed mortui quoque omnibus seculorum ætatibus Pontificio folio summo usui & decori fuit, atque erit. Et multorum nomen alterutra tantum laude, hoc est, vel virtutis & probitatis, vel doctrine fere clarum est; in INNOCENTIO eximia utraq; res fuit. nam nemo illo acrior Pontificis & Sacerdotalis dignitatis ac libertatis propugnator & assertor fuit; illiusque potentissimis oppugnantibus constantius restitit. quippe qui priuatæ necessitudinis causis rempublicam preferens FRIDERICVM secundo rerum cursu elatum, immodicisque fortunæ opibus inflatum in res Ecclesiæ grassantem compefcuit. quem in concilio Lugdunensi grauissimis criminibus accusatum, & compertum e piorum coctu exterminauit. tandemque ad errata agnoscendi, veniamque, efflagitandi necessitatem adegit. Ingenio uero & doctrina, quæ non uiuo illo tantum viguit, sed litterarum monumentis eternitati consecrata est, ita Pontificias leges illustrauit, ut nullius auctoritas ad hæc usque tempora in forensibus causis sacrarumque rerum iudicij maioris esse ponderis existimetur. Quibus ille virtutibus & meritis id affecutus est, ut Fridérico mortuo nobilissimum Neapolitanum Regnum in Romanæ Ecclesiæ imperium cessurum fuerit summa Procerum voluntate. qua de causa cum Neapolim sese contulisset, multasque iam vrbes atque oppida in illius ditonem & potestatem venissent, luctuoso Romanæ Ecclesiæ casu tantarum rerum inchoata & ad exitum haud dubie perducenda initia eius obitu conciderunt; tantæque gloriæ cursus est interruptus.

## H A D R I A N U S . Q V I N C T V S

**G**entilij decoris emulus profecto futurus fuit H A D R I A N U S Quintus eadem Flischorum familia ortus, atq; I N N O C E N T I I patrui memoria non minora ornamenta virtute sua redditurus, quam quantum ipse ab illius gloria commendaretur. Ea enim in Cardinalatu sui documenta dederat, is in grauibus & arduis negotijs tractandis, maximis legationibus obeundis extiterat, vt quem immensa opes, atq; ingentis patrui venerabile nomen conspectum faciebat, eundem virtutis et ingenij fama lege faceret illustriorem, magnij, ac iusti Principis in illo indoles appareret, si praeclara consilia explicare potuisset, ac in mors immatura tantam commotam expectationem in ipso Pontificatus limine praecidisset, H A D R I A N O intra quadragesimum diem sublato.

## N I C O L A U S . Q V I N C T V S

**E**o magis in N I C O L A O Quinto praestantium virtutum & ingenij gloria suspicienda est, quod is nullo maiorum splendore commendatus, nulliusq; fortunae opibus subnixus, sed suis ipse meritorum momentis ad celsissimam illam honoris & dignitatis sedem conscendit. Sergianus enim Lunensis Liguriae oppido, loco ita obscuro ortus est, vt cum nomen familiae ignoraretur, nullumq; esset gentis insigne, ab oppido Thomas Sergianus appellaretur: Pontifexq; factus clauas Pontificias pro gentilitio insigni ediderit. Thomas igitur cum litterarum studijs sese deditisset, eos in omni genere eruditionis progressus fecit, vt profitendi munus illi publice sit mandatum. in quo multa cum ingenij & doctrina laude aliquandiu versatus Romam ad amplioris fortunae initia Numine ducente commigravit. In qua vrbe viri industria ab inferioribus Procurationibus exorsa per omnes numerum gradus breui in notitia & familiaritatis iura apud Eugenium peruenit. a quo multas & graues reipublicae partes sibi mandatas magna cum prudentia, & integritate, ac doctrina laude suscipuit. Nam doctrina clarissimum specimen in concilio Florentino eluxit in controuersijs de religionis rebus inter Latinos & Graecos. Et prudentiam ostenderunt duae Legationes, altera in Germaniam ad Schisma tollendum Germanosq;, qui medios sese inter Eugenium & Felicem gerendo neutras partes profitebantur, ad Eugenij cultum & obedientiam traducendos; altera

altera Ferrariam ad pacem inter Principes Italos, quorum Legati in eam urbem conuenerant, componenda. Quae vtraque legatio quamuis effectu caruerit, tamen omnia illarum munera Thomam cumulate impluisse, declarauit summus honor redeunti a Pontifice habitus. qui aduenientem in sacrum Senatum legit amplissimi ordinis vestibus & insignibus illi ad portam missis, in quibus conspectus Urbem ingrederetur. Diuino autem consilio legationis effectum frustratum credo, vt vterque honos ipsius Pontificatui reseruaretur. Ad quem mox peruenit mortuo Eugenio succedens. In qua re duo fuerunt ad omnem posteritatis memoriam insignia; alterum incredibilis moderationis, ac neutiquam vulgatae virtutis specimen, quod retractans ac diu recusans ad Pontificatum a Cardinalibus petractus est, cum sese tanto muneri parem constanter negaret; Cardinalesq;, sedulo moneret, vt rebus Ecclesiae melius consulere. alterum quod anni curriculo ex priuata sorte ad Episcopatum Bononiensem, Cardinalatus honorem, & Pontificatum Maximum peruenit, benigni Numinis fauore virtutum & meritorum gratiam prosequente. Tantam clarissimis virtutibus excitatam expectationem Pontificatus egregie sustinuit. in quo quae plurima edidit documenta pietatis, religionis, continentiae, mansuetudinis, iustitiae, comitatis, in primis vero multiplicis liberalitatis in egentium inopia subleuanda, in magnificis sacrarum aedium & alijs substruccionibus, in amplissimis templorum donarijs, in litterarum studijs fouendis, in praestantium virorum ingenijs amplectendis, ac praemijs & honoribus extollendis; diligentiae vero, consilij, prudentiae in schismate extinguendo, intermissisq; pacis consilijs repetendis, & ad exitum perducendis, haec singula persequi infiniti & superuacanei operis fuerit, cum omnia ex historijs, eiusq; vita cognosci possint. obuisse vir pius constantem creditus est moerore ex Constantinopoli a Turcis capta confectus.

## X Y S T V S . Q V A R T V S

**A**dmirabiles multiplicisq; X Y S T I . Q V A R T I laudes esse fuerunt, vt in illo ornato cum Diuina voluntate Natura conspirasse videatur. adeo omnia bona in illi cumulate congesta sunt. Diuini enim Numinis benignitas hominem ad summum rerum fastigium extulit. neq; ea res fortuna est assignanda, quin potius ipse suo sibi ingenio et industria fortunam fecisse dicendus est. Quippe qui Cellis obscuro Ligusticae orae Vico Cae Saronesi in tenui & humili sorte ortus, quamuis gens Roboreia nobilis



ac peruetusta sit ex subalpinis Taurinis oriunda, unde maiores Xysti Saonam commigrarunt, in eaq; Urbe sedes ac domicilium sibi constituerunt. humili igitur loco ortus Xystus, atq; in Franciscanorum disciplinam pueritiae annos nondum egressus a parentibus traditus, ac cum in aetatem venit, Franciscana instituta ex voto professus, tantam animi contentionem in sapientiae & sacrae doctrinae studiis adhibuit, ut breui ad altissimum in illis fama & gloria locum perueniret; adolescentiamq; nondum egressus profitendi publice impostum munus in celeberrimis Italiae Gymnasijs ea cum ingenij & doctrinae laude exercuit, ut fama nominis sui omnem Christianum orbem implevit. quod non viui tantum enituit, sed eo quoque mortuo venit ac vigeat doctissimis scriptis aeternitati consecratum. Uniuersi deniq; Franciscani ordinis summus Minister creatus viuendi animi impetu ad maxima quaeq; illum ducente, ac viam expediente, breui temporis curriculo a primo hoc honoris initi gradu, Cardinalatus titulo medio, ad summum Pontificatum ascenderit. At Natura acerrimam ac prope Diuinam ingenij vim, eximia animi magnitudine Regiam Magnificentiam & liberalitatem, singularem religionem dedit. Quarum virtutum cum in omni uita, tum vero in Pontificatu innumerabilia edita sunt documenta. Atque ingenium quidem in doctrinae studiis, ut diximus, in primis apparuit. animi vero magnitudo, ac pietas cum in ipso statim initio, tum in toto Pontificatu conspecta est. Quam simulac Pontificatum inijt omnes curas & cogitationes in Turcarum impetus compefcendos contulit, Legatosq; ipsa senatus lumina in omnes Europae provincias circummisit ad dissidentes Regum Christianorum animos inter se conciliandos, atq; in Turcam incitandos, istoq; cum Venetis, & cum Neapolitano Rege foedere complures expeditiones in Turcas cum infinito sumptu fecit. Iam vero dignitatis iurisq; Pontificij constantissimus ac perpetuus assertor fuit, contemptusq; sui acerrimus vindex, grauissimis bellis ea de causa tam contra externos Principes quam contra contumaces ac parum imperijs obedientes susceptis. At vero Regia magnificentia cum summa religione coniuncta eluxit cum in pauperum inopia subleuanda, valetudinarijs resciscendis, & amplissimis vectigalibus donandis, litteratis hominibus amplectendis, ac fornicis honestandis, amicis ditandis, beneficijs etiam in humilioribus fortuna acceptis ac meritis vel tenuissimis large remunerandis illorum memoria grato animo longe repetita, tum vero in immanibus sacrarum adium, bibliothecarum, pontium alijsq; publicis constructionibus, quibus Ur-

bem

bem mire exornauit, ac veluti e caeno & sordibus extractam in angustam speciem ac nitorem redegit vijs etiam directis & stratis.

## I N N O C E N T I V S . O C T A V V S .

I N N O C E N T I V M octauum e nobili gente Cibo moderatioris, clementiae, animi ab omni contentione remoti, ac pacis & concordiae studiosi fama ad Pontificatus Maximi honorem omnium humano rum altissimum extulit. quem ille ipsidem artibus exercuit, quibus per oes honorum gradus conscendens adeptus est. Dux enim inter se contrariae insignesq; virtutes in eodem ornato conueniunt, summa scueritas, & ea quae diximus, eximia clementia. nam nemo acrius molesticia puniuit, subulloq; Pontifice Vrbs pacatior aut quietior fuit, minusq; furtis, cadibus, maleficijs infesta. ingenio vero ita miti ac elementi fuit, ut Ioannem Balsamum Cardinalem Andegauensem ab ipsomet in Senatum lectum, a quo per summam perfidiam oppugnatus est, quippe qui concilium contra ipsum constare studuerit, tantae iniuriae oblitus veniam petentem nihil retrahens in gratiam receperit. Ut merito nullius Pontificis mors ex multorum saeculorum memoria maiori luctu ac moerore toti Aulae, omnibusq; pijs fuerit; cum ob incredibilem humanitatem, morumq; suauitatem, ac singularem innocentiam omnibus summis, et infimis aequae carus ac venerabilis esset. Initia Pontificatus nonnihil inquieta & infesta habuit ad bellum Neapolitanum a Proceribus illius Regni attractus, inani spe offensa Ditionis & dignitatis Pontificiae amplificandae, qua spe elusum molestum negotium, ab ipsiusq; natura & professione alienum mox deposuit; posteaq; ab omni armorum tractatione perpetuo abhorruit; totaq; Pontificatus mens fuit, pacem & concordiam inter Christianos Principes conciliare. in quibus in Turcas Christiana Regna occupantes assidue incitandis, nullum unquam optimi parentis, ac seduli Pastoris officium praetermisit.

## I V L I V S . S E C U N D U S .

E Go vero te clarissimum Italiae lumen Iuli Maxime, quem eadem, quae Xystum patrum Roboreia gens tulit, quo nomine appellem, incertum habeo; tot illud meritorum ac multiplicis virtutis tituli insignis faciunt. An Italicae libertatis acerrimum vindicem vocem? an Pontificiae dignitatis constantissimum propugnatorem? an Sacerdotalis dignitatis

gnitatis perpetuum assertorem? an Ditionis Ro. Eccl. omnis fere amissa recuperatorem? an Pontificij imperij propagatorem duabus opulentissimis & nobilissimis Cispadanae Galliae urbibus Parma et Placentia illi adiectis? Quid vero magis miremur, rerum ne gestarum magnitudinem, an Diuinam & multiplicem in illis gerendis virtutem, tot cōsiliij, fortitudinis, audaciae, cōstantiae, animi nullis terroribus infracti, nullisq; periculis vnaquā deterriti editis exēplis? Nec minor cōtinētia animiq; ab omni sorde liberi laus, quam Heroica haec virtus, ac rerum gestarum gloria nomen tuum nobilitat, qui honorum publicorum tam diligens & religiosus custos & cōseruator fueris, nullis vnaquam largitionibus in tuos factis. Iam vero innumera cum omnis generis, tum in primis arcium substructiones Regio sumptu excitata, quibus Ditionē Pontificiam vbiq; firmasti & ornasti, quam tandem gloriam nomini tuo conciliantē in quibus Vaticanum templum a fundamentis excitatū, quod cōtemplantiū animos horrore perfruidit, declarat, te priscam Romanorum animi magnitudinem, qua duabus rebus, hoc est virtute bello inuicta, atque immanium substructionum portentosa specie in primis conspecta est, hac quoque parte tanto seculorum intervallo vnum nobis rettulisse. Beatam vero Italiam, ac beatū Pontificium solum, in quod augendum & ornandum omnes curas perpetuo intēdisti, nisi nos Diuina virtute tua humanae conditionis necessitas nimis cito orbasset. Profecto ad summum aliquod rerum fastigium illud extulisses. quam rem te moliri, incredibilis animi tui magnitudo, ardensq; Patriae caritas haud dubium faciebat. Uno igitur nomine laudes tuas complectar: teq; Italiae ac Romanae Ecclesiae parentem iure nominabo; omnisq; nobis ac posteris nostris tantis a te beneficijs acceptis. atas erit in meritis ac laudibus tuis predicandis, memoriaq; tua veluti Numinis cuiusdam colenda.

## A E L I V S . P E R T I N A X .

Sacrofanctos Christi Vicarios subsequuntur ij, qui ad summum rerū humanarum fastigium, atq; od orbis terrarum imperiū elati sunt. quod Aelio Pertinaci in Martis villa. haud procul a vadis Sabatis humili loco orto virtus per omnes publicorum numerū ac militiae gradus & dedit & ademit. Optimū enim Principē ac Priscā disciplinā severitate, parsimonia, cōtinētia, iustitia longo intervallo referentē cū corrupta secula non ferrent, Pratoriani conscelerata conspiratione

inter

interfecerunt, cum quinque & octoginta tantum dies in imperio fuisset. Ceterum clarissimarum virtutum memoria Diuinitate a Senatu decreta, quem execrabilem morem occaecatis animis praua quoque religio inuexerat. Flaminiq; & Aelianis sodalibus additis decorata est.

## C H R I S T O P H O R V S . C O L V M B V S

T E quoque Ligurum & Genuae patriae Sempiternam dicus CHRISTOPHORE. COLUMBE huic primae classis inserunt caeleste ingenium & Diuina virtus tua, ac neutiquam comparabile in Christianam Ecclesiam promeritum. quam tu in longe remotissimas regiones per immensa terrarum ac marium spatia protulisti, innumerabilibus populorum millibus ab immani ferarum vita execrandisq; Cacodemorum superstitionibus ad veri Numinis cognitionē, sacraeque ac celo demissae religionis cultum traductis. Tibiq; tanto celsior locus gloria debetur, quam Libero, Herculi, Aesculapio, & ceteris, quos antiquitas accepta beneficia grata recordatione remunerās in caelum extulit, quanto immensius ac Diuinius virtutis opus fuit, nouum atque alterum orbem inuenisse, quam diuinius institutis, varijsq; artibus excolluisse. Quinetiam si quis rem vere existimare velit, non vnus tantum orbis, sed duorum inuentor fuisse dicendus es. neque enim minus illi inuento a te orbi nostrum orbem, quam nostro illum adiecasti: nec minus illius incolis nostrum, quam nobis illorum orbem aperuisti, & in lucem protulisti. cum ijs quoque laudibus quibus veterum Heroum nomen ac fama caelum conscendit, tantum absit, vt careas, vt illos etiam longe superes; atq; vterque orbis summa tibi beneficia sigillatim debeat; ille, quod ad humanum cultum atque ad sacram, humanāq; salutis praesidē religionem aditum, vt diximus, ipse primus patefeceris, quo beneficio nullum excogitari potest maius. at noster, quod tantorum commerciorum, ac tantarum opum, quantas ne Romani quidem ipsi omnibus triumphis suis in Italiam congefferunt, nos compotes feceris; eo etiam maiore cum emolumento, quod opes a Romanis inuictae breui finem inuenērūt, cum orbe perdomito victoriam ac triumphorum materies defuit, atque te auctore continenter importatur auri & argenti immanis nis nullis seculis exhaurietur. Iam vero quantum Deus immortalis ingenium meritorum gratiam cumulant ea, quae in praclaro cōsilio exequendo pertulisti; ad quae vt mentem & cogitationem conuertamus, cuius

FF animus

animas non horreat imensos a te exhaustos labores? celi iniurias, atrocissimas repestates, quibus sepe pene es obrutus assiduas vigilias, quibus usum luminum sepe amisisti? Quis non admiretur incredibilem audaciam, constantem patientiam, nunquam infractum animi robur, secum ipse reputans praelia cum barbaris & ignotis gentibus commissa? amicorum & sociorum infidelitates, quibus perpetuo conflatus es? partim ab illis in medijs discriminibus scietate & tadio deficientibus desertus, partim insidijs & consceleratis conspirationibus appetitus? infidorum & obrectatorum perpetuas calumnias, quae te rerum gerendarum cursu interrupto ad causam dicendam tanto maris ac terrarum tractu in Hispaniam nonnumquam auocarunt? Adversus quae omnia inuicta stetit virtus tua, omnesq; hominum & celi iniurias uinida vi sua prostravit & perfregit. Quas res si quis animo circumspiciat, ac momentis suis ponderet, profecto statuatur, cum sollertis ac Diuini ingenij acie constantem virtutem in te certasse. Ac ne quid tibi de summis laudibus deesset, Patriae caritas, quam etiam extremo spiritu retinisti, Diuinarum virtutum gloriam comitatur, quippe qui amplissimarum opum tuis laboribus partarum decumam partem reipublicae Gemensi legaueris, id quod Antonius Gallus egregius historiarum scriptor, qui aequalis illorum temporum fuit, quique vitam tuam conscripsit, testatur. Peaeclaram vero gratiam tantis meritis Patria rettulit, quae quo statum honore complures ciues leuissimis sepe de causis decorandos duxit, eo te fraudare non sit verita. Vt nomen tuum, quo nihil est omnium nationum sermonibus, scriptis, laudibus magis usurpatum aut celebre, in vna patria tua turpis silentij oblivione comprimitur; memoriaq; tua, quae omnium mentibus insidens Numinis pene generationem apud externos obrinet, nullum in patria inueniat locum; a qua sit veluti perpetuo exilio ablegata. Qua in re non ego tuam, sed patriae ipsius vicem doleo. tua enim gloria ita alte ascendit, ut neq; illi honor decretus ullus addere, neq; negatus demere quidquam possit. Sed ciuium tuorum supina negligentia incredibili caecitate coniuncta lugenda est, qui tantum ipsi sibi & patriae honorem inuideant. cui quibus ego consilia consociare nefas duxissem. Quare sanctissima mens e caelestibus sedibus huius ciuis tui accipe studium, qui ceteris tanto officio indormientibus, quam vnam gratiam potest, tibi stilo atque hoc elogio persoluit. cuius ea erit clausula, Nullarum gentium, nullorumque temporum gloriam tuam aequatum iri, quae eo etiam est celebrior, quod ceterorum hominum nomen & merita angustis Herculei freti terminis includuntur,

cluduntur, tua fama tuaq; beneficia vtrumque orbem complexa, nullisq; coarctata finibus omnes maris ac terrarum tractus, omniaq; celi climata magnitudine sua compleverunt.

## A N T O N I I . H O R T E N S I I

Magnanimi Heroes Ligurum, quos incluta virtus,

Magnus & in patriam nobilitavit amor:

En vos Ubertus scriptis intexuit aureis,

Ut vis nulla queat, nulla abolere dies.

Ergo vos illi deberis, patria roboris,

Vel potius vobis patria eiq; simul.

Vos patriam auxistis meritis, Ubertus & illam

Et vos aeterno consecrat eloquio.

FF 2. DE.

DE VIRIS MILITARI  
VIRTUTE  
ILLVSTRIBVS

GVLIELMVS. EMBRIACVS



**N**OBILIS & peruetusta Embriacorum gens humanarum rerū conditione extincta quidem est, ceterū gloria viget, ac perpetuo vigeat clarorū virorū, quos permultos tulit, laboribus et rebus gestis immortalitati cōsecrata. quorum virtus cum multis locis enituit, tum vero in bello sacro maxime conspecta est, in quo GVLIELMI nomen in primis clarum fuit. qui p̄ualidā Genuensis classis Præfectus cum classe in terram subducta ipse cum omnibus tam militum, quam sociorum naualium copijs, omniq; bellico apparatu & machinarum genere, quibus rebus classis instructissima fuit, ad exercitum sacram urbem circumsidentem se contulisset, fortissimam operam Christianæ reipublicæ nauauit; magnāq; in illo & in adductis copijs toto oppugnationis tempore opportunitatis pars, plurimusq; vsus rebus gerendis fuit. Eius enim in primis consilio, Genuensiumq; opera & industria sacram urbem captam non Genuensium modo Annales, sed exteri quoq; illarum rerum, illorumq; temporum scriptores tradunt, turri ingentis magnitudinis miriq; artificij ipso auctore & Genuensium industria fabricata, cuius cacumem cum libuisset, flecteretur, ac stabilis pontis vsum pugnantibus præberet. ex qua moenibus admota in Urbem transcensum est; illaq; tandem Christiani potiti sunt. Ab eodem Gulielmo tertio post anno alterius præpotentis longarum & onerariarum nauium classis Præfecto, quæ octo bel-latorum millia vexit, in minore quidem re, ceterum in maiore discrimine vt non minus clarum, ita magis audax facinus editum est ad Casaream Urbem Palestine. quæ eius virtute, ac viuio & imperterritito animo expugnata est. Nam cum princeps moenia conscendisset; scaleq; muro admotæ scandentium onere prægraunte perfractæ ruina sua superstantes secum traxissent, Gulielmus, vt se solum & a suis desertum vidit, ab audacia, quod vnum reliquum erat presens mutatur consilium. proximam enim turrim conscendit, Saraceno quodam, quem descendente e turri obuium habuit, deturbato. cumq; ca-

cumen

cumen tenuisset, nudato gladio magna voce suos in clamans ad moenia mox scandenda hortatus est. qua viri audacia & hostes obstupefacti intra secunda moenia ( duplici enim muro ea urbs cinctā est) se receperunt; & Genuenses confirmati prima moenia trāscenderunt. indeq; in secunda moenia palma arbore subnixi transgressi acriter primo restitentes hostes tandem auerterunt, ingenti illorum edita eade, Ciuitatisq; compotes facti sunt. Opulenta fuit hominum & rerum præda. quam Præfectus inter milites large partitus triumphans Genuam reuersus est. Hunc Gulielmum pleriq; annales caput mali vocant, in dicitō videlicet a fortitudine cognomine.

ANSALDVS. ET. HUGO  
EMBRIACI

Gulielmi gloriam ANSALDVS. ET HUGO. EMBRIACI fratres gentilitia virtutis amuli rebus a se gestis subsecuti sunt. incredibiliq; huius gentis felicitate factum est, vt cum bellica virtute pietatis quoq; & religionis commendatio coniungeretur. Hi etenim viri classis septuaginta triremium Præfecti præter multa alia insignia edita facinora urbem Biblium in Phoenicia ad ditionis necessitatem adaptam Genuensi Ditioni adiecerunt. Quæ amborum & ceterorum Embriacorum merita amplissimis præmijs Patria remuneranda duxit, omnibus urbibus atq; oppidis, quæ in ora Syria possidebat, Embriacorum virtute in primis partis, nobilissima genti omniq; posteritati fiduciaris concessis.

ANSALDVS AVRIA. VBERTVS TVRRIVS  
PHILIPPVS LONGVS. ANSALDVS  
PIZO. BALDUINVS. INGO

VT res communiter gesta sunt, ita clarorum virorum laus vno communiq; Elogio nobis comprehendenda fuit. neq; multitudinis minuitur compotū gloria, sed Ciuitatis nostræ mirifice augetur dignitas, quæ egregiorum virorum copia tam diues semper fuisse appareat. nam quamquam splendor in vnum collectus fulgentior est, idem partitione subobscurari, & veluti hebestere videtur, tamen ingentis apparatus, rerumq; gestarum magnitudo tanta est, quæ vel in multos distributa singulos memorabiles atq; elogio dignos faciat. Hi fuerunt AN-

SAL-

**SALDUS AURIA. UBERTUS TURRIUS PHILIPPUS LONGUS.** Quae gens nunc **IUSTINIANA** est. **ANSALDUS PIZO. BALDUINUS. INGO.** qui duo postremi familiae nomine apud *Annales* carent, ingentis ac praepotentis classis Praefecti. tres enim & sexaginta triremes fuerunt, quibus addita sunt centum & sexaginta alia minora nauigia. Commaetuum vero ac nautici instrumenti, ad hoc machinarum & tormentorum ad expugnandas vrbes, omnisq; bellici apparatus tanta copia, quodq; caput est, tantus delectorum bellatorum numerus, vt nullam classem validiorē aut instructiorem ad eum diem a Genuensibus littoribus soluisse constet. Tantis conatibus digni exitus responderunt, Almeria maritima Regni Granatae, & Dertusia citerioris Hispaniae opulentijs vrbes, quae a Mauris tenebantur, post longos exhaustos labores expugnatis, cum expugnatione Dertusiae sex menses extracta sit, ac multo sanguine Genuensibus steterit, ingentiq; hostium multitudine caesa. quibus vrbes altera Castellae Regi, altera Comiti Barchinonensi ex pacto traditis, ipsi pleni gloriae, atq; ingenti onusti praeda Genuam reuersi sunt.

#### V B E R T V S. A V R I A

**N**emo omnino de Genuensibus bellica virtute & rerum gestarum magnitudine claris altiore gloriae locum tenet **VBERTO AVRIA**, qui idem imperium Genuae obtinuit nauali praelio ad portum Pisani cum Pisani commisso victor, in quo vtraque praepotens classis quae praeter cetera varij generis nauigia amplius octogena triremium fuit, quidquid floris, quidquid roboris, quidquid nobilitatis in vtraque natione fuit, in armis habuit, cum etiam aureis & purpureis vestibus, omniq; splendide fortunae opulentia rem nobilitassent. atque ingentes globorum cumuli purpurea fascia velatorum in classe Pisanae sint reperti, quos illi a superbia & contemptu sese in portum Genuensem iaculatos non minus ridiculo ac puerili consilio, quam vana ferocia iactauerant, quod praelium diu anceps ita atrox & cruentum fuit, vt mare ab immensa effusi cruoris vi late circa rubrum factum sit, tantumq; passim scutorum, galearum, telorum, cadaverum, confraetorum remorum, & omnis generis naualium armentorum fuerit conspersum. Septem hostium triremes suppressae sunt, octo & viginti captae; tantusq; captiuorum numerus Genuam adductus est, vt vna cum reliquis

reliquis, qui varijs casibus multisq; temporibus antea capti fuerant, & in custodia adseruabantur, ad nouem Pisani millia carcere inclusi sint. Ut non minus vere, quam contumeliosa in Pisanos dictum illud apud Hetruscos multis saeculis usurpatum sit, Genuam eundem, si quis Pisas cernere cupiat. In captiuis fuit **Ubertus Maurocenus Ucnetus**, quem Pisani ob virtutis rerumq; naualium famam Praetorē sibi, ac classis Praefectum vltimam spem tentaturi, omniaq; extrema conaturi, ascuerant. Sacro igitur sollemni amiuersario ad eadem Xysti, atq; aurei Aulae dono tantae victoriae memoriam perpetuo colendam esse decretum est.

#### I D E M . U B E R T U S . A U R I A

**C**um hominis, tum rei magnitudo fecit, vt vnus **UBERTVS AVRIA** inter ceteros Ligures duplici Elogio a nobis ornandus visus sit. vir re quidem gesta, clarissimaq; victoria de Pisani parte, quam modo suis laudibus prosecuti sumus, memorabilis, ceterū re non gesta (neq; id quisquam miretur, priusquam quale sit cognouerit) memorabilior. de quo viro Patria ita ampla iudicia fecerit, vt illum praeter ceteris elegerit, cuius spectatae virtuti, rei bellicae scientiae, consilio non modo quidquid virum, quidquid opum habuit, atq; adeo totam se ipsam omnemq; rempublicam, sed quod longe maius, & praestabilius est, famam et existimationem suam crediderit. Nam cum Veneti clade a Spinula accepta ira & indignatione ardentes sese omnia Liguria littora nouibus completuros, eaq; classe ostium ipsius Genuensis portus inessuros, cuius Genuenses non modo impetum, sed ne aspectum quidem possent ferre, contemptim superbeq; iactassent; Genuenses verborum ferociam rebus retundendam censes, extemplo certo hmine misso, Venetis nuntiarunt, latari se vehementer, illorum verbis sibi occasione dari, praelio experiendi, vtra natio bello sit melior; seq; laborem longioris itineris illis adempturos. Sicilia enim insulam vtriq; vrbi interiectam, pariq; fere ab vtraq; distantem intervallo campum delegisse, in quo praeclearam hanc amulae virtutis & potentiae contentionem communis Mars decerneret. Quare Nauibus ex omni Ligustica ora corrogatis classē centum & sexaginta triremium mensis curriculo compararunt, omniq; nautico instrumento, atq; omni bellico apparatu instruxerunt. in quam duo & quadraginta hominum millia conscenderunt. qui omnes Ligures fuerunt omnibus alienigenis, quos

quos generosa expeditionis celebris fama Genuensium, nominis amicitia, & cupido ostentanda virtutis Genuam attraxerat, in tam splendidum certamen nomina certatim dantibus, repudiatis. quam rem Iacobus Vraginens illorum temporum aequalis gravissimus & sanctissimus Aristes, idemque certissimus scriptor tradit, qui rei interfuit, & classem ipsam conspexit, numerumque navium sese recensuisse affirmat. Cum qua classe VERTVS cum insulam certamini destinatam tenuisset, ac circiter mensem in anchoris stetisset hostem expectans, suosque ad optatam pugnam omnibus incitamentis exacuens, Venetiisque nusquam apparent, Genuenses Diuos hominesque, ac caelum ipsum & maria contestati, certamen vltro a se oblatum, ab hostibus detrectatum, Genuam reversi sunt tanto pleniores gloriae ex hoste non conspecto, quam si idem praelio victus esset, quanto ingentius fortitudinis specimen fuit, ipsorum virtutem adeo hosti terribilem fuisse, ut is illam praelio attingere ausus non sit, quam si congressus fusus aut captus fuisset.

Alijs item compluribus haud contentendis expeditionibus praefuit summa semper cum laude, quas si suis singulas Elogijs persequi velimus, innumeris praefationibus vir clarissimus ornandus fuerit, duas ceteris multis omissis strictim attingemus. Prima fuit in ipso iuuentutis flore ante Principatum in patria adeptum decem octo annis ante Pisanam cladem adversus Venetos, qua in re operae pretium est Civitatis nostrae illorum temporum animum & potentiam considerare, quae finitimo bello Pisano maximo & internecino implicata, eoque, tum, ut cum maxime ardente, quod tanto sanguine, totaque cladibus utriusque Civitati stetit, Urbem Venetiarum veteris fortunae opulentia abundantem, & perpetua navali gloria ac rerum gestarum, imperijque late patentis viribus cunctis gentibus formidolosam hostem sibi adiungere, novaque sese bello onerare non expaverit: eodemque tempore cum duobus praepotentibus populis acerrima & continenti dimicatione parique, atque haud scio an dicere ausim superiore Marte, pluribus illatis, si annalibus credimus, quam acceptis cladibus contederit. Vbertus igitur quinque & triginta triremium Praefectus cum sinum Hadriaticum ingressus, cunctaque excursionibus & populationibus infesta faciendum Venetos ad certamen attrahere frustra esset conatus, in Cretam iter avertit; Ceteraque oppidum cepit et incedit: plenusque gloriae Genuam rediit. Altera expeditio fuit septuaginta triremium post nobilissimam Pisanam pugnam. Ut appareat, rem Genuensem illis temporibus eius virtute & consilio in primis stetisse.

L A M B A S

L A M B A S . A V R I A

Non minore, quam Vbertus victoria, atque haud scio an ideo maiore, quia de clariore hoste parata est, nomen suum illustravit, ac familiae decus cumulavit paucis post annis, ut eorundem temporum aequalis fuisse ambo dicendi sint L A M B A S . A V R I A in eodem, in quo Vbertus imperio, in eodemque titulo positus. Is igitur octo & octoginta triremium Praefectus Hadriaticum sinum ingressus ad urbem Cursulam cum Venetorum classe numero superiore (septem enim & nonaginta triremium fuit) congressus longo & cruero praelio illos tandem vicit; tota fere classe capta, cum duodecim tantum nautes fuga sese exitio subtraxissent, ex qua septem & sexaginta iussu Lambae combustae sunt; reliqua decem & octo Genuam cum captis in praelio adductae, fuerunt autem septem millia quadrigenti, in quibus fuit ipse classis Praefectus, quem Annales tradunt, a rabie capite ad asserem illiso ignominia dolorem morte finivisse. Anniversario igitur perpetuo sacro ad adde Matthaei, atque Aulae aurei dono tantae victoriae memoria decreto publico ipsa quoque decorata est.

P A G A N V S . A V R I A

Duos praestantes Duces cum iisdem ambos iustitia & continetia laudibus insignes, tum bellica gloria in primis claros eadem etas tulit P A G A N V M . A V R I A M & S I M O N E M . V I G N O S V M . quorum singulorum egregias virtutes, egregiasque res gestas singulis elogijs persequemur, initium facientes a P A G A N O Cuius nomen non minus clarum facit excelsus animus adversus assiduum & intestinum cupiditatum bellum perpetuo inuictus, diutiarumque adeo contemnens, ut mortuus de publico sit elatus, quam duabus clarissimis victorijs partibus triumphasse. Altera fuit in Helle-sponto prope urbem Constantinopolim classe Venetorum, Catalanorum, ac Graecorum foederatorum unius & octoginta triremium profugata & deleta, octo & quadraginta ex illis captis, reliquis partim suppressis, partim in fugam comectis; hostiumque plus quattuor millibus caesis, cum de Genuensibus non plus septingenti ceciderint, ac perpaucae nautes sint desideratae. Victorij gloriam auget, quod numero navium inferior (sexaginta enim tantummodo habuit) congressus est longo & atrocissimo praelio, quod ingentibus animis accensum, ipsoque certamine crescens, cum

GG veteris



veteris odij & perpetuę emulationis acres simuli vtriusq; partis animos incitarent, ne nox quidem interueniens diremit. Postmeridiano enim tempore commissum ad insequentem primam lucem varia fortuna extraxit, cum initia Foederatis secundiora fuissent. Altera fuit in Ionio ad Oenuses, quam insulam Sapientię posteriores appellauerunt, haud procul Messeniaco sinu de eisdem hostibus minore mole, minoreq; discrimine minusq; obstinato pœlio parta, cum pari vtrunque quinque & triginta triremium numero concursum sit, quamuis Foederati quinque onerarijs ingentis magnitudinis superiores essent: tota classe hostium capta, Nicolao Pisano Praefecto, ac quinque hostium millibus Genuam captiuus adductis. Quarum victoriarum memoriam sacro anniuersario sollempni in Aede Matthæi, aureiq; Aulæ dono a Magistratu publice deferendi quotannis recoli placuit.

## S I M O N . V I G N O S I U S

**P**Ar continentia & iustitię animiq; ab omni sordē integri specimen in omni vita præbuit SIMON. VIGNOSIUS (ea fuit postea gens FRANCA) cuius duo illa in primis memorabilia prætereunda non sunt. alterum, quod cum Genuensis classis nouem & triginta triremium Praefectus ad Euboicam insulam in classem sex & viginti nauis, quarum maxima pars Venetæ erant, incidisset, quam Ingibertus Delfinus Viennæ ducebat: Delfinusq; oratione primo & precibus, deinde magnifico promisso anniuersarij vectigalis decemmillium aureorum nummum reuocare Simonem cõtendissent ab incepto celebris nominis insula Chij, quam vna cum Smyrna Asia vrbe Michael Palæologus Genuensi populo donarat, armis repetenda, cuius insulae commercijs tam opportunę imperio ipse quamquam alia in speciem præferens hianti cupiditate imminebat, Simon foedæ rei mentionem auribus aspernatus in incepto perstitit, institutumq; iter prosecutus est. alterum, quod cum vrbe Chio potitus ingressum in Ciuium prædia militibus edicto interdixisset, vnicus filius paterna indulgentia sese aduersus edicti seueritatem satis munitum ratus; cuiusdamq; Ciuis fundum temere ac per lasciuiam ingressus nonnullis vix racemis asportatis, comprehensus, racemisq; collo ad maiorem ignominia notam suspensus, palam virgis cæsus tota vrbe iussu parentis circumductus est, memorabili rigidi atque inuicti animi exemplo, omnemq; paterni amoris sensum in Ducū imperijs, militariq; disciplina & obedientia sancienda superantis. Bellicæ  
vero

vero laudes Simonis ea fuerunt, vt si rerum gestarum magnitudo publicæ utilitatis momentis est ponderanda, per pauci illius glorię possint æquari. quippe qui vrberem Chium post longā & difficilem oppugnationem captam, nobilissimamq; insulam; ad hoc vtrunque Phocæam, quæ Ionix vrbes Foliæ nouę & veteres vulgo appellantur, Genuensium imperio adiunxerit.

## P E T R U S . F V L G O S I U S

**N**ON decori modo & ornamento genti suæ & Genuę Patriæ, sed magno quoque fructui & emolumento PETRI. FVLGOSII dupliciter virtus fuit. quippe qui grauissimas Ciuium suorum iniurias vltus nationis Genuensis incolumitatem memorabili documento sanxerit, & opulentię vrbis dititione adiecta imperium populi Genuensis propagarit. Contentione enim in Insula Cypro in sollempni Regij diadematis accipiendi de superiori honore loco inter Venetos & Genuenses orta cum instinctu fauentium rebus Venetis Rex Petrus secundū Venetos decreuisset, Genuenses acceptæ contumeliæ intolerantes cum dignitatem suam armis, quando in iudicij æquitate parum præsidij experti essent, vindicare decreuissent, occultis gladijs se præcingunt, vt Venetos se preferentes interficiant. quam rem rescientes Veneti factum Regi aperiuunt, Genuensesq; in ipsius Regis caput & vitam arma sumpsisse criminantur. Facile fuit puerilem ætatem cum sua sponte infrumam, & credulam, tum ab obrectatoribus Genuensium obsessam circumuenire. Quare ingenti ira commotus Rex Genuenses Regiam ingressos cum armis teētis comprehensos non quæsitos, qua de causa sese gladijs cinxissent, sed tamquam manifesti parricidij ac maiestatis comperitos crudelissimo mortis genere affecit e summa turri precipitatos, suppositarumq; bastarum erectis cuspidibus indutos. omnes quoque Genuenses tota insula conquistos necari iussit. Qua re cognita Genuenses dolore Ciuium suorum necatorum ardentes, tantq; atrocitatis iniuriam haudquaquam inultam sinendam statuentes, præpotentem classem trium, & quadraginta triremium ac magni nauium corbitarum numeri breui compararunt. in quam quattuordecim bellatorum millia conscenderunt. Cui omnibus rebus instructę, omniq; machinarum, & bellicorum apparatus copia refertę præfectus est PETRUS. FVLGOSIUS Dominici Ducis  
GG 2. frat er

frater. Is igitur magna celeritate tantum maris spatium emensus cum insulam tenuisset, copijs expositis Famagustam urbem Regni emporium circumfessam primo aduentu ad deditiois necessitatē adiegit, Regina Regis pueri matre urbem tradente, cum non suarum virium eam dimicationem cerneret. Qua urbe potius P E T R U S morte trium ex primoribus Proceribus, quibus insigantibus Rex in Genuenses seuerat, necatorum Civium iniuriam ultus est. Totamq; insulam cum victore exercitu peruagatus cum omnia loca, quaecumq; adiret, Genuensium Ditionis faceret, Regem in angulum Regni compulsam, & in summas angustias adductum, intelligentemq; non sibi esse cum Genuensi præpotente populo par certamen, ad suas conditiones adduxit. Famagusta enim urbe Genuensibus cessit; Uetigalq; insuper in multos annos Regno impositum gemens, & moerens accepit.

P E T R U S tanta victoria parta plenus gloriæ cum Iacobo Lusitania no vno ex Regis patris, duobusq; paruulis filijs Principis Antiocheni, qui alter erat Regis patruus, captis & obsidibus Genuam reuertitur. At Genuenses clarissimæ victoriae memoriam anniuersario sacro sollempni ad adem Diui Francisci decreto cum dono aurei Aulei consecrarunt. Iacobus tam diu Genuæ in custodia est adseruatus, donec Petro mortuo ipse in Regnum successit. tum a Genuensibus dimissus pacta & foedera cum illis renouauit, filiumq; Genuæ natum, vt amicitia & animorum coniunctionem nomine ipso præferret, Ianum appellauit. Corruptus enim Genuensis populi multorum seculorum vsus Genuam urbem veluti a Iano conditam Ianuam appellauit. Genuensium Annalium fidem secutus a Genuensibus Civibus munere publico mundato conscriptorum, qui æquales illorum temporum Iacobum ipsum Genuæ viderunt, sepeq; cum illo collocuti sunt, Iacobum Genuam adductum scripsi, non autem Regem ipsum, vt Pius secundus tradit. Cum etiam pacis & amicitia foedere cum Rege sancito nulla caussa reliqua esset, cur Regem captiuum tenerent, veroq; propius sit, propinquos Regis obseruandæ pacis obsides retentos, nam quæ tandem pax & amicitia cum Rege conuenire potuisset ipso non liberato ac dimisso?

#### B L A S I U S . A X E R E T U S

**S**ive hostis, cum quo dimicatum est, nobilitatē spectes, siue virtutem & fortitudinem in memorabili re gerenda tecum reputes, siue rei gestæ & victoriae splendorem intucare, quem tandem Ducem ex multo-  
rum

rum seculorum memoria cum B L A S I O . A X E R E T O conferre ausus fueris? Hostis enim inclytus ALPHONSUS Aragonius fuit, tot Regnorum, quibus imperabat, opibus conspectus, ceterum rerum gestarum & clarissimarum virtutum gloria longe conspectior. Neq; in re gerenda maius virtutis documentum edi potuit, quam præpotentem classem numero nauium superiorem, ad hoc omni bellico apparatu instructissimam (quodq; caput est) tanta clarorū Ducum summorumq; Procerum, ac primæ nobilitatis virorum copia, tantaq; acerrimorum bellatorum multitudine refertam a priuata ac tenuis fortis Civibus pauperibusq; nautis ad insulam Pontiam longo atrocissimoq; prælio videram. Iam vero clarissimæ victoriae fulgor an non lumine suo multarū splendorem præstringere censendus sit, si quis animo & cogitationi pulcherrimam speciem subijciat Alphonsi ipsius, ac duorum Regis fratrum, quorum alter Ioannes fuit ipse quoq; Rex Nauarræ, alter Henricus magnus Magister sancti Iacobi Regibus ipsis maiestate æquandus; simulq; tantæ illustrium Heroum multitudinis captæ, in quibus fuerunt Ioannes Antonius Princeps Tarentinus, Ioannes Antonius Dux Sueffanus, ac centum amplius Proceres dominatu populorum insignes. Quo loco illud genti Iustinianæ ad posteritatis memoriam perhonorificū modo prætereundum fuit, quod Rex Nauarchorum conditione, qui ex omnibus ordinibus fuerunt, diligenter cognita I A C O B U M . I U S T I N I A N U M delegit, cui deditioe faceret. Ceterum B L A S I U S naualem triumphum omnium, qui vquam acti sint, speciosissimum acturus fuit, si aut is mos ea ætate fuisset, aut Patriæ afflictæ fortuna omnem vitam fuit egregia ac forti opera Philippo Mediolanensium Duci aduersus Venetos in navalibus pugnis perpetuo nauata. Quæ merita Philippus amplissimis remunerans præmijs, in quibus fuit Ditione & celebris nominis arx Serrauallensis, nomen gentis insigni titulo nobilitauit. Omnibus igitur summis studijs, ac sempiterna reueratione B L A S I I . A X E R E T I memoriam Genua Patria colere debet, qui Genuensium gloriæ tot victorijs diu paulatimq; collectæ clarissimum celsissimorum Regum captorum fastigium imposuerit.

#### L A M B E R T U S . C I B O

**Q**uis Civitatis nostræ priscorum temporum potentiam miretur, cum ipsorum priuatorum Civium tantæ essent opes, quæ ad instas classes

classes comparandas & instruendas sufficeret? Id quod L A M B E R T U S C I B O docuit (eam gentem nobili Græcia oriundam, ac Cu-beam olim vocatam Genuam commigrasse ferunt.) Qui Mauris piratis mare circum excursionibus et latrocinij infestum facientibus, classe valida armata Mauros profligatos & fusos, atq; in insulam Caprariâ, quam sibi arcè delegerant, cõpulsos expugnauit ac deleuit; eâq; ac circumiectas insulas sibi imperio subegit. Quâ rem ab Annalibus nostris, vt multa alia, silentio præteritã Eleutherius Mirabellus illorum temporum æqualis & scriptor, atque Annales Pisani tradunt.

C A F F A R V S . U B E R T U S  
T U R R I U S

Miretur quisquam illorum temporum scriptores tam supine negli-gentes fuisse, vt nomina familiarum in claris viris commemo-randis omittent. cum in maximis victorijs nulla omnino Ducum ipso-rum mentio interdum fiat. Hoc igitur stemmate carebit, quæcumque il-la est familia, quæ Cassarum vnum ex consulibus habuit (is tum erat summus Ciuitatis Magistratus,) qui vnaq; illi adiunctus socius V B E R T U S . T U R R I U S viginti duarum trirerum & sex Golabiorũ, (id tum erat nauigij genus,) Træfecti detrimenta accepta a Mauris Balearicis & Almeriensibus, qui eo tempore Piraticam facientes mare excursionibus & prædationibus late infestum faciebant, illis reddide-runt, minore Balearica ferro & igni late vastata, vrbeq; ipsa capta & direpta; excensioeq; in continentem facta cum egregiam equitum alã secum haberent, Almeriaq; circumfessa Regem ad necessitatem sese pe-cunia redimendi obsidibus acceptis adegerunt; nec minus gloria conspe-cti, quàm præda onusti Genuam redierunt.

A M I C U S . G R I L L U S

Egregios AMICI GRILLI conatus quamvis effectũ caruerint, E-meriti tamen Elogij testimonio carere haud æquum est. Neq; enim clari viri fortunam, quæ in manu nostra non est, sed fidem, diligentiam vigilantiam, audaciam, consiliũ, virtutem prestare debent. Quarum omnium rerum egregia documenta in AMICO GRILLO conspecta sunt. Bello enim Pisano tum, vt cum maxime, ardente, quod Sardinie & Corsicæ ante oculos positarum insularum cupiditas per varias in speciem

speciem confectas caussis excitabat. quodq; saepe pace nunquam tamẽ fida intermissum per leuissimas occasiones renouabatur, vtroque præ-potente populo insularum imperio imminente, AMICUS GRILLUS ob spectatam virtutem in altera eiusdem anni expeditione quinque & triginta trirerum Præfectus aduersus eosdem Pisanos missus, qui vr-bem Ingaunorum improviso adorti diripuerant & incendunt, indeq; sese in provinciam contulerant, & classem in fluum Rhoanum sub-duxerant, eundem annem ingressus ad oppidum sancti Egidij penetra-uit omnibus discriminibus sese obijciens. Cumq; omnia summa fecisset, vt hostem ad pugnam eliceret; ad extremumq; pro comperito cognouisset, oppidanos Commitemq; ipsum, atq; eos, qui ad mercatum conuene-rant, occulta consilia cum Pisanis coniunxisse, insidias, ac ne circumue-niretur veritus ignauia hosti exprobrata, qui sese in apertum commit-tere, fortunaq; pugne experiri ausus nõ esset, egregia audacis et ex-perientis Ducis parta laude in Patriam reuersus est.

N I C O L A U S . S P I N U L A

Haud obscuras aut contemnendas res gessisse existimandus est NICOLAUS SPINULA vnus ex septem clarissimi Uberti filijs, quem Ubertum in classe Togatorum suo Elogio ornandum nobis referuamus, Setta Vrbe Mauritanie Tingitanæ ad fretum Herculeum posita Ditionis Regis Marochi ab impetu Helimelmis Muleasis Mur-cie ac Carthagenie Regis defensa, obsidioneq; tandem soluta, cui Vrbi presidio a Ciuitate nostra vna cum Carbone Marocello missus est, cum quindecim nauibus, quarum decem longe triremes fuerunt. Quod egre-gium facinus alio neutiquam vulgato in patriam merito cumulauit, cum præpotenti Hispalis Rege Mauro amicitie foedere isto cõmercijs Genuensibus in primis vtili. quod quã auide a se expetitũ sit declarauit Maurus amplissimo dono octo Bizantiorũ millium, quæ summa, vt illis tẽporibus immanis fuit, atq; eximij equi textili aureo instrati cum ar-genteis ephippijs ac soleis. qui plausibus & letis acclamationibus Ge-nue exceptus veluti fastum signũ amicitie Genuensium a magnis Regi-bus impenso pretio expetitũ tota vrbe triumphantium more circumdu-ctus est. Multa & præclara alia a Nicolao gesta fuisse verisimile est. quæ vitio scriptorũ illius etatis ignota sunt. quibus inductus Fredericus Caesar tãtis opibus, tanta potentia Imperator, idemq; rerũ gestarũ magnitudine, ac clarissimarũ virtutũ gloria præfulgēs Nicolao alieni-gena

genæ homini vltro euocato summam naualium rerum cum Halmirotis titulo commiserit. Eandem Urbem Scytham quarto post anno, quam superiora gesta sunt, Lanfrancus Spinula Præfectus Genuensis classis, quæ pluribus comitatibus præsidio submissa est, a Calcurinis inuadentibus defendit, ac Regi conseruauit.

N I C O L A V S . S P I N V L A  
S E C V N D V S

**N**obile fratrum par NICOLAVS et THOMAS Spinula Gulielmi filij vt coniuncti sanguine furunt, ita vno eodemq; Elogio cõpletèdi videbatur. ceteriũ egregia & memorabilia vtriusque facinora ea fuerunt, quæ suis singulis præconijs fuerint decoranda. Victoria igitur de Venetis a Nicolao parta non tam numero nauium et copiarum multitudine; quam rei gesta magnitudine admirabilisq; virtutis edito facinore clara in primis et memorabilis est. Is enim cum legationis munere apud Græcum Cæsarem fungeretur, auditumq; esset, tres onerarias Genuenses a classe Venetorum octo et viginti triremium quattuorq; præterea minoris formæ nauium, quæ octogenis remis agebantur. per induciarum tempus captas, decem et octo triremium & duarum nauium, quæ octogenis remis agebantur, quæ Genua negotiationis et mercatorij quæstus gratia profectæ Duce belli carebant, in Urbe Pera a classiarijs ipsis & tota Genuësi colonia ob spectatam virtutem Præfectus creatus, classe cõscens, mercibusq; exoneratis iniuste raptas res a Venetis per nuntios petijt. qui hominem vltro irridētis sese ad ipsum quoq; Ducem & classem Genuensem numero lōge inferiore capendam compararunt. quam adepti magno impetu in illā feruntur. At Præfectus detrectans & cedens, ne tanto viribus inferior tot ciuium suorum salutem in præcipitem casum daret, tandē Venetis nullum vrgendi finem facientibus, ad necessariam pugnam attractus virium defectum consilio supplendum intelligens, in altum euectus, classēq; ad pugnam omni bellica ratione firmata congressus est. In quo prælio acerrimo & atroci ita Nicolai enituit virtus, illudq; Genuenses baudquaquam comparabilis fortitudinis specimen præbuerunt, vt cum Venetis superioribus viribus freti non tamquam ad dubiam pugnam, sed tamquam ad certam prædam properantēs incompõsiti & inordinati in prælium ruerent, contra Genuenses ordines seruantes iraq; & indignatione violatarum induciarum ardētēs, vltimaq; necessitate animos

animos aciente pugnarent, hostilis classis fusa sit; quinque & viginti triremibus ingentiq; hominum numero capto, cum septem tantummodo naues euassent. Quam victoriam quanti vterque populus fecerit declararunt. Nam Veneti tantæ cladis ac tanti accepti dedecoris dolore incensi, simul cupiditate delendę ignominia damniq; resarciendę inflammati edixerunt, ne quis vir, ne ve qua nauis Venetijs exiret sed ad Genuenses vlciscendos se quisque compararet. At Genuenses sacro & anniuersario aurei aulei dono decreto publico victoriam hanc maximis illis æquarunt.

T H O M A S . S P I N V L A

**A**T THOMAS memorabilis vir in primis fuit perāplisq; honoribus non a Patria modo, sed ab externis quoq; maximis Principibus illi delatis clarus. incidit enim eius virius in eum annum, qui maxime insignis & bellicosus fuit tribus expeditionibus factis. Prima Præfectum Conradum Auriam habuit, quem paullo post suo ornabimus elogio; postremæ, quæ maxima fuit septuaginta triremium, Ubertus Auria præfuit eius ipsius Conradi pater summus illorum tēporum Dux Pisano illo prælio omnium maxime memorabili victor. quam in eius elogyis complexi summus, Media quinque & triginta triremium huic Thomæ ducenda data est. in qua primum hominis consilium in prælio, cui sese imparē sentiebat, declinando, tum virtus & fortitudo enituit, oppido Planasia insulæ occupato, turribusq; deiectis, vnde profectus Thomas Corsicam petens cum præpotenti Pisanorum classe omnibus rebus instructissima, in qua fuerunt quinque onerariæ magni pretij mercibus atque ingenti argenti pondere refertæ acerrimo, & atroci prælio commisso victor tandem euasit, hostium classe partim depressa, partim capta defensoribus maxima ex parte caesis, ac mille quingētis captis simulq; ingenti parta præda, cuius estimationem Ioannes Villanus centū viginti florenum aureum millia excessisse scribit. ex qua noningenti captiui Reipublicæ obuenerunt, ac viginti octo marcarum argentearum millia in ærarium relata sunt. Tam clarè igitur documento Thomæ virtutem contestatam Conradinus Cæsar complexus insignem virum accersitum rebus naualibus cum honorificentissimo Halmirotis titulo aduersus Carolum Neapolitanum Regem præfecit.

## ANSALDVS. MARIVS.

**C**Lari quidem nominis, magnaq; fortuna vir, neque ambigua fama esse debet ANSALDVS. MARIVS. Nam ab Imperatore Cesare FRIDERICO secundo potentissimo Principe summam maritimarum rerum obtinuisse cū eodem quo Spinula Halmirotis titulo; eundemq; ingentium Casarianarum classium Praefectum multa consilij, audacia, fortitudinis edidisse documenta cum hostilibus classibus vario euentu saepe congressum, haec omnia haudquaquam vulgatam laudem memorabilis viri fama conciliant. Neque ut rerum imperiti putant, Saona belli sede delecta, ex ea Genuam Patriam arcta obsidione diu pressisse, totamq; Liguriam oram assiduis incursionibus infestam fecisse, ullam labem rerum gestarum gloriae aspergit, non enim contra Patriam venisse merito est dicendus, sed Guelfos Caesaris hostes tum Genuae rerum potentes dimidia Ciuitatis parte expulsa, hoc est Gibellinis suis oppugnasse Gibellinarum partium acerrimus vindex & assertor. quā sententiā nos quoque amplectētes clarū in primis Ligurū ac memorabile virū suo praecomio fraudasse, liuidi, ac maleuoli animi duxissemus.

## ANDREOLVS. MARIVS

**P**atri ANDREOLVS filius suggeritur sine vilo verborum apparatu. quaecumque enim de parente dicta sunt, ea omnia in filium conueniunt. nam eodem honoris & imperij titulo vsus est. quod eadem ratione, consilio, virtute gessit. Ut hi viri non magis natura, quā vita, ingenij, fortunae similitudine coniuncti vidcatur. Illud vni est in ANDREOLO ad memoriam insigne, quod Guelforum ingentem classem memorabili multorumq; scriptis celebri praelio fudit duabus et viginti triremibus cum Pontificijs Legatis, sacrisq; Antistibus, qui Pontificis iussu ad concilium euocati erant, captis.

## IACOBVS. MAROCELLVS

**H**ic annus humanae salutis millesimus ducentissimus quadragesimus vnus secundis & aduersis rebus luctum & gaudium Genuae miscentibus insignis in primis fuit: tribusq; expeditionibus tria egregia edidit documenta, quanta fuerit maiorum nostrorum religio, quanta animi magnitudo, quanta Ciuitatis nostrae facultates. Ac praeter religionis

gionis quidem studio Genuensem populum omnem terrorem atq; omnia discrimina leuia ducere, prima infelix expeditio docuit. nam cum nullis minis FRIDERICI secundi, cuius opes ac potentia cunctae Italiae terribilis erat, deterreri potuissent Genuenses, quo minus Pontificis Romani monitis atque adhortationibus parerent, classem septem & viginti triremium armarunt, Octo postea ad famam ingentis numeri hostilium in supplementum decretis, qua Legatos Pontificios, ac sacros Antistites ad Conciliū euocatos traiceret. Cuius Praefectus fuit IACOBVS. MAROCELLVS qui quamquam supplemento non expectato infeliciter re gessit duabus et viginti triremibus amissis, Legatisq; cum maiore parte Antistitum captis, tamen clades haec a nobis nullo modo omittenda fuit, quae et si parte victoriae decus hosti dedit; magnam tamen religionis & pietatis gloriam nomini Genuensi conciliauit; nosq; in elogijs scribendis non tam virorum, quos laudibus nostris prosequendos ducimus, quam Patriae ipsius gloriam spectamus. Quāquam victoriae quoque laus Genuensis hominis est. Casarianae enim classis Praefectus Andreolus Marius fuit, is, quem proximo elogio ornauimus.

ANSALDVS. SOLDANVS.  
IACOBVS. LEVANTVS

**A**T altera expeditio, quaeq; illam consequitur proximo elogio mox explicanda docuerunt, quanta fuerit maiorum nostrorum animi magnitudo, quantaq; illorum temporū Ciuitatis nostrae facultates; quae duae reliquae sunt res ex tribus ijs, quas ad admirationem modo proposuimus, ad hoc quam solers industria, quam formidolosa virtus. quae nihil clade accepta animis infractis vnus diei ac noctis spatio praelucentibus tedis classem duarū & quinquaginta triremium deduxerit, bellatoribusq; referta, & omni nautico instrumēto; omniq; bellico apparatu instructa e portu emisserit ANSALDO. SOLDANO & IACOBO. LEVANTO Praefectis. Ad cuius primū cōspectū FRIDERICI classis repētino ac veluti Panico terrore percussa extemplo omnibus, quae tardare cursum poterant, in mare proiectis, turpi fuga certamini se subtraxit.

## GULIELMVS. GABERNIA

**I**dem decus fugata atque in portum Saonensem compulsa classis GULIELMVS. GABERNIA tertiae expeditionis, quae vni nauium HH 2 numerum

numerum habuit, *Præfectus*, rettulit. Ut si quis rem suis momentis ponderet, maiorem eo anno victoriæ gloriam penes *Genueses*, quam penes hostem fuisse statuat. qui cum semel vicerit, bis victus dicendus sit, cum bis de virtute *Genuesibus* concesserit.

## G U I D O . S P I N U L A

**I**Nter tot *Ciuum* meorum *Encomia*, totq; illorum præclara facinora **G**UIDONIS. SPINULAE nomen eo mihi gratiore recordatione recolendum fuit, quod res ab eo gesta memoriam pietatis maiorum nostrorum cum omnibus locis, tum bello sacro in primis cõtestata centesimo demum circiter post primas illas anno renouauit. *Genueses* igitur in ea expeditione, qua sacrum bellum a clarissimis Principibus *Friderico* *Cæsare*, *Philippo* *Gallorum*, & *Ricardo* *Anglorum* Regibus cum ingenti totius *Europæ* motu repetitum est, præualidam classẽ armarunt *florenti* bellatorum ac *naualium* sociorum copia affatim instruetam; ad hoc omni bellico apparatu, & instrumento nautico refertam: magnam præterea vim muralium omnis generis machinarum vehementem. quam etiam delecta *Procerũ* & prima nobilitatis virorũ cohors pietatis stimulis impulsorum conscendit. Huius classis *Guido* vnus ex consulibus *Præfectus* opportune eo tempore *Palestina* oram tenuit, cum *Christianus* exercitus lenta obsidione *Ptolemaidis* moenibus assideret. cuius aduentu segnis ad eum diem oppugnatio ita excitata est, vt illud constet, *Genuesium* operam, virtutem, industriam, ad hoc ab illis adductas machinas *Guidone* *Præfecto* omnia, quæ essent impigri *Ducis*, cumulate exequente, aut primas, aut nemini secundas partes in expugnatione eius vrbis obtinuisse.

## H E N R I C V S . M A R I V S

**E**gregio stemmate gentem suam *Mariam* perpetua nauali gloria nobilem auxisse existimandus est **HENRICVS**, qui duarum & viginti *triremium* *Præfectus* cum *Pisanorũ* classe numero superiore congressus longo & cruento prælio egregiam victoriam rettulit, tredecim *triremibus* captis, reliquisq; partim suppressis, partim in fugam coniectis; multisq; nobilibus *Pisanis* captiuis *Genuam* adductis.

CON-

## C O N R A D U S . A V R I A

**V**Berto tanto parente, quo nullus omnino *Genuesium* bellica virtute, magnitudineq; rerum gestarũ clarior fuit, **CONRADVS**, qui ei quoq; in summo imperio *Genuæ* successit, duabus insignibus expeditionibus sese dignum filium ostendit. quibus memorabilis clades superius cõmemorata interiecta est prior quæ anno cladẽ præcessit, vnus & quinquaginta *triremium* fuit, in qua *Pisanos* ad *Populoniã* diu obsessos classe in pugnam directã ad manum conferendam elicere non potuit. Quorum aliquot *triremibus* per varias occasiones captis, *turrim*, quam *Veronica* vocant, demolitus *Genuam* reuersus est. Posterior sexto post cladẽ anno cum *Henricus* *Marius*, & *Nicolaus* *Bucanigra* classibus coniunctis *Iluam* insulam cepissent, quadraginta *triremium* fuit. in qua **CONRADVS** *ferrea* catena, qua *Portus* *Pisanus* muniebatur, perfracta, quæ ad hæc vsque tempora in compluribus vrbis nostræ locis ad decoris memoriam suspensa conspicitur. portumq; ingressus *turres* omnes deiecit; *Liburnum*q; captum euertit, cum *sacræ* *Aedi* tantummodo pepercisset. Hunc *Conradum* *Friderici* secundi *Siciliæ* Regis inuicti *Halmirot* em fuisse, magnasq; res gessisse, ac fortem & fidelem operam Regi suo multis locis nauasse, apud *Annales* *Siculus* reperio.

## G E R A R D V S . S P I N U L A

**Q**Uæ duæ res perpetuum inter se habent susceptum bellum opum amplitudo, & animi moderatio, eæ in **GERARDO**. SPINULA ornando raro omnibus ætatibus exemplo se consociarunt. quippe cum cuius opibus & potentia perpauci Itali suæ ætatis conferendi fuerint. ad per amplum enim hereditariorum oppidorum dominatũ duarum celeberrimũ Italia vrbiũ *Terdonæ* & *Luçæ* imperium adiunxit. quarum illa meritorum & laborum pro partibus *Gibellinis* susceptorum præmium fuit, hæc à *Germanis* militibus in præsidium à *Ludouico* *Bauaro* relictis illi tradita est, stipendijs debitis à *Spinula* persolutis, quæ diu frustra à *Bauaro* expectarant. Et moderatio tanta fuit, vt in tanto opum splendore cum esset *Genuæ*, priuati ciuis modum aut cultũ numquam aut ipse excesserit, aut suos excedere passus sit. *Bellici* labores ac res gestæ *fortunas* aquarunt. Nam & *Gibellinorum* exulum, qui *Saona* belli sede delecta *Guelfos* *Genua* potientes acri bello premebat, *Præfectus*



Præfectus Classis fuit, quod inuisum negotium vir a ciuilibus contentio-  
nibus natura & consilio perpetuo abhorrens suscepit tamē, ne idem  
imperium ad fratres Opicium & Galeottum deferretur preferuidi &  
vehementis ingenij homines. In Longobardia quoque bellum aduersus  
Raimundum Cardonium Guelfarum & Pontificiarum partium cele-  
bris nominis Imperatorem a Gibellinis suis summus Dux creatus ges-  
sit. primusq; Genucium fuisse dicitur, qui cum exteris Principi-  
bus terrestria stipendia fecerit, qui arcem oppidi Basignanę a Cardo-  
nio occupati ab eodem circumsessam obsidione eximere cupiens, classe  
in Pado flumio comparata & instructa, eo se contulit; cumq; omnibus  
rebus tentatis conatū non successisset, ex cessione iterum in terram fra-  
tra Marco Vicecomite socio, qui & ipse ad exercitum venerat, signa  
cum hoste contulit. quem longo, & cruento prælio tandem auertit ac  
fudit. At in bello Hetrusco quod plus annū fuit, varia fortuna vsus  
est, cum læta initia fuissent. Nam Florentini egredientes urbem Lu-  
cam, cuius imperio ipsi haud obscura cupiditate imminabant, sibi a Ge-  
rardo interceptam; simul tam opulentum virum atque aduersæ factio-  
nis Principem nimis prope se conualescere haud tutum rati, arma illi  
intulerunt. quos Gerardus non modo sustinuit, sed præualidis pedestri-  
bus & equestribus copijs ex Lunensibus finibus & ex circumiectis re-  
giombus coactis auertit quoq; & in sua se recipere coegit. Tandē cum  
incipiti discrimine premeretur illinc ab externo hoste, hinc a domesti-  
cis Castruccianorū insidijs occultisq; consilijs, in opē Ioānis Boemię Re-  
gis, qui per ea tempora Gibellinorū vocatu in Italiā venerat, cōfugere  
coactus, ab eodē per dolos & calumnias urbis possessione exutus est.

## B R A N C A S . A V R I A

Nemo puto indignabitur, nos BRANCAM. AVRIAM  
quamuis nullis rebus gestis, quæ quidem in notitiam nostram ve-  
nerint, clarum, altissima tamen fortuna splendore conspectum silentio  
non præterijisse, ac Gerardo spinulæ continuasse, si secum consilium no-  
strū reputauerit, qui illud in primis in hoc suscepto labore spectauimus,  
vt Patriæ nostræ magnitudinē scriptis nostris illustrarem, quā haud  
dubie nō parū auget tanta priuatorū ciuū suorū amplitudo. Bracæ igitur  
Auricæ immēsa opes ac summa dignitas fuit, qui maximā Sardinie  
partē vrbū, Castellorū, vicorū, late patentū regionum dominatu occu-  
parit, ad tantamq; potentiam ea in Insula peruenit, vt omnium rerū  
arbitr

arbitr & moderator Sardis ipsis studentibus Regiū titulum a Casarē  
petierit, impetraturusq; fuisse credatur, ni dum res suo molimine gra-  
uis extrahitur, fato functus esset. Hic ille est Brancas, quem celebris  
nominis Poeta Danthes apud inferos etiam viuentem locat, cupiditate  
vlcisendi doloris alte animo insidentis ob insignē acceptā contumē-  
liam in tantū furorē prouectus. Danthes enim, id quod incorruptis ve-  
tustatis documentis constat, vitio ingenij vehemens & impotēs, ad hoc  
factionū studijs & indomitis animi permotionibus sæpe vsq; ad insaniam  
rapi solitus haud secum reputans, quanto cum periculo magni viri læ-  
dantur, proiecta lingua libertate abutens, quo perpetuo morbo labora-  
uit, de Brancæ nomine ac fama, quem nescio qua de caussa oderat, de-  
trahere non desisteat. Cumq; sæpe monitus nullum maledicendi modū  
faceret, Brancæ clientes tantā verborū petulantia tandem coercentā  
rati, hominem in publico deprehensum male multarūt. quā ille iniuriā  
cū factis nō posset opibus tāto inferior, verbis, & stilo vlcisit studuit.

## C O N R A D V S . S P I N U L A

N On modo duplicia & splendida de CONRADI. SPINULAE  
eximia & præstanti virtute a duobus magnis & præpotentibus  
Regibus altero Aragoniæ & Sicilia; Castellæ altero facta iudicia, sed  
duplicia quoq; ab illo edita & bellicæ virtutis & Ciuilis moderatio-  
nis documenta eius laudes illustrant. Clarū virum vterque Rex sum-  
mæ naualium rerum præfecit, præfulgenti titulo Halmirotis ornatum,  
Siculus aduersus Neapolitanos Reges: Hispanus aduersus Mauros  
perpetuis excursionibus & latrocinijs oram Hispaniæ vexantes. Vitia  
temporū, quæ egregios quoque viros discordijs & bellis ciuilibus inuo-  
luerunt, tantum abest, vt laudibus Conradi officiant, vt contra illi in  
bonū vertāt. quippe quæ inclyto viro materiam bis præbuerint mitem  
animū & patrię caritate incensum declarādi. Nā cum opes & poten-  
tiā gētis suæ Spinulæ magnæ parti Ciuiū formidolosā esse sentiret, vt  
Ciuitatē sollicitā metu liberaret, incredibili animi magnitudine pro se  
ac tota familia, cuius ipse Princeps erat, iure reipublicæ tā domi quā  
militiæ gerendā in quinqueniū sponte cessit: Vtuitq; in publicis hono-  
ribus & magistratibus ac procurationibus tā Urbanis quā Prouincia-  
libus mādādis vllā sui aut cuiusquā suorū rationē haberi. Et aliquāto  
post tēpore summo imperio Ciuitatis potitus otio Ciuiū cōsulēs præla-  
rūq; Uberti parentis exēplū secutus sese Magistratu sponte abdicauit.

**A**TOPICIUS filius in imperio tam quarendo quam retinendo longe diuerso a parente ingenio fuit magna quam integra fame amantior. cuius quantæ fuerint opes, quam formidolosa potentia, quanta non modo Genæ, sed tota Italia auctoritas declararunt duo rerum Christianarum capita hoc est uterque Cæsar, Opicij amicitia magna ab utroque mercede experita. Si quidem Græcus Andronicus affinitatem Opicij petijt Argentina eius filia Theodoro filio suo in matrimonium accepta. Ex Opicij videlicet fauore viam eidem filio ad dominatum Mōtis Ferracis præstruens, quem affecutus meritum remunerās Peram Colonie Genuensium incolendam concessit. At Latinus Henricus gratiam meritis Opicij & Theodori generi debitam amplissimo illis habito honore testatus est. facultatem enim & ius utriusque fecit aureum florenum signandorum. Eadem facultate Florentinis abrogata, ceterum Opicij pacare et experiens ingenium fuit; nihilque humile aut exile cogitans, ac nihil non celsum, & amplum animo agitans, cuius perpetuus cultus non priuata sortis sed regie fortune fuit; cuiusque domus Regum & magnatum hospitio perpetuo patuit, Lautijs semper amplissime præbitis. Ut dolendum sit tanta animi ac fortune bona non ad moderatiorem mentem data, quam impotens regnandi cupiditas, transuersam sepe egerit, atque ultra omnes officij fines rapuerit, nam cum socium regnandi non ferret Barnabam Auriam in summo imperio collegam, Magistratu exturbatum in carcerem coniecit, qua iniuria non modo Aurias perpetuo partium foedere consociatos irritatos a se alienauit, sed complures ex Spinulis suis in se concitauit, qui foedo ac tetro facinore offensi superbumque, atque arrogans ingenium non ferentes, studia cum aduersæ factionis Guelfæ Principibus consociarunt. quæ contentio lugubri et funesto ciuili bello Genuenses inuoluit, quod diuturnum, & internecinum dum se utraque factio Patria mutuo expellit eandemque, armis repetit, Genuam principem, & omnem Liguriam cædibus, incendijs, ruinis, direptionibus omniisque belli clade multos annos vastauit. Vir igitur tanti nominis ac tantæ amplitudinis qualicumque, tandem animo usus sit, qui magna gesserit bella, magnosque, exercitus sua priuatum auctoritate non semel coegerit, dignitatis suæ ac partium Gibellarum acerrimus vindex, maximosque, Principes ad societatem armorum attraxerit, cuiusque, haud lenia extet in Patria beneficia, quamquam eadem a bellis ciuilibus ipsius in primis ambitione excitationis deformetur, silentio prætereundes non fuit.

GAN

**E**A est virtutis maiestas, ut etiam a felicitatis societate deserta ipsa per se suspicienda sit; nosque, debemus ad amplissima de claris viris a Patria facta iudicia scriptorum nostrorum testimonium accommodare. Cuius igitur viri GANDI. MARIJ spectatæ fidei, consilio, audaciæ, virtuti patria tantam reipublicæ partem committendam duxerit, eum nos debita laudis præconio fraudare non debemus. Cum igitur Genuæ esset auditum præualidam Venetorum classem e portu exiisse, Genuenses GANDUM delegerunt, quem tanto hosti opponerent, ac quinque & septuaginta triremibus præficerent, qui quamquam præclari conatus effectu caruerunt, quæ tamen partes suæ fuerunt, eas abunde impleuit, hoste multis locis perquisito, quem ad pugnam attrahere numquam potuit.

## R O S C I V S . A U R I A

**M**ultiplici gloria nomen suum ROSCIUS. AURIA conficiendum fecit, nam militaris virtus, quæ in illo eximia fuit, quæque, ad homines illustrandos vna sufficere, atque adeo primas obtinere a veteribus existimata est, exiguam partem in huius viri laudibus occupauit, præfulget enim præcelsi, animi, humiliæque, hæc despicientis magnitudo; ad hoc pietatis & religionis coruscans fama, quippe qui partiarum victoriarum, atque urbium in littore Euxino expugnatarum, Andronicique, iunioris Græci Cæsaris, sub quo classium Præfectus complures annos stipendia fecit, imperio adiectarum, nulla aut opum, aut potentie, aut oppidorum dititionis, aut humanæ gloriæ breui interitue præmia petijt; quæ ceteri mortales sequi inflammato studio solent, quæque, virtuti & meritis debita a Cæsare ultro deferebantur, sed Anastasie martyris corpus impetrauit, quod Constantinopoli Genuam religiose delatum, atque in Aedem Diui Matthæi illatum ad nostra usque tempora adseruatur. Quanto igitur sublimiorem finem spectauit ROSCIUS, tanto eius nomen altius euolauit, quantumque, gentis suæ Aurie perpetuum armorum splendorem pietatis & religionis longe insigniore addita laude cumulauit, tantumdem in ROSCII memoria præ ceteris colenda studij, & venerationis gentem Auriam addere verum est.

II REN A

**I**ngentibus classibus, clarissimisq; victorijs Genuensis populus totum mediterraneum mare peruagatus omnes illius oras, atque omnes vel longissime recedentes sinus per immensus littorum ambitus fama nominis sui late impleuit. Num & inferum Italiae mare hostili cruore saepe inundatum. continentibusq; cladibus subactum, florentibus Pisanorum opibus fractis tandem perdomitum est: & superum, clarissimeq; ipse Venetiae perpetua nauali gloria florentes, ad hoc late prolatae imperij opibus submixtae crebris atque ingentibus illatis terroribus, in extremumq; discrimine aliquando adductae trepidarunt. Praeterea Ibericum & Balaearicum victoricia Genuensium arma magnis classibus deletis, clariq; nominis Urbibus traditis formidarunt. Iam vero complures in Aegeo captae insulae, ac diuturno imperio possessae haud obscurum Genuensis virtutis monumentum diu fuerunt. Ac ne Pamphilius quidem pelagus magni nominis Regibus captis, nobilissimamq; insula Cypro vectigali facta Genuensium armis non saepe infestum fuit. nullum vero clarius bellice gloriae, simulq; perpetuae pietatis et religionis Genuensi nomini testimonium dedit, quam Syriacum mare ingentibus Genuensium classibus in belli sacri expeditionibus toties constratum. Postremo Euxinum etiam pontum classes Genuenses penetrarunt; ipsaq; longe introrsus retracta Meotis palus non tantum Genuense nomen fama accepit, sed arma quoque illata experta est, Theodosia vrbe veterum scriptis celebrata concedentibus Tartaris in ditionem accepta. Quarum tantarum rerum cum immortalis gratiam quamplurimis ciuibus suis Genuensis Ciuitas debeat, quorum virtute & laboribus in tam altum dignitatis locum ascendit, tum RENATI GRIMALDI nomen magno cum primis in honore illi esse perpetuo oportet. qui primus Herculeum fretum transgressus Genuensem gloriam magnam illam quidem, verum mediterraneo mari ad eum diem inclusam in oceani vastissima spatia memorabili fortitudinis & audaciae edito facinore diffudit. Acerrimis enim & continentibus inter Gallos, & Flandros ardentibus bellis Philippus Rex Gallus Renatum ob spectatam virtutem & consilium naualibus rebus cum summo imperio praefecit, ita munera cum illo partitus, ut ipse Rex pedestribus et equestribus quas ducebat, copijs Flandros terra inuaderet, Renatus eosdem mari vrgeret. qui cum hostibus in Britannico mari obujs factis congressus praevallida ac numero nauium lege superiorem illorum classem (octoginta enim naues fuerunt) longo & cruento prelio fudit ac pro-

ac prostrigavit, nauibus partim captis, partim depressis, partim in fugam coniectis, summoq; Flandrorum Praefecto capto.

## O P I C I U S . C A R R E T T U S

**O**PICIUM CARRETTUM e nobili Germania oriundum, atque ab ipsis Caesaribus originem ducentem, ad hoc duorum Pontificum Maximorum Innocentij Quarti, & Hadriani Quinti affinitate conspectum (Fliscam enim Innocentij fratris filiam, Hadriani sororem in matrimonio habuit) si prudens praeterissem, improbum sane me admisisse facinus, si imprudens, dissolutae negligentiae crimen subiturum fuisse existimarem. In hoc viro non Liguria modo, in qua nobile Finarij Marchionatum vetusto gentis iure obtinuit, sed toti Italiae magnum decus & ornamentum fuit. Cui Mediolanenses turbulentissimis ac laborantibus rebus suis, tum cum omnia ciuilibus discordijs arderent, Diuinaq; & humana omnia factionum studijs miscerentur, ob spectatam prudentiae & virtutis famam vltro accersito summam bellicarum & Ciuiliu rerum mandauerunt. ipseq; sese tam domi, quam militiae tanto muneri et expectationi parem protinus ostendit. nam factionis audaciam compefcuit, resq; urbanas in tranquillum statum redegit, ac Gregorium. X. Pontificem Maximum Mediolanensibus implacabili odio insensum mitigavit, cum ille Mediolanum venisset, omnesq; Mediolanenses ab ira & indignatione altere animo insidente aditu & conspectu suo plane exclusisset, vno admissio Opicio. quo interprete & arbitro res compositae sunt, Mediolanensesq; in Pontificis gratiam redierunt. Nec minora sunt militaria merita multis felicibus expeditionibus susceptis contra circumiectos populos rem Mediolanensem continenter vexantes, Papiensibus et Comensibus saepe fuis ac domitis. Qui etiam, si id ad viri gloriam cumulandam quidquam pertinet, caeremonijs Diadematis ab Henrico Casare ea in vrbe sumpti praefuit.

Eadem gens Carretta omnibus aetatibus ab Opicij gloria haud deflectentes viros tulit. nam MANFREDVS egregiam operam in bellis contra seditiosos & rebelles atque aduersus Sabaudia et Montis feracis Principes Genuensi populo nauauit.

HENRICVS quoque qui ab eximia fortitudine et ferocia ipsis sumis Principibus formidolosus bellatoris nomen tulit, praeter Sabaudiae et Montis feracis Principes saepe repulsos, capto Uigluano Eracisci Sfortis summi ac celeberrimi illius etatis Ducis impetum insperandus sustinuit, vrbeq; tutatus est.

Iam vero IOANNIS. IACOBI haud obscura fuerunt bellica opera. Ad hoc ALPHONSUS Genuensibus in Corsica recuperanda & domanda virtute & opibus suis haud paruo adiumento fuit.

Deniq; nulla Ligustica gens hinc Carretta stematibus crebrior fuit, cuius numquam consopita virtus illustribus motibus sepe excitata est, nam praeter eos, quos suis sigillatim Elogijs decorauimus, BONIFACII. duorum HENRICORUM parentis & filij IOANNIS haud obscura fuerunt bellica opera.

#### I A C O B U S . F L I S C U S

**N**Ouo atque amplissimo honoris titulo claram gentem suam Fliscam auxit IACOBUS a Lodouico eius nominis nono Gallorum Rege celsissimo Magister equitum creatus, quem Marefcalum appellant. qui honos in rebus militaribus altissimum apud Gallos auctoritatis & existimationis locum tenet. quippe in cuius moderatione & arbitrio res bellicae Gallorum versentur: apud Gallos quidem summus hic honoris gradus tanto in pretio est, uti exteris non nisi in multis saeculorum etatibus vni aut summum alteri deferatur, ipsaq; viris, qui ad summum fastigium, summumq; nomen in rebus bellicis peruenerunt. id quod Patrum & nostra etate declararunt in Ioanne Iacobo Triuultio; & Petro Strozio utroq; summo in Italia Gallicorum exercituum Duce.

#### P R I N C I P A L L E S . F L I S C U S

IACOBI etati & gloria succreuit PRINCIPALLES. FLISCUS ipse quoque ad summos honores a Rodulfo Caesare elatus. Vicarius enim in Italia Imperialis fuit. Amplam vero & splendidam eam fuisse Procuracionem (quamquam rerum Principalis parua neq; ea admodum explicata extant monumenta, quae quidem ipsi viderimus) hinc statuere licet, quod in Hetruscis annalibus legimus PRINCIPALLEM Caesaris nomine Hetruriae ciuitatibus tributa imperasse, illumq; in bellis, quae per eadem tempora in Hetruria gesta sunt, inter primores Duces cum summo imperio fuisse varia fortuna.

#### F R I D E R I C U S . M A R A B O T T U S

**N**ON quidem inter eos viros, qui magnarum classium Praefecti magnas res gesserunt, ingentesq; uictorias pepererunt, connumerandus

duis est FRIDERICVS. MARABOTTUS, sed inter eos, quorum nomen egregio aliquo vel singularis fortitudinis & audaciae, vel sollertis ingenij edito facinore vna cum summi fastigij Ciuibus litteris mandandum duximus, praetereundus non fuit. qui non in postremis docuerit, ad ceteras bellicas laudes & imperatorias artes peracrem quoq; esse in Genuensibus hominibus ingenij sollertisq; animi vim ad subita & improvisa belli celeritate astuti consilij expedienda. Is enim Gibelinorum classe numero longe superiore ad se iter tendente procul conspecta, quam expectare, ac cum illa congregari non iam hominis fuisset, fortunam pugnae tentare, ac communem martem experiri audentis, sed sese, ac suos, classemq; sibi commissam in certam perniciem per summam insaniam praecipitantis, fuga salutem consuluit. Cumq; hostis nullum insequendi finem faceret, validioreq; remigio utres propinquus factus ipsum mox affecutus esset, superuenientibus tenebris, atque ea, quae administrabantur, regentibus imminens periculum egregio noui stratagematis comento discussit. nocturni enim luminis insigne ad cursum nauium regendum in Praetoria puppi extolli solitum in scapham cum paucis remigibus transtulit, dato mandato, ut proximum litus peterent, ipseq; itinere alio conuerso, ne naues suae nullo lumine prelato nocturna erratione dissiparentur, nomen certi portus, quo cursum dirigerent, trirēibus edidit, quo factum est, ut insequenti luce omnes eundem portum quamquam diuersis itineribus incolumes tenuerint, seq; cum Duce coniunxerint. At hostes lumen sequentes classe omissa, cum ad litus peruenissent, scapham in terram eiecitam hominibus vacuam cum lumine conspexissent, sese astu Marabotti ludificatos intellexerunt.

#### S A L A G R V S . N I G R I V S

**Q**UOD virtutis genus fuit, quod SALAGRUS. NIGRIUS in preclaro facinore patrando non expresserit? nam quanta primam constantis Deus immortalis, quamq; inuicti animi fuit, hostilem Catalanorum classem ad insulas Balearicas deprehensam decem dies asperro fluctibus mari secutum fuisse? quanta porro virtutis ac fortitudinis quattuor ingentes onerarias delectorum numero refertas (mille enim & octingenti fuerunt, in hisq; centum & octoginta primae nobilitatis & equestris dignitatis viri) cum nullus adhuc bombardarum usus esset, cum decem tantummodo trirēibus expugnasse aspectu praesertim coniugum ac natorum, quos Catalani secum rebebant, ardorem

ardorem pugnae accendentibus? Fortitudinis laudes cumulat consilium militarisque astus, quo suorum virtutem Salagrus acuendam censuit. qui per speciem expeditius nauigandi, velocitatemque, onerariarum cur su triremium aequandi vna cum reliquis impedimentis annonam in mare proijci iussit. Præliumque ultimo commissio. Si ferrum, inquit, perhorrescitis socij, longe tetriore mortis genere, hoc est, fame vobis pereundum est. annona enim in mare proiecta nullus vobis reliquus est cibus, quam quem ex victa classe plena com meatuum petatis. Quanta igitur dimicationis, quamque acris certaminis rem fuisse putemus; hinc fame Genuenses, illinc carissimorum pignorum respectu, a quibus instans seruitium et contumelia depellenda erant, Catalanos incitantibus, quibus duobus nulli sunt acriores stimuli? Ceciderunt ex hostibus circiter octingenti; capti sunt centum sexaginta. Nec militari gloria singularis continentia laudes parum addunt splendoris, ut exemplum sit in omnes partes nobile. a matronarum enim corporibus violandis Salagrus graui edicto suos prohibuit, quas excensione in terram facta liberas dimisit, pudori muliebri contumelijs obnoxio parcens; unumque ex captiuis nobilitate insignem compertum, quod coniungem præstanti forma, ne in hostium manus veniret, ab amoris stimulis iugularat, capite multauit, quod se non tam puniendi maleficijs causa, quam indignatione commotum facere dixit, quod ille ipsius et Genuensis populi continentia diffusus esset. Facinus igitur tam multiplici virtute commendatum, si rem verbis æquare volumus, non vno tantum, sed pluribus Elogijs pro dignitate decorandum esset.

## MARTINUS. ZACHARIAS

Non tam copiarum, quam rerum gestarum magnitudine egregiorum hominum gloria metienda est. Quin etiam haud scio, an exigua manu magna facinora patrasset. maius virtutis robur maioremque animi indolem declaret. Ut nonnullorum Ciuium nostrorum nomina merito præconio prætereunda non fuerint, quos interrupta temporum serie ita Elogijs continuandos duximus, ut rei gesta similitudine, parique rei genere ratione coniuncti sunt, omnes expugnatarum urbium gloria, que non merari haud in postremis debet, clari. Hi fuerunt Martinus Zacharias Philippus Atria, Thomas Murchius, Raphael Adornius, Othobonus Iustimanus, Petrus Spinula singuli singulis Elogijs ornandi, eadem singulis accommodata præfatione. Primus ordine, ut tempore erit MARTINUS.

TINUS. ZACHARIAS, quæ gens nobilis in primis ac præpotens fuit, nunc extincta porfusa est. Is classe Veneta et Pontificia sua adiuncta Smyrnam inferiorem, quæ a Barbaris Mahumetana secta tenebatur, cepit, ac Christianæ religioni restituit.

## PHILIPPVS. AURIA

PHILIPPI vero AVRIAE gloria duabus Urbibus expugnatis ea fuit, quam splendor maximarum illarum victoriarum a tot ipsius maioribus partarum haudquaquam obscurat. Nam cum Venetorum classis quinque et triginta triremium quattuordecim Genuenses triremes, quarum Præfectus fuit Nicolaus Magnèrres, quæ gens nunc Franca est, improviso deprehensas profligasset, decem nauibus captis PHILIPPVS. AURIA cum nouem triremibus a Simone Vignosio Chij Præto missus, qui iniurias vlcisceretur, acceptaque detrimeta hosti redderet, Insulam Euboeam tenuit. quam populationibus et incendijs peruastauit; ipsamque urbem Chalcidem expugnauit, ac diripuit, pretiosisque capte urbis spolijs onustus Chium cum tribus et viginti patrij ordinis Ciuibus Venetis captiuis reuersus, capte urbis clauces ad memoriam parti decoris supra portas Chij suspendit. quæ ad nostra usque tempora conspiciuntur. Idem PHILIPPVS quinquennio post quindem triremium Præfectus Genua missus claram urbem Tripolim in Libiæ ora cepit, ingensque auri podus ex spolijs redactum, magnamque captiuorum vim Genuam adduxit.

## THOMAS. MURCHIVS

AT THOMAS MURCHIVS decem triremium Præfectus Insulam Melitam perdomuit, excensioneque in Siciliam facta Mazariam urbem cepit. Quæ urbes et si a Genuensibus retenta non sunt, memoria tamè egregiorum facinorum clarique viri MURCHII a nobis retinenda est.

## RAPHAEL. ADORNIUS

PARI rei gesta gloria superiores subsequitur RAPHAEL ADORNIUS. qui ad perpetuum clarissima gentis suæ Ciuium rerum decus bellicam quoque laudem adiunxit. Cum igitur fama esset, Regem Tuncti Ciuitatis nostræ hostem classem comparare, qua Genuensem nationem

nationem & Ligusticam oram vexaret, Genuenses duodecim triremes repente armarunt. quibus praefectus est RAPH. AEL. qui quinque Pisanorum, & tribus Manfredi Claramoti Regni Siculi Halmirotis triremibus sibi adiunctis oram Libiae tenuit; Gerborumque insula expugnata & subacta, docuit, eas esse Genuensis Civitatis facultates, eamque Genuensium hominum virtutem, quae non ad sua tantum tuenda, neque ad bellum tantummodo sustinendum et propulsandum, sed ad inferendum quoque valeat; ac quae detrimenta quasque clades verbis feroces homines temere comminatur, eas in illos ipsos vertere soleat. Quam insulam tam longe distitam cum in tantis Civiliū discordiarum occupationibus minus commode tueri posset, Manfredi ingenti auri pondere accepto ex propinquo commodius defendendam ac possidendam tradidit.

#### OTHOBONUS. IUSTINIANUS

OTHOBONUS vero IUSTINIANUS qui primus suae gentis in Elogiis nostris locum obtinebit, nam res multis ante saeculis ad Almeriam & Dertusiam vrbes a Philippo Longo una cum collegis tum gesta sunt, cum gens Longa nobilis in primis & peruectus Iustinianum nomē nondum sibi ascriuerat, quindecim triremium Praefectus urbem Albitimilium, quae a Genuensibus defecerat, contumacique pertinacia in pravo incepto perseverabat, Dominici & Bartholomaei Auriarum terrestrium copiarum Ducum non expectato adventu omnibus viribus adortus expugnavit. Idemque oppidum & portum Telamonem egregie defensum acerrima & continenti duorum dierum oppugnatione tandem cepit.

#### PETRUS. SPINULA

Hoc quoque expugnataram urbium decus nobilissima gentis suae stemmatibus addidit PETRUS. SPINULA viginti quattuor navium Praefectus. quarum decem longae ac triremes fuerunt; reliquae corbitae ingentis magnitudinis, Corcyra diu oppugnata, suburbijque captis & incensis, ac Naxo & Andro in Aegeo captis & Genuensi imperio adiunctis. quarum urbium possessio etsi brevis fuit discordijs Civilibus Genuenses ab exterarum rerum cura auocantibus, meritorum tamen & rei gestae memoria debet esse diuturna.

R A-

#### RAPH. AEL. AVRIA

RAPH. AEL. AVRIAM alterum ex Dumuiris reipublicae gerendae Regni siculi summum maritimarum rerum Praefectum fuisse, quem Halmirotem vocant, quinquaginta circiter annis post Gallos exactos, cum Regnum ab Aragonensibus teneretur, apud annales nostros inuenio. Ceterum quibus ille virtutibus, qua fama, qua rerum gestarum commendatione ad cum honorem perueniret, qua ve ratione illum gesserit, nihil sane nobis re diu quaesita compertum est. Ut viri laudes seu temporis iniuria obscuratas, seu scriptorum vitio oppressas nostro praecomio in lucem proferre non potuerimus. Verum ne simul cum rebus gestis nomen quoque RAPH. AELIS interiret, neue patria nostra numero stemmatum suorum fraudaretur, illud qualicumque hoc Elogio ab obliuione & ignorantia hominum vindicandum duximus.

#### SIMON. BUCCANIGRA

HAUD facile nobiliorum fratrum par inuenieris SIMONE & AEGIDIO. BUCCANIGRIS quorum ille domi, hic militiae clarissimus fuit. Sed Simonis amplum quidem ceterum incerta existimatio nis est nomen peracri simulque turbulento ingenio viri. Nam quattuor nobilissimas familias Spinulam, Auriam, Grimaldam, Fliscam inueterato dominatu deiicisse, illorumque potentiam & summam dignitatem tot opibus subnixam, tantisque radicibus haerentem fregisse, ad hoc insignem Ducatus honorem in Patriam induxisse; popularemque & communem reipublicae formam, cuius omnes participes essent, instituisse, cum quattuor familiae omnia superioribus temporibus ad se attraxissent, memorabile in primis facinus fuit. Praeterea tantam dimicationem non expauisse virum, cui exiguae opes, nulla clientela, nulla maiorum potentia, nullusque magnopere familiae splendor animos faceret, sed omnia apud illum tenuia essent; Postremo contentionem usque ad finem vitae sustinuisse, ac varijs iactatū casibus, & Principatu expulsum nihil aduersis rebus infracto animo fuisse, Principatumque recuperasse, atque inimicis inuictis in eo extremum vitae diem plenum gloriae clausisse, haec omnia viri ingenij, inuicti animi opera fuerunt: eaque res Simoni non bene gestae, verum quod longe praeclearius est, seruatae reipublicae, ac liberatae Patriae clarissimum & haud dubium testimonium darent, si tantorum meritorum gratia nonnulla ambitionis, occupatiisque Regni laete per

K K speciem



speciem tollendarum factionum a nobilitate inductarū, ac communis libertatis asserendę & constituendę aspergeretur, neque minus insequentium Ducū tempora, quam superiora turbulenta fuissent. quāvis factiones Ducibus regnantibus non tam execrabili iternecinōq; odio exercita sint. Ceterum ingentis facinoris memoriam, quę anniuersario sacro, ac dono aurei Aulsi decreto publico ornata est, quod sacrum perpetuo & nunquam interrupto tenore vsurpatum ad nostra vsque tempora perductum vidimūs, in nostris Elogijs locum habere, a nemine iniquo animo ferendum est.

#### AEGIDIUS. BUCCANIGRA

**A**T. AEGIDII fratris fama integra est, bellicęq; laudes nulla turpi nota deformantur. qui subsidio Hispaniæ Re: laboranti cū prævalida classe missus florentes Maurorum opes fregit, ipsq; illos affecit cladibus atque eas gessit res, quarum magnitudinem Rex insigni Halmitis titulo & per amplę Ditionis dono remunerandam duxit. Quā ditionem ad nostra vsque tempora illius posteri in Hispania possident gentile Buccanigrarum nomen retinentes, interq; Hispaniæ Principes numerati nobili titulo Comitatus Palmę insignes.

#### FRANCISCUS. CATALVSIVS

**N**on modo Patrię, sed exteris quoque maximis Principibus Genuensium virtutē vsui & decori fuisse, clarissimū in primis exemplum in FRANCISCO. CATALVSIO constitutum est. quippe qui propter eximiam virtutem & fortitudinem maximum auctoritatis, & potentię locum apud Græcum Cæsarem obtinuerit, maritimis rebus cum summo imperio præfectus. Cuiusq; præter ceteram Cæsari multis locis nauatam operam, consilio, virtute, cura, vigilantia Cantacuseni conatus ingentibus ac periculosis inuitis res nomantis sint compressi. Quod egregium promeritum amplissimo premio remunerās Cæsar Francisci memoriam, ac gentis Catalusię nomen opulentę ac celebris nominis insulę Lesbi, urbisq; Mytilenes ditione nobilitauit, sorore illi in matrimonium data.

#### AVRIETA. AVRIA

**N**on in viris modo, sed in foeminis quoque insita Aurie genti bellica virtus illustri documēto eluxit. Nam cum Annatibus Turcarum

rum Regis ingens classis insulā Lesbū veterū scriptis celebrē petiisset, ac copijs expositis oppidū arctā obsidione premeret; resq; in angustum adducta essent, atque oppidani diuturna obsidione, crebrisq; oppugnationibus fessi nō cōmeatibus modo & ceteris belli apparatus, sed viribus quoque ipsos deficientibus deditiōnem spectarent, AVRIETA AVRIA Catalusio viro insulā et urbis domino absente armata in publicū prosiliit, hominesq; hortata, ne animū desponderent, neue sese; liberos, coniuges in teterrimā Barbarorū seruitutē proderent, seq; ipsa Principem in prælijs professa, cum acres stimulos virorum animis hac adhortatione & exēplo audacię admonisset, illi ignavis deditiōnis consilijs abiectis foeminam Duce[m] secuti, subita eruptione facta tanto impetu sese in Turcas intulerunt, vt illos ipso incursu fuderint; ingentemq; illorum ediderint cadem. Qua clade Turcæ percussi soluta obsidione trepida fuga sese in naues receperunt, liberęq; insulā reliquerunt.

#### ANTONIUS. GRIMALDUS

**C**ecundę aduersęq; res luctū quidem & gaudiū miscere solent, at famam variare clarorū virorū nequaquā debent. nihil igitur posterior infelix expeditio de ANTONII. GRIMALDI laude in priorē expeditione parta detrahere debet, sed potius posterioris, aduersi euentus sensum a priorē gloria obrui oportet. Idem igitur quod nō Patria modo, sed egyptij ipsi conatus atque ausus, nos quoque laudibus nostris virtutis & fortitudinis Antonio Grimaldo testimonium debemus dare. qui in prima expeditione firmissimā quinque & quadraginta triremiū classis Præfectus excensione in terram facta maiorem Balearicam & Cataloniā magnis cladibus affecit; regibusq; Aragonio & Balearico bellum indixit. Qui vt ferociā Grimaldi retunderent, classē duarum & quadraginta triremiū, ad hoc magni numeri longarū nauium varij generis contra illum miserunt. At Grimaldus e portu minoris Balearicę, in quem sese illum inclusuros, & obsessuros hostes sperarāt, impigre egressus tanto impetu illos inuasit, vt hostes audacia territi; simulq; impressionem non sustinentes sese in turpem & præcipitē fugam coniecerint. Grimaldusq; eximium decus Regiarum classium fugatarum vnāq; ingentem prædam in Patriam rettulit. Spectatę Antonij virtuti vno & vigesimo post anno Patria sexaginta triremiū classē commisit, qui cum Veneti & Catalani fœderati classē octoginta triremiū coniunxissent, non timuit fiducia virtutis & superiore felici

rerum successu elatus prælium cum classe numero tanto superiore committere. in quo diu sustinendo quamquam omnia, quæ Imperatorij muneri fuerint, abinde præstitit, is tamen pugna exitus fuit, ut ingenti clade accepta documento posteris fuerit, neminem ita suæ ac suorum virtuti fidere, atque hostem quamvis sæpe victum et fugatum contemnere debere, ut non incerta humanorum casuum, et fortuna vicissitudinē secum reputet.

### L A N F R A N C V S . V S V S M A R I V S

**I**n rebus quidem gerendis magnam proculdubio partem Fortunam obtinere veteres Christianæ lucis expertes putarunt. quam nisi comitem habeat virtus, perraro egregia consilia ad effectum perducantur. At in claris viris laudandis nullus esse debet fortunæ locus. omnia enim virtus occupat. quorum igitur virtus excelluit, eorum memoria nullo modo extingui debet, quamvis nullum illis campum dederit fortuna, in quo excurrere posset virtus. Quis igitur L A N F R A N C V M . V S V S M A R I U M inter memorabiles Ligures immerito locatum dicat, aut quis consilium nostrum reprehendendum ducat, quod ad amplissima de illo a Patria facta iudicia nos quoque præconij nostri testimoniū accommodauerimus? quæ nisi spectare Lanfrancæ fidei, virtuti, audaciæ, consilio tantam sui partē, tantasque suas vires, quibus amissis haud facile alias esset recuperatura, nunquam commisisset. Atque ego funestæ rei abominandam mentionem libenter omissem, ne vulneribus Patriæ obductam cicatricem attritādo refricarem. nō ne in clari viri famam eiusque postaritatē iniuriosus fuisse existimarer, veritus essem. Cum igitur partium furor eo vesaniæ processisset, ut præpotentis Genuensium populi vires in se conuersæ muris se cladibus ipsæ conficerent, Guelphis Genuæ rerum potentibus, ac dimidia ciuitatis parte vrbe extorres; Fridericique, secundi perpetui Genuensium nominis hostis classis Gibellinorum. Genuensium classe sibi adiuncta Ligustica littora incendijs, excursuibus, rapinis continenter infesta faceret, Lanfrancus Guelforum Præfectus quamquam numero nauium par, genere tamen longe inferior, octo enim et sexaginta triremium classis Friderici fuit, cum in Genuensium classe totidem quidem numero, verum minoris formæ multa essent nauigia, hostili classi obuius factus certamen non detrectauit. quod hostis committere ausus non est. Ut nō vulgata virtutis specimē censendum sit, imparem viribus, conditione parē discessisse.

L V C I A -

### L U C I A N U S . A U R I A

**L**UCIANI . AVRIÆ nomen eo clarior est, quo minoribus copijs ingentem ac cuius equandam victoriam peperit. Duarū enim et viginti triremium Præfectus cum totidem Venetis quamuis bellatorum numero aucto firmatis congressus longo et cruento prælio, in quo ipse fortiter pugnas cecidit, illos vicit, quindecim nauibus, ac duobus millibus et quadringentis hominibus captis, cum circumstantes primores in eius locum alium iisdem armis et insignibus subornassent, ne pugnantes, si sensus Ducis interfecti ad illos peruenisset, cuius virtute maxime confidebant, animis caderent. Res bellicas aquarunt et ornauerunt eximia humanitas et liberalitas, singularisque Ciuium suorum caritas. quippe qui militum inopiam argento, suppellectili, atque omnibus suis venditis sæpe subleuarit; ac militi cuidam ad genua procumbenti, sequi fame deficere clamanti fibulam argenteam a cingulo præcisam, cum nihil reliquum esset, donarit. Ut LUCIANE mortui, qui cum animam quoque familiarem reipublicæ donasset, liberis de publico subueniendum fuerit. Iure igitur Genuenses partem victoriæ, ac clari viri memoriam sacro anniuersario, atque aurei Anlæi dono ad posteritatem contestatam esse voluerunt.

### P E T R V S . A U R I A

**I**n signe in vtramque partem PETRVS AVRIÆ posteris documentum fuit, nemini suæ gentis rerum gestarum magnitudine secundus futurus, si ad bellicam virtutem moderationis quoque, atque animi fortitudinis vicissitudinum, humanorumque casuum memoris laudem adiunxisset. ac nisi gloriam bello partem superbia et arrogantia deformasset. quam turpitudinem arguet Luciani gentilis sui proxima comparatio, cui ille in imperio successit. Quid enim gloriosius fuisset, quam Clodia vi expugnata, sex hostium millibus acriter urbem defendentibus caesis, opulentissimam urbem Venetias, rerumque gestarum atque imperij magnitudine inter ceteras Europæ clarissimam veluti faucibus oppressam ad necessitatem pacis petendam, legesque a victore accipiendi supplicem adegisset? nisi animus secundo rerum cursu elatus, fortunæ, insolentia ultra omnes officij fines pronectus eas condiciones tulisset, quas pudeat referre. Quæ conditiones legatione renuntiata adeo iram et indignationem Venetorum accenderunt, ut illi in rabiē versi, omni que pacis cogitatione deposita sese ad omnia ultima experienda compararint. quo factum

factum est, ut præclaris initijs ea, quæ consecuta sunt, minime responderint, nomenq; PETRI, qui maximo bello sortasse confecto plenus gloriæ in Patriam redire potuerit, paulatim consenuerit, tantarumq; rerum felicissima initia tractu in dies duriora, exitu irrita fuerint.

## G A S P A R S P I N U L A

**N**ullum tempus fuit, quò magis quam hoc Clodiano bello Ciuitatis nostræ potentiam, ac maiorum nostrorum animi magnitudinem spectare licuerit. Qui nihil tanta ad Clodiam accepta clade infra-  
 Eti, cum etiam domi acri bello, quod ad ipsa moenia consistit, a Vicecomite Mediolani Domino societate armorum cum Vcuetis coniuncto premerentur, ita magno animo fuerunt, ut exterorum & longe remotorum curam non deponerent; neque consilia ab inferendo ad populandum bellum verterent, quod illis tot malis fessis ac tot cladibus concussis omnium concessu datum fuisset, sed Venetos bello urgere pergen-  
 dum decernerent, Quæ propter GASPAREM SPINULAM quæ non modo nobilissima ac præpotentis familia spediator, sed spectata etiã virtus conspectum faciebat. Auris successorem cum præualida triginta triremium classe miserunt. Qui cum prius terrestri itinere Carrarium Patavij Regnantem Genuensibus foedere coniunctum adijisset, ut de subsidijs & comneatibus Clodiam submittendis cum illo ageret; cumq; Clodiam ab hoste recuperatam, ac copias Genuensium quæ erant in ea Urbe captas offendisset, ad classem se contulit. Mattheoq; Mar-  
 ruffo, qui cū parte classis præmissus egregias ipse quoque res gesserat, sibi adiuncto, ad intimum sinum penetravit; Classiq; quæ fuit omnino quinquaginta triremium, in ipso Veneti portus ostio explicata & in prælium directâ, copiam pugnandi hostibus fecit. quibus detrectantibus totam Ditionis Venetæ oram peruagatus; copijsq; saepe in terram expositis complures Venetorum non obscuri nominis Urbes expugnauit ac diripuit in quibus fuerunt Instinopolis, & Pola; Tergestû quoq; ad deditiõnis necessitatem adactum, ac Patriarchæ Aquilegensi donatum maioribus profecto damnis hostem affecturus, nisi illum in medio cursu gerendarum rerum Urbani motus donum recuassent. Genuam igitur reuersus est ingenti parta gloria ac præda omniſtus nõ tam rerum pretio, quam religionis veneratione conspicienda, compluribus Dimorum reliquis e captis urbibus aduectis, quæ in Aedes sacras adseruanda distributa sunt. Quibus rebus factum est, ut Veneti quanto Clodianis

Clodianis successibus elati, tanto propinquarum Urbium detractiõne animis imminuti cogitationem ad consilia pacis adiecerint. quæ tandẽ Romano Pontifice disceptatore inter duos potentissimos populos composita est, Tenedo insula, quæ vtrique populo induerat arma, a Venetis dimissa, arceq; quæ ab eisdem edificata fuerat, solo aquata.

## M E G O L V S . L E R C A R I U S

**Q**ui priuatae sortis homines iniurias suas occultis cõsilijs & con-  
 rationibus in maximos Principes vel viti sint, vel vlcisci infelici ausu tentarint, nonnulli omnibus etatibus inuerti sunt. At MEGOLVS. LERCARIUS Ciuis Genuensis nobili & peruetusto genere ortus nouo atque haud scio, an vnico incredibilis audacia & fortitudinis edito facinore virtutem priuatorum hominum ipsis etiam Regibus & summis Principibus alia quoque de causa vrendam & formidolosam fecit, quippe quos docuerit aperta quoque vi, armisq; vltro inferendis iniuriarum & contemptus sui interdum vindices esse. Is enim inter Aulicos Cesaris Trapezuntij cum esset, lusq; ut sit, pomeridianas horas traduceret, in altercatione & iurgio ab homine, qui magnigratia locum apud Cesarem obtinebat, colapho cesus, cum iniuria sua a Cesare neglecta esset, omnem iracundiæ & generose indignationis impetum humilitate auctoris spreta in ipsum Cesarem contulit. Genuam igitur in Patriam cum venisset, animi moestitiam squalore atque habitu corporis preferens, iniuria amicis & propinquis exposita, illorum opibus adiutus, duas triremes cõparauit & instruxit. Cū quibus egregia florētis etatis bellatorum omnisq; nautalis instrumētū et bellici apparatus copia refertis tanta maris emensius spatia Euxinū ingressus, non populatiõibus modo, incendijs, vastatiõibus omnẽ Cesarianæ ditionis oram breui infestã fecit, sed vim, & iram implacabilis animi, memoriamq; alte insidentis iniuriæ volueris in miseros a se captos foedo supplicij genere expromebat. quos naribus et auribus desectis dimittebat, ut videlicet contumeliã in ore acceptã illa oris deformitate reddenda vlcisci videretur. Quibus acerbitatibus impulsus tandẽ Cesar quattuor triremes in illū armauit. quas MEGOLVS, cum aperta vi imparẽ se intelligeret, astu sollertiq; consilio elusas vicit. Simulata enim fuga cū Cesarianæ omnibus remigij viribus connixæ fugientes insequeretur, dispariq; celeritate aliq; alias anteurẽ, MEGOLVS respiciens cū astu sibi processisse, pugnaq; illorū segregata imbecilliores fore illos, cerneret in duas

in duas proximas conuersus reliquis longo interuallo sequentibus, easq; adortus ipso impetu & incurſu oppreſſas cepit. quo exemplo reliqua perterrefactę fuga ſalutem expediuerunt. At Megolus triremibus ſuppreſſis viſitata deformandi oris exempla in captos edidit, quos dimittens nuntiare Caſari iuſſit, vnam illi tantummodo eſſe ſe ac populos ſuos e tantis cladibus eximendi rationem, ſi eum, qui ipſum iniuria afeciſſet, ſibi in manus daret. aliter ſibi de iniuria ſatiſferi non poſſe. Quod cum Caſar malis & populorum fremitu victus feciſſet, MEGOLVS hominem ad ſe adductum calce prius in conſenſu triremis in ore percuſſum ad genua in humiles fletus proiectum, ac mortem quidem tam audacts ſuperbię & arrogantię facinori debitam fatentem, ſed tormenta & cruciatus deprecantem benigne allocutus bono animo eſſe iuſſit, cum addidiſſet egregiorum ac fortium virorum moris nõ eſſe, in mulieres ſeuire. quod anceps dictum in muliebres hominis in ſpeciem iactum famam gratię apud Caſarẽ flore etatis collecta obliq; perſtringebat. Ceterum cum ſibi aſſatim ſatiſfactum eſſe diceret, vnã reliquam eſſe addidit erga Genuenſe nomen ſatiſfactionem, cui non minor, quam ipſi facta eſſet iniuria; ſi Caſar Trapezunte Aedes publicas negotiatoribus Genuenſibus adificaiſſet egregij facinoris ſerie in parietibus pictura expreſſa, ad documentum ſanciendum, ne quis in poſterum illius nationis homines iniurijs cuiusquam obnoxios duceret. quas Aedes Caſar ex pacto adificatas homine recepto Genuenſium nationi domicilium aſſignauit. Tantam indolem, tamq; admirabilem animi magnitudinem quamquam alio in genere etate noſtra Francus Lercarius rettulit. nullum eſt enim magnificentię ſpecimen, quod Regia illius liberalitas copioſe non præbuerit, egentium inopia leuanda, afflicta amicorum fortuna ſuſtentanda, omnium, qui in eius opem confugiunt, anguſtijs ſubleuandis, præclaris artibus amplectendis, & fouendis, literatis & ingenioſis viris domi alendis, atque honorifice tractandis, Patria, cum tempora reipublicę poſtulant, large ſubueniendo, immanibus infinitiq; ſumptus cum priuatorum tum publicorum & ſacrorum adificiorum ſubſtructionibus urbem ornando. quę res gloriam quidem viri, non autem animos ſupra ceteros extollunt, nullosq; illi ſpiritus faciunt, quin contra ab omni faſtu ita abhorrens eſt, vt cum opibus, quas ampliffimas poſſidet, ditiones honorumq; inſignes titulos vltro claros ſibi poſſet parare, illos repudiari. Ut cum fortunę amplitudine ſingularis animi moderatio raro admodum exemplo coniuncta appareat.

MAT-

MATTHÆUS. MARRUFFVS

Cum egregiæ res, quas haud cõtemendarum claſſium Præfectus MATTHÆUS. MARRUFFVS geſſit, illius nomẽ ob oblivione hominum vindicant, tum vero ſingularis iuſtitię & continentię gloria in claro viro præfulget. Nam quod ad bellicas res attinet, vt complura alia egregia facinora omittantur, quę Annales diligenter perſequuntur, duo illa memorabilia fuerunt, quod nouẽ & viginti triremium Præfectus, tum cū rebus ad iniqua inclinatis Veneri Genuenſes in vrbe Clodia obſidebant, in oſtio portus Veneri hęc claſſe in pugnam directa hoſtem ad certamen prouocauit, & togati virtutes ita enituerunt, vt non modo ipſum admirabilem facerent, ſed in alios quoq; redundarent. quippe qui populos, quos Prætor a Genuenſibus miſſus rexit, in ſuos mores formaret. qua re fiebat, vt vrbes illi cõmiſſæ non iam vrbes, ſed omnis ſanctitatis domicilia viderentur, hominesq; ab alieno non modo rapiendo, & furto ſubtrahendo manus & cupiditatem abſtinerent, ſed pretioſa res noctu inter pedes forte oblatæ a nemine prætereuntium attingerentur; dominiq; luce orta dimiſſas res in publico inuenirent. quę gloria, ſi verum quærimus, tanto bellicis laudibus clarior exiſtimanda eſt, quanto rarior ſemper fuit.

AARON. SPINULA

Non ſuis modo opibus Gens Spinula, ſed externis quoq; amicitijs polluit. quam cum clariffima Vicecomitum Mudiolanenſium familia earundem Gibellinarum partium ſtudia ac mutui vſus ita coniunxerunt, vt etiam poſteaquam illi ad celſiſſimum faſtigium in rebus Italicis conſcenderunt, opulentiffimæ ac per amplæ regionis Principatum adepti ueterum amicorum nunquam immemores ſemper fere in Aula aliquos ex Spinulis in pretio & in honore habuerint. in quibus AARON magnū auctoritatis & gratię locū apud illos obtinuit inſignibus honorum titulis ornatus. ad interiora enim conſilia de ſumma Republica adhiberi ſolitus ſummus Magiſter equitum fuit. qui honos illis præſertim temporibus in quibus peditatu neglecto res militaris equitatu continebatur, ampliffimus habebatur. Et (vt verſatile ingenium tam ad pacis quam ad belli munia aptum fuit) egregijs Legationibus de maximis rebus ad maximos Reges haud exigua cum prudentiã, & ingenij laude perfunctus eſt.

L L I S N A R-

## I S N A R D U S . G U A R C I U S

**I**Nter tot nauales victorias, totq; viros maritimarum rerum fama insignes ISNARDI. GUARCI nomen in primis fulget. qui Genuensem virtutem terrestrium quoq; rerum gloria clara fecit. quippe qui pedestres & equestres copias & genere firmissimas, neque numero contemnendas a Barnaba Vicecomite Mediolanensium Principe Venetorum instinctu ad Genuam premendam missas atroci & cruento praelio fuderit ac deleterit, maxima parte obruncata, reliquis in fugam coniectis. in quibus fuit Veteranorum legio Stella cognomine insignis Italiae prae-gravis ac formidolosa. nullius enim Principis stipendijs addita assiduis excursionibus & populationibus multas eius Provinciae partes infestas faciebat. Vrbuius victoriae fructus non modo ad Genuenses, sed ad quaeplurimas Italiae Ciuitates magna cum illarum letitia peruenit. quae pleraeq; illarum litteris & nuntijs testificatae sunt; gratiasq; Genuensibus egerunt, quod illorum virtute & fortitudine a tanta molestia essent liberatae. Genuenses quidem hanc victoriam in magnis numerant. quam anniuersario sacro in Aede Diui Georgij, & Aulae aurei dono, qui honos non nisi maximis victorijs haberi solet, immortalitati commendanda censuerunt. Ac ne nauali quidem gloria ISNARDVS caret. qui vnus & triginta triremium Praefectus Zeni Venetae classis Praefectum Liguria oram excursionibus & populationibus uexantem fugauit.

## L V C A S . F L I S S V S

**A**D toga splendorem, quo nobilissima gens Flisca ceteras Genuenses longe antecit, bellicas quoque laudes inter ceteros addidit LUCAS. FLISCVS. Qui Florentinarum copiarum Dux urbem Pisas maximis rebus gestis, clarissimisq; victorijs, ad hoc late propagato imperio nobilissimam diuturna obsidione pressam, ad extremamq; omnium rerum inopiam adductam ad deditiois necessitatem adegit.

## I A C O B V S . P A S S A N V S

**N**on aduersus armorum modo impetum, sed aduersus pecuniam quoq; vim, quae armis insuperabilia saepe ipsa expugnavit, virtus & fides IACOBI. PASSANI inuicta stetit. Qui bellicam indolem in maritimis rebus a Riccio ex Passani Domini gentili suo haud obscuris facinoribus

moribus olim ostensam ipse longo saeculorum intervallo rettulit, in arce Saonensi ab impetu Marchionis Montis feracis defendenda & patriae conseruanda. Cuius Marchionis acerrima oppugnatione diu sustinuit, cum Marchio crebris proelijs obsessos fatigado, ingentibus mirabilibus tormentis moenia continenter quatendo, operibus arce urgendo, quatuordecim Castellis circa excitatis nullum genus oppugnationis praetermisisset, quae omnia vana expertus ad extremum fidem Passani ingentibus promissis labefactare frustra aggressus esset. Quod egregium facinus cum laude ipsum sua, tum fructu ponderatur. Haud enim dubitatur, quin ea arx parta possessionem Saonae Marchioni fuerit stabilitura. ex qua Urbe Genuam veluti faucibus premere, & ad suas conditiones adducere posset. Patria quidem quanti Passani meritum fecerit, honorifico premio immunitatis tributorum atq; onerum publicorum, quae eius maioribus olim data confirmauit, anniuersariaq; insuper pensione declarauit. qui honos non nisi ingentibus hominum meritis haberi solet.

## L A V R E N T I V S . F O L I E T A

**A**Dmirabilis fortitudinis inuictiq; animi specimen LAURENTIUS. FOLIETA gentilis ac proauus meus in mari oceano edidit. Is enim vnus nauis Praefectus cum in classem septem Anglicarum nauium, quam ducebat Dux Veruichius Regij generis vir, incidisset, in qua mille & ducentos bellatores fuisse constat, cum LAURENTIUM non plus duos & septuaginta habuisse incorruptis animalium monumentis tradatur. Cumq; Angli Genuensem nauem circumstissent, FOLIETA nihil tanta in se incumbente mole animo infractus, sed suos cohortatus, ut aut egregia victoria, aut memorabili morte tetram seruitutem morte ipsa durioerem a se depelleret, atrocissimum praelium multas horas extraxit. Tandem cum Genuenses lassitudine confectos vulneribusq; exagros, octo ex ipsis interfectis, quinquaginta vulneratis, vires magis, quam animus deficerent, iamq; Angli ponte iniecto ascensum tentaret, FOLIETA qui in praelio sustinendo omnes & boni Ductus, & strenui militis partes impleisset, tum quoq; in extrema spe se ipse non deserens, omniaq; circumspectans vnum ex socijs, cuius virtus in primis conspicua fuerat, graui vulnere in iugulo accepto pugna excessisse conspicatus. Ita ne vero, inquit, matre virtute. nunc cum maxime audacia et opera tua opus est, in medio pugnae ardore nos ac te ipse deseris? vulnusq; hominis illo innuente, cum praevi effluentis sanguinis loqui non posset, linamentis,

ut cumque potuit, obturavit. Ille vero securi arrepta asserem, quo pōs innitebatur, magna vi præcidit; ponsq̄, corruens haud exiguum superstantium hostium numerum una secum traxit. qui omnes undis hausti sunt. Cuius spectaculi stupore Angli defixi cum animis obtorruissent, nullum operæ pretium rati, homines, quorum nullo aut labore corpus fatigari, aut terrore animus vinci posset, ipsaq̄, desperatione in rabiem versos ulterius tentare, pugna dirempta Genuensē nauem liberam reliquerunt.

## I O A N N E S . F U L G O S I U S

**T** Res virtutibus simul & meritis memorabilis fratres eadem gens **FULGOSIA** tulit. Quorum Thomas, qui maximus natus fuit, Principatum Patriæ adeptus rem publicam tanta cum prudentiâ, moderationis, æquitatis laude administravit, singularēq̄, suā in Patriā caritatem tot tamq̄, egregijs documentis declaravit, ut eius nomen in sempiterna benevolentia & veneratione Genuensibus esse debeat. At **IO. ANNES** clarissimum incredibilis, atque haud scio, an ulli sæculorum ac gentium memoriæ comparabili audaciâ, simulq̄, militaris astus specimen edidit, ut facinus in omnes partes nobile, nec conatu magis, quam effectu admirabile nulla unquam posteritatis obscuratura sit obliuio. Nam cum **Alphonsus** Aragoniæ Rex Inclytus Bonifacium Corsicæ urbem natura loci inexpugnabilem, præaltæ enim atque undique abscessæ rupi imposita maxima ex parte mari in peninsula modum circumluitur, ingentibus naualibus ac terrestribus copijs circumsedisset: Oppidaniq̄, omnia extrema perpepsi ad summamq̄, omnium rerum inopiam adducti deditioem pacti essent, ni intra certum diem subsidium Genuensium venisset; **Alphonsusq̄**, proinde, ut aditum portus, quæ una erat subsidij introducendi via, Genuensibus intercluderet, catena inter utrumq̄; cornu ducta, eaq̄, trabibus & funibus religata ac firmata ostium portus centum quinquaginta passus circiter patens, cum portus mille passus introrsus sit retractus clausisset; classēq̄, præpotentem trium & viginti triremium ac tredecim corbitarum nauium opportunis locis collocasset, in quibus una fuit ea magnitudine, quæ terrestris arcis instar esset; magnamq̄, bombardarum vim in utroque portus cornu disposuisset, ut neminem sanum eo accessurum, ac munitionem inexpugnabilem tentare ausurum crederet, **IO. ANNES** ne fidelissima colonia, cuius tantæ

tantæ essent rebus Genuensibus opportunitates, in manus hostium veniret, animam pro Patria, cuius dignitas & salus ea in vrbe conseruanda haud in postremis verteretur, profundere non dubitavit; septemq̄, onerarijs nauibus omni bellico apparatu instructis a **Thoma** fratre Duce acceptis, in quas ingens fortissimorum bellatorum numerus conscendit, qui sese eadem deuotione Patriæ obstrinxerunt, e **Genue** portu soluens in conspectum hostium venit, nihilq̄, horribili specie munimentorū deterritus opportunum conatibus ventum nactus cum munitionem inuasisset trabibus ac funibus, quibus catena deligata ac firmata erat, ipso impetu perfractis, catenaq̄, disiecta prælium cum nauibus oppositis commisit, angustijs ostij Genuenses adiuuantibus, ne a multitudine circumuenirentur, quod atrox & diuturnum fuit ab hora tertia ad vespernam extractum, cum assiduis bombardarū ictibus Genuensis classis percretur, aduersus quæ omnia **Ioannis** & Genuensium inuicta virtus stetit. Tandem cum audacia astu & consilio inuanda esset, **Andreas** quidam celebris inter Genuenses nominis vrinator, qui quod sub undis magnum temporis spatium illesus duraret, mergus vulgo appellabatur, **IO. ANNIS** iussu ad prægrandē nauem undis occultatus adnatauit. qui cum funes, quibus anchoræ alligatæ erant, præcidisset, nauisq̄, proinde nullis adminiculis firmata proa conuersa in hanc & in illam partem ferretur, sepeq̄, in Aragonenses ipsas naues incurreret, **IO. ANNES** occasionem arripiens per mediā hostium classē, partim illis stupore audaciæ defixis, partim naui iactata omnia turbante, ac ministeria nautarum & bellatorum impediēte perrupit; & ad initium sinum, ubi bisq̄, crepidinem incolumis penetravit; ac subsidium hominum, & bellicorum apparatum, omnisq̄, generis commeatuum in urbem introduxit. Nec minoris virtutis, minorisue consilij aut gloriæ reditus, quam accessus fuit, nec minore astu Aragonenses sunt elusi. Qui cum bipartitam classē vrrique sinus lateri prætendissent, quo Genuensium classē egressum tentantē mediā acceptam & circumfessam demergerent, **IO. ANNES** veterem nauem picis, sulphuris, bituminis, aliarumq̄, rerum ignem facile concipientium plenam præcedere agmen iussit. quæ classi Aragonensi cum appropinquasset, nautæq̄, superstantes materia incensa in scapham desilyissent, atque igne subito concepto cum vehementi flante vento flammæ late iactatæ ad Aragonensium classē peruenirent, illi appropinquatis pestis metu trepidi, pugneq̄, obliti, quæ cuique proximum & expeditum fuit, in terram desilientes liberum egressum Genuensibus reliquerunt.

B. APTI-



**B**APTISTA vero ut honoribus, ita virtutibus eximius fuisse putandus est. neque enim nisi spectata virtuti alienigenæ præsertim hominis Ludouicus Andegauensis Apuliæ Rex, idemque, Provinciæ Comes summam maritimarum rerum cum insigni Halmirotis titulo detulisset. quod summi honoris nomen in alijs Ciuibus merito Elogio profecti, in Baptista quoque suo præconio ornare debuimus.

## IOANNES. GRIMALDVS.

**C**Larorum virorum virtus non modo publica utilitate est amplectenda, sed sua ipsa dignitate suspicienda. nec minus apud posteros in honore esse debent ij, qui Ciuitatibus suis decori, quam qui vsui fuerint. qualis fuit IOANNIS. GRIMALDI spectata virtus. ob cuius famam ille a Mediolanensium Duce classi præfectus cum præualida Venetorum classe & nauium numero, & pugnantium multitudine, & omnis bellici apparatus copia lōge superiore in Pado fluuio ad Cremonam urbem congressus egregia victoria docuit, Ducis virtutem ceteris omnibus rebus præponderare; Venetis ingenti prælio profligatis et fuis, octo et triginta nauibus, octoq; hominum millibus captis. Nihil me de clari viri fama detracturum existimaui, si illi adiunxissim Georgium Ioannis Baptista filium, cuius mira indoles & incensum gloriæ studium haud dubium faciebant, quin ille, si vita longior cōtigisset, multum lucis Grimaldæ gentis splendori atate nostra additurus fuerit, ac stemmatum numerum virtute sua aucturus, quippe qui nullum tempus inanibus adolescentiæ cupiditatibus, ac iuuentutis lusibus & illecebris dederit, sed omnem vitæ cursum iam inde a primis annis in continuis militiæ laboribus confecerit. Ut etatis anno tertio & trigésimo, quo fato functus est, vnde uicena stipendia sub Maximis Principibus fecisse illū cōstet, honorifico Præfecti munere perpetuo functū. Qua re factū est, ut magnū vsū in rebus naualibus, magnūq; nomē cōsecutus sit varia fortuna vsus aduersisq; rebus nūquā obrutus aut infractus. Virtus ac fortitudo cū multis locis, tū in primis in nauali prælio ad Echinas, quod Turcarū maritimas opes fregit, cōspecta est, cū vim atque impetū triū triemiū in se vnū incumbentium acerrime pugnans nonnullis acceptis vulneribus tam diu sustinuit, donec superueniente subsidio e summo discrimine, cui proximus fuit, ereptus est.

R.A.

**N**on minore gloria RAPHAEL. MONTALTVS insulā atq; urbem Chium in primis fructuosam, commercijsq; opportunam reipublicæ Genuesi conseruauit, quam Simon Vignosius acquisiuit. Atque haud scio an factum MONTALTI eo sit magis suspiciendū, quo maioris dimicatiæ res fuit, ac cum poteuiore hoste gesta. Nam cum Veneti cū præualida octo, & viginti nauium classe, quarum tredecim ingentis magnitudinis carbitæ fuerunt, reliquæ quindecim triremes maioris fere omnes formæ, quas Galeatias vulgo appellant, aliam expeditionem in speciem præferentes Venetijs profecti insulam improviso tenuissent, haud dubia spe urbis campestris non flumine, non fossa cinctæ, neque moenibus valide, tum autem nullo præsidio, ut in nulli tali suspitione firmatæ, primo aduentu, atque ipso impetu potiundæ, copiisq; expositis urbem terra mariq; circumfedisent; Cumq; Ciues resubita & nec opinata trepidi tanto circumstante terrore obtorpuissent, totius coloniæ consensu ad RAPHAELEM rerum summa delata est. qui cum dispositis opportunis locis præsidijs ceterisq; ut cumque potuit in tantis rei et tēporis angustijs preparatis & expeditis sese ac Ciuium animos ad defensionem, atque ad omnia ultima experienda cōfirmasset, complures atq; atrocissimas oppugnationes mira virtute & constantia sustinuit, cum Veneti sæpe cum magna cede ac multis vulneribus repulsi essent; atque etiam ex successu crescente audacia crebris eruptionibus ultro petiti, idq; eo maiore cum laude, quod non vsitato oppugnationum more moenia tentabantur, sed vrbe pluribus in locis ruina moenium, quas bombardæ prostrauerant, patefacta, veluti æquo campo concurrebatur. Postremo cum veneti portu urbis potiti essent; nauibusq; ab ea parte moenibus applicatis maritima quoq; oppugnatione urbem cepissent vrgerē, malisq; nauium altitudinem moenium superantibus ex corribus bellatorum refertis ingentem missilium vim funderent, ac propterea defensores locum illum relinquere coacti essent, hostesq; proinde ad moenia defensoribus undata scalas erexissent, haud dubie in verbum transcensuri, reliquis Ciuibus imminentis pestis specie oculis atque animis obuersante examinatis, cuius vitandæ nulla ratio expediretur, RAPHAEL cum sese non deseruisset, singulari audacia, egregioq; consilij atque animi aduersus omnem formidinem inuicti exemplo periculum discussit. Adiuersa enim urbis parte egressus, delectaq; fortissimorum iuuenum

manu,

manu, quam secum rapuit, circumducta, terga scandentium inuasit. quibus partim caesis, partim in fugam coniectis urbem seruaui. Quare Veneti cum etiam celebris illis temporibus nominis Dux Scaramucia Papiensis, dum in operibus paullo incautius versatur, tragula iectus cecidisset, omnia nequidquam experti, fracto aduersis rebus animo obfidione soluta, irritoque, incepto urbem liberam reliquerunt.

### NICOLAUS. FVLGOSIUS

Quod FVLGOSIORVM suorum perpetuae & contestatae gloriae debuit, abunde reddidisse existimandus est NICOLAUS. qui in ipso adolescentiae flore Patriae classis praefectus Renato Andagauensi auxilio missus arcem nouam Neapolitanam, quae ab Aragonijs tenebatur, praeserta circum fossa ducta, crebrisque castellis excitatae veluti circumvallatam artissima mari terraque obsidione, atque acerrima oppugnatione assidue urgendo ad deditioem tandem necessitatem adiecit. Cumulatur arcis munivissima; quaeque illis temporibus inexpugnabilis habebatur, expugnatae gloria egregijs animi magnitudinis laudibus. NICOLAUS enim nihil Alphonsi tanti nominis ac potentiae Regis cum maximis copijs ad obsidionem soluendam aduertantis fama deterritus, sese ad resistendum duplicato castellorum numero comparauit; in ancipitiq; discrimine positus hinc ab arce, illinc ab exteriore hoste Regis conatus saepe munimenta tentantis irritos reddidit.

### IOANNES. IVSTINIANVS

Quibus virtutibus, quibusque meritis, quibusue rebus gestis IOANNES. IVSTINIANVS ad eum gratia & dignitatis gradum apud Graecum Caesarem ascenderit, ut bellicis rebus tam mari, quam terra cum summo imperio atque honorificentissimo Halmirotis titulo praesceretur, nobis diu quarentibus haud satis compertum est. Egregias certa fuisse virtutes, atque eximia merita necesse est, quae priuatae fortis hominem apud exterum praesertim Principem ad tam altum honoris locum extulerint. verum, ut cetera huius viri obscura sint, Constantinopolis appugnatio clarissimum eius nomen facit, magnumque nobili Iustiniana genti splendorem conciliat. In qua oppugnatione sustinenda cum Mahumetes Turcarum Imperator eam urbem ingentibus copijs

copijs circumdedit, ducenta enim armatorum millia sub signis habuisse scriptores, qui minimum, tradunt, ita omnia, quae sunt imperatorij muneris executus est Iustinianus, ut eius virtute constet, praeclearissimam urbem diu fuisse defensam; nec prius expugnatam in ultimo praelio, in quo Caesar ipse Constantinus fortissime pugnans cecidit, cum amisso imperio, ut tantae maiestatis Principem decuit, nollet superesse, quam Iustinianus graui vulnere accepto, ex quo paullo post decessit, pugna excedere sit coactus. Cuius virtute destituti defensores cum animis cecidissent, Turca omnibus viribus connixus augustissima urbe, atque omnium, quae sub celo sunt, pulcherrima, quaeque immanium substruccionum magnificentia Romanam magnitudinem spiret, orbisque imperij tot saecula domicilium fuerit, sempiterna ac numquam delenda Christiano nomini dedecoris & ignominiae iniusta macula positus est.

### FRANCISCVS. SPINVLAE

DVO. FRANCISCI. SPINVLAE ut nominibus pares, ita eorundem fere temporum aequales coniunctis quoque praeconijs inter se continuandi visi sunt. Alterius igitur Francisci belli & pacis laudibus aequae clari fortunam quidem secundam & aduersam res variarunt, at non gloriam. quae eadem magnos viros letis & asperis rebus comitatur. Bis summus classium Praefectus fuit cum insigni Halmirotis titulo. Prima expeditio felix euasit Catalanis fugatis, nonnullisque oppidis in ora Sardiniae captis. at in secunda offendit a Lauredano Venetae classis Praefecto captus, cum omnes boni Ducis partes tam in pugna instruenda, quam in pugnando cumulate impleisset. At ea, quae consecuta sunt, sine ulla ostensione magna & memorabilia fuerunt, atque ea, quae Patria pro suo iure mecum egit, ut eximio Elogio ornarem, quemadmodum promeritum eximium fuit, cum diceret, sese quidem a multis ex filiis suis defensam, ornatam, auctam, at a Francisco tetro imminente seruitutis iugo depulso ab interitu seruata. Caietanis enim flagitantibus, & in opem confugientibus, cum delecta manu a Genuensibus praesidio missus Alfonsum per acri obsidione Urbem prementem omnia ultima perpeffus constanter tam diu sustinuit, donec obsidio soluta est, Alphonso ad insulam Pontiam a valida Genuensium classe superato & capto. Quibus beneficijs deuincti Caietani Legatis Genuam ad gratias agendas missis cum Francisci prudentiam, virtutem, constantiam, vigilantiam, iustitiam, moderationem magnifica oratione facta dictis

quando ad cælum extulissent, sese in Genuensis populi fidem tradiderunt; Prætorumq; sibi Genua mitti postularunt impetraruntq;, quo interea regerentur, dum communis Mars decreuisset, vtri Regi parendum esset. Quo factò Mediolanensis Dux in Genuenses grauius exarsit, eorū furoris prouectus est, vt Genuam in fidem receptam; fœderum & iurisiurandi religione neglecta in seruitutem redigere decreuerit, atque eodem, quo Mediolanum, & ceteras Longobardiæ Vrbes imperio suo subiunctas loco habere. Quare cum ea de causa castellarum exigua & inualidam arcem munimento amplificato firmare, atque ab ea arce, quæ edito loco posita subiectæ vrbi imminet, perpetuam munitionem per mediam Vrberem ad portum perducere decreuisset, mæroreq; attoniti Ciuēs potius libertatem in perpetuum complorarent, quam aduersus tantī Principis opes totī Italiæ formidolosos oculos attollere auderēt, qui etiam superiora vrbis loca præsijs & numero & genere firmissimis obrineret, vnus Franciscus generoso animi impetu incitatus caput pro patriæ salute tanto discrimini obijcere non dubitauit: manu enim clientium & amicorum corrogata in publicum prosiliēs Ferro, inquit, ciues & audacia tetrum seruitutis iugū, quod vobis & liberis vestris Tyrannus parat, discutiendum est. Agite quicumque rempublicā seruauit cupitis, me libertatis auctorem sequimini. Qua voce simulq; auctoritate tanti viri Genuensium consopita studia excitata ad liberatē recuperandam subitis & ingentibus motibus exarserunt. Armis igitur arreptis Franciscum Ducem secuti præsidium inuadunt, lōgōq; & cruento pralio tandem superatum, vnaq; cum illo Triuultium Vrbs Præsidem obruncant, atque arce paucis post diebus recuperata sese in libertatem asserunt. Quanta in caritate clarus vir apud Cæteranos fuerit, quamq; iusti, & moderati imperij memoria alte illis insederit, in eius obitu declararunt mutatione vestis & monumento egregij sepulchri e marmore antiquo opere Genuā missi, in quo conditus est.

F R A N C I S C V S . S P I N V L . A C O -  
G N O M E N T O . M A V R V S

**V**ICTORIA de Gallorum classe ab altero Francisco Spinula cognomento Mauro Genuensis classis Præfetto in sinu Rapallēsi parta non quidem genere ipso & magnitudine contēnenda fuit, tota classe Gallorum, quæ fuit decem triremium, dnoꝝque ingentū Myoparonū simul cū Miolantio ipso summo maritimarū rerū magni nominis Præfetto

fecto capta, ingentiq; ac magni pretij parta præda, Opulenta enim Neapolitana omnia fere spolia ac quidquid Regiæ suppellectilis & argenti ac pretiosæ vestis redactum & in classē impositum fuerat, in Galliam deuehendum, in manus Francisci venit: qui maximam partem captarum rerum militibus ac nauticis laborum & discriminum socijs singulari in eos caritate atque liberalitate vsus large partitus est. ceterum non eo solum fructu æstimanda est, & inter magnas numerada, sed illo longe maiore, quod ad eius victoriæ nuntium obsidio Genuæ soluta est. quæ quam periculosa atque vrbi terribilis fuerit, præter copias neque numero neque genere contemendas, quæ partim iam conuenerant, atque urbem premebāt, partim expectabantur mox adfuturæ, ac præter summum ac maximū ea tempestate nominis Ducem Bre-scium, declararunt præcelsi fastigij viri, qui rebus gerendis præfuerūt. quorū Principes fuerunt Iulianus Roboreius formidolosi ac clarissimi nominis Cardinalis, ac Paulus Fulgosius ipse quoq; Cardinalis, ac factiois Fulgosia Princeps, quæ dimidiā Ligurię partē secum trahebat.

I A N V S . F V L G O S I V S .

**C**umulat haud dubie clarę gentis suę stemmata virtute, & dignitate sua IANVS FULGOSIVS. cui graue inflictum vulnus in bonum & decus verit. Neque enim principatu Patrię deiectus in hominum contemptu & in solitudine ignobili exilio consenuit, sed a Venetijs illustri honore exceptus in summo bellicarum rerum imperio ob consilium, fortitudinem, virtutem multis locis conspectam positus est. qui honos vel non nisi magnarum rerum gestarum gloria claris viris, vel insignis Imperij titulo fulgentibus haberi solet.

F A B R I T I V S . B A P T I S T A . G A -  
L E A T I V S . I V S T I N I A N I

**Q**UIS FABRITIUM IVSTINIANUM non inter memorabiles viros locandum ducat? cuius virtus ac fama ita enituerit, vt post fortē & fidelē multos annos Genuę patrię nauatam operā, cuius classis sumus Præfectus fuit, Villamarino celeberrimi ac formidolosi nominis eo tēpore maritimo Duce superato, ab Hispaniæ Regibus celsissimis vltro accersitus, honorificentissimis conditionibus multos annos sub illis stipēdia fecerit, meritorūq; gradibus, ac rerū gestarū commen-

darione id sit cūsecutus, ut idē munus BAPTISTAE & GALEATIO filijs continuatum sit, postquam ipse in Vrbe Chio fato functus esset, auctoritate gentis suae Iustinianae in ea insula stabilita, aduersarijsq; qui omnia ad se trabebant, eius in primis opera & consilio expulsis. Mandato autem muneri filios virtutem & animos aquasse, declararunt cum multa singularis consilij & audacia compluribus locis conspecta facinora, tum satis amplae Castellorum ac populorum ditiones, quibus spectatam fidem & operam Iustinianorum fratrum Reges remunerati sunt, cum etiam BAPTISTA. IVLII secundi Pontificis Maximi summus naualium rerum Praefectus fuerit. Neapolitana vero clades postremo accepta tantum abest, ut de GALEATII fama quidquam detrahat, ut ad extremum in gloriam etiam verterit. quippe qui Hugonem a Moncada in Regno Neapolitano Caesaris Vicarium cum ingenio ferocem & in consilijs rapidum, tum aspectu tot clarorum Ducum & delectorum militum, quibus classē affatim refertā habuit, elatum a praelio cum Genuensibus confrendo magnopere deterruit, quos rerum naualium scientia & vsu longe dixit praestare; ad hoc aspero fluctibus mari iactatione & nausea victos milites pugnae inuites futuros, quibus rebus nauales Genuensium socij numero superiores nihil laderentur. Quin etiam cum duae ex hostilibus triremibus sese a reliqua classe segregare, & altum petere visa sunt, ceteriq; illas fugere latris plausibus & clamoribus sublati effuse letarentur, illas fugere vir scientissimus, longoq; vsu doctus asseueranter negauit, sed secundi venti fauorem querere affirmavit. quae res latitiam illam temere conceptam mox in luctum conuerteret. Verum prauum consilium magis non probare, quam Regium imperium non sequi potuit Iustinianus. qui quae Ducis fuerunt partes in prouidendo & monendo, eas egregie praestitisse existimandus est, aduersa pugnae euentus alienae inscitiae & temeritati assignandus. Ut quidem existimavit Carolus Quintus Caesar Princeps sapientissimus, qui conspectam in ea clade GALEATII virtutem & consilium ampliore honoris titulo ornandum duxit summa Regni Neapolitani naualium rerum Praefectura illi mandata. Ut omit tam Iustinianum praelio commisso, quod militaris muneris fuit, strenue ac fortiter fecisse, triremi, cum qua congressus est, superata ac mox deprimenda, ni duabus superuenientibus triremibus, quas speciem fugientium initio praebuisse diximus, fortuna pugnae versa esset. Paternae & auitae virtutis GALEATIVS Galeatij filius in ipso aetatis flore gemulus fuit compluribus stipendijs factis, egregiaq; opera in bello Corsico

Genuae

Genuae Patria nauata, quae merita illustri gratia Patria excipiens triremium Praefecturam, quae quattuor fuerunt, summamq; maritimarum rerum illi mandauit. in quo munere obeundo ad Oranum & Pignorum ita se gessit Galeatius, ut tot maiorum indoles multis haud obscuris signis in adolescente apparuerit. quorum illud silentio haudquaquam praetereundum est, quod Francisco Mendozae Regio summo Praefecto constanter resistit, locumq; sibi assignatum ut inferiorem honoris titulo, in quo positus erat; perseueranter recusauit, tamq; diu in generoso incepto perstitit, quoad Regis ipsius litteris & iussu suis illi locus proximus a Regia Praetoria est tributus. Neque vero FRANCISCVS & RAPHAEL. IVSTINIANI fratres gentilitium decus modo rettulerunt, sed etiam cumularunt ijs in bello Corsico editis incredibilis audaciae ac viuidi animi, eximijq; consilij facinoribus, ut nullius nomen aequae ac IVSTINIANORVM. FRATRVM Corsis esset formidolosum, celebris nominis ordinum Ductore, eodemq; strenuo & fortissimo milite, quo auctore Corsi rebellauerat, quiq; toto Corsico bello caput rerum fuerat, cognomento Sancto Petro caso. Quarum rerum fama ad externos delata Venetos impulit, ut Raphaeli vltro euocato per ampla militaria munera mandarint. quae ita sustinuit RAPHAEL itaq; expectationi respondit, ut Veneti meritorum gratiam non litteris modo honorificentissimis verbis conscriptis, sed praemijs quoque testificati sint. Idem Corsicum bellum non minus LEONARDO. IVSTINIANI Dominico Patre forti & egregio viro honorificentissimq; militiae muneribus vsu orti nomen fecit insigne. Ut virtutem Terminus etiam in hoste amplexus ad Gallorum stipendia hominem vltro accersierit. Neque Gallos consilij penituit opera Iustiniani cum multis locis; tum vero ad Portum Gratiarum forti ac fideli experta, id quod honoribus & praemijs declararunt.

STEPHANVS. ET. LAURENTIUS  
MUTINI

Cum multa fortitudinis, audaciae, consilij egregia facinora; quibus STEPHANVS. MUTINVS non obscuri nominis Liguria opido Monelia ortus nomen suum toto mari mediterraneo celebre, hostibusq; in primis formidolosum fecit, tum summi honores a sumis Principibus vltro delati memorabilem illum posteritati faciunt. Quem Alexander VI. Pont. Max. ea natione ortus, quae veteri execrabilisq; odio a

odio a Liguribus dissideat summum tamen maritimarum rerum Praefectum creavit . in quo munere gerendo ita MUTINI fortis & fidelis opera conuit , vt Iulius secundus successor grauium inimicitiarum inter ipsum & Alexandrum tam illustribus contentionibus iactatarum immemor conspectum virtutem etiam in hominibus aduersarum partium amplexus eundem honoris titulum LAURENTIO filio continuerit . qui non minus in paternam virtutem , quam in muneris & honoris locum cum successisset , ipse quoque nomine suo clarorum Ligurum numerum auget .

## B A L T A S S A R . B I A S S I A

Celebre nobilissimi portus Lunensis & circumiectarum regionum Emporium Spedia oppidum agrum bonitate , commercij maritimis , omnibusque naturae & industriae bonis circumfluens nulla re magis gloriatur , quam alumno suo BALTASSARE . BIASSIA . cuius memoriam eadem , quae Mutinum virtutes , idemque honoris titulus immortalitati commendat . complures enim annos haud segni aut inutili nauata opera sub Iulio secundo meruit ipse quoque summam naualium rerum Praefectus . quem Ioannes filius duarum triremium dominus ita emulatus est , vt eundem honorem quem tempora illi negarunt , virtutibus debitum vulgo fatrentur .

## Z A C H A R I A S . S P I N V L A

Victoria a ZACHARIA . SPINULA copijs quibus concursum est , perquam exigua sane fuit , ceterum documento virtutis ac fructu maximis aequanda . in maioris enim rei discrimen , quam ipsa fuerunt concurrentes naues , pugnatum est . Nam cum Vincentellus Istria vir strenuus atque impiger , ac facinoribus insignis , tum autem magna apud Corsos suos auctoritatis magnarumque clientelarum eisdem Corsis indomito ingenio genti , ac nouarum rerum semper auidae auctor defectionis fuisset , Corsicamque omnem praeter Caluum ac Bonifacium oppida aegre a praesidijs defensa in potestatem suam redegit , eo audacia prouectus est , vt duabus triremium omni bellico apparatu ac nautico instrumento , tum autem egregia pugnantium ac naualium sociorum manu affatim instructis oram Ligusticam excursionibus & latrocinij infesta faceret , ac pene urbem ipsam premeret . Qua indignitate commotus Zacharias praesidiarum Genuensium Praefectus cum triremium , quam tum vna secum forte habebat , cum hoste tanto viribus superiore

manuum

manum conferere non dubitauit ; isque acerrimi & cruenti proelii exitus fuit , vt ambas hostiles naues simulque Ducem ipsum ceperit . qui Genuam ductus inter plausus & acclamationes exultantis populi audacia & praecipitia consilia capite luit . Cuius victoriae ac perempti Ducis fama exortos tumultus compressit : Corsosque ad officium & fidem reuocauit , Genuensi populo letante , Spinulam felici audacia sua illud negotium Patria momento temporis confectum dedisse , quod longi temporis , magnique laboris , futurum fuerat , magnaque hominum & pecuniarum impensa Genuensibus staturum . Eadem indoles , eademque animi & viuendi ingenij vis etate nostra conspecta est in Paulo Baptista Spinula . Cui omnis adolescentia , ac prima iuuentutis tempora in honorificis stipendijs cum maximis Regibus faciendis , egregijs audaciae facinoribus assidue edendis fuit . quorum duo illa insignia in primis sunt . Alterum , quod magna seditione & populari tumultu ingentibus motibus in Eduardum Angliae Regem excitato , cum conuersionis Duces maximis contractis copijs Regem , vt in re non ante prouisa , ab omnibus rebus imparatum peterent ; Londinorumque propinqui facti mox in Regem & in Aulam impetum facturi essent , Paulus Baptista , qui tum forte sub eo Rege merebat , ducentis circiter armatis raptim contractis , quorum magna pars Itali fuerunt in illius gratiam commoti , ponte quodam , per quem necessarius res nonantibus transitus futurus erat , occupato illorum impetum repressit ; pontemque inuitis hostibus , atque ipsum omnibus viribus deturbare nitentibus tam diu tenuit , donec superueniens nox illos irrito incerto pedem referre coegit , quos incompositos & inordinatos abeuntes Paulus Baptista occasione oblata vtens insecutus & adortus profligauit & distecit , magna illorum edita caede . Qua re factum est , vt Regi tempus daretur comparandi . Qui egregij facinoris promeritum Paulo Baptista equestri ordine & equestribus insignibus ornato ; ad hoc honorifico anniuersario vestigali donato , cum Elogio amplissimis verbis scripto testificatus est . in quo proficitur , sese ope & audacia Pauli Baptista magno discrimine ereptum . Alterum illud haud praeterendum facinus fuit , quod nobilem Gallum ab ipsomet , & cohorte ipsius , dum in obsidione Bononiae Picardorum , quam tum Urbem Angli tenebant , audacibus eruptionibus hostem vexat , captum , cum ille sese Anglo potius hosti , quam Paulo Baptista Italo tradidisset , contemptumque de Italis loqueretur , ad singulare certamen prouocauit , ardoreque stolidae arrogantiae retundendae acres stimulos animo admovente , pecunia in pretium redemptionis

corrogata

corrogata in Angliam aduolauit. At Rex oblatum pretium remittens Gallum gratuito liberauit; quin etiam eximio equo ac peramplo viatico egregium iuuenem donauit, perhonorifico addito Comitatu. Cumq; Gallus a Proceribus ipsis Gallis turpitudinem caussa detestantibus retentus ad constitutum diem in loco destinato ad rem ferro decernendam non apparuisset, Paulus Baptista discessit, is, qui ad spectaculum conuenerant prosequentibus, assertoremq; Italici iuris acclamantibus. quem Rex ob editum specimen virtutis ampliore honore affecit, gentilitio rose insigni illum impartitus. Egregij iuuenis miserabilis casus in expugnatione Theodoni Ville exanimati magnarum rerum inchoatam spem interrupit.

### A M B R O S I U S . N I G R I U S

**P**refulget in primis AMBROSII. NIGRI gloria, quem duplex laus & bellicarum rerum, & continentiae, iustitiae, moderationis immortalis facit. In Corsis enim rebellantibus armis compefcendis & perdomandis: prouinciaq; magno motu ad bellum consurgente pacanda omnia egregij Ducis munera cumulare impleuit. Vt clarum virum Genuenses honorario anniuersarij vectigalis, statuaq; publica raro in ea Ciuitate honore decorandum cęsuerint. Idemq; quae longe clarior est victoria, indomita & cõtumacia Corsorum ingenia iustitia & continentia sua vicit; quodq; iugum a semet vi & armis impositum illos patienter coegit ferre, caritate sui effecit, vt etiam libenter ferrent, Patronumq; AMBROSIIUM sibi asciscerent, in eiusq; praesidium aliquibus iniquitatibus prementibus Genuam confugerent. id quod ex cõpluribus grauib; viris pro re comperta cognoui.

### I O A N N E S . E T . L E O N A R D V S R O B O R E I I

**G**ens Roboreia e Subalpinis Taurinis nobili & peruetusto genere oriunda, cum in Liguriam commigrasset, sedemq; sibi ac patriam Urbẽ Saonam delegisset, pacis artibus ac togæ studijs in eum honoris gradum conscendit, quo nihil in rebus humanis est altius. in quo positus IULIUS rerum gestarum & meritorũ magnitudine id affecutus est, vt Sacerdotũ ordo, Italiaq; Patria, cuius dignitatis et libertatis acer vindex ac perpetuus vindex fuit. nihil habeat ( de hominibus nostrę ac patrum

patrum nostrorum ætatis loquor) ad memorię venerationem sanctius. Tantum gentilitiũ decus emulati sunt viri bello illustres IO. ANNES & LEONARDVS quorum Ioannes Urbis Praefectus, ac summos militares honores adeptus vehementi viuidoq; ingenio, expedito animi vigore, prompta & ad pericula imperterrita audacia laceffendo, instando, vrgendo, omnibus locis occurrendo, cum neque sibi, neque hostibus vllam quietẽ daret, fama nominis sui totam Europã impleuit; fecitq; vt nemo sua ætate acrior bellator haberetur. Leonardus vero iisdẽ honoribus ac militia muneribus vsus egregiã quoque laudẽ nomini suo peperit, vir ingenio remissior, ceterũ consilio non inferior. Quem fortunę quoq; amplitudine & Regia affinitate clarũ (Regis enim Neapolitani filia in matrimonio habuit, atq; vna cũ illa Ducatũ Sorę accepit) clarissimus filius FRANCISCUS. MARIA splendore suo clariorẽ facit.

### H I E R O N Y M V S . R I A R I V S

**N**ON tam affinitati, quàm virtutibus HIERONYMI. RIARI Comitis Boschi & Chariatis Xystum Quartum nobilissimas vrbes Forum Corneliij, quae nunc Imola appellatur, & Forum Liuij fiduciarias dedisse, declararunt summi honores a Maximis Principibus illi habiti, peramplaq; militaria munera mandata. Nam Regni Neapolitani Comes stabuli fuit. qui militaris honoris titulus a Regibus ipsis proximus est: Praeterea summæ rerum bellicarum a Romana Ecclesia, & a Veneto Senatu praefectus est. quod munus Gubernatorem Generalem vocant. Adhoc Mediolanensis equitatus Magister fuit. Quis igitur non in Elogijs nostris HIERONYMVM præcelsum locum iure dicat tenere, quem etiam illustres affinitates Medicia; Roboreia, Sfortie gentis Catharina Ludouici Mediolanensis Ducis filia vxore ducta, conspectum faciant?

### F R A N C . M A R I A . R O B O R E I V S

**Q**VO te primum honoris titulo insignem faciam FRANCISCE ROBOREI. FELTRI? aut in quo Elogiorum nostrorum ordine locem? Profecto multiplex virtus tua in tot sese partes fundit, vt nullus sit in quouis genere locus, quem illa non occuparit. Si enim rem militarem spectemus, quis ad illam maioribus natura & industrie praesidijs instructior fuit? Cuiusue maiora & expressiora ingenij, consilij, fortitudinis,



itudinis, constantia signa exiterunt? quis in bellis gerendis plures edidit imperatorias artes? Ut Italica militia iure parens habitus sis. Iam vero quis non horreat tantam in tuam pernitiem incumbentem molem, quam tu una virtute, constantia, audacia non solum sustinisti, sed etiam discussisti, patria Ditione aduersus opes summis ipsis Regibus formidolosos recuperata? Quod si ad pacis artes animum conuertamus, cuius in populis sibi commissis regendis iustitia, continentia; equitas magis eluxit? Ut in tantis corruptissimi seculi tenebris vnus exiteris, qui veterum illorum Principum, tanto post interuallo imaginem nobis retuleris, XYSTO QVE & IVLIO tantis patris te dignum ostenderis. Quibus virtutibus tanta in caritate cum populis tuis fuisti, vt nemo illorum esset, quin pro tua salute & dignitate sua & liberorum animam depacisci cuperet. Merito igitur Diuini Numinis fauor in te extollendo virtutes tuas acceptas habuisse ostendit, qui tibi in nobilissimam Feltriam gentem, & in successionem Urbinatis Ducatus ascito latissimum, in quo eximia virtutes tue excurrere possent, campum dedit.

## F A B R I T I V S . C A R R E T T V S

**D**Eclarauit F. ABRITIVS. CARRETTVS, nullum esse insignem honoris titulum ex ijs, ad quos ex virtute gradus fit, ad quem Ligurum virtus non ascenderit. Magnus enim Hierosolymitani equestris ordinis Magister fuit. Qui praeceps dignitatis locus vt multis Regibus de opibus & de imperio concedit, ita ea re est superior, qua in omnibus humanis rebus longe principem locum obtinet. nam ceteri Principatus vel generi tribuuntur, vel felicitate sepe acquiruntur. quo fit, vt ignauissimos homines, atque etiam sceleribus opultos regnantes quandoque videamus. at is locus, cum vnus sit ad illum virtutis ascensus, nemoque nisi meritum & officiorum gradibus documentumque, sui dando ad illum perueniat, eos, qui illius compotes fiunt, non solum parvo honore illustrat, sed quod longe praclarior est, honore dignos ostendit.

## G E O R G I V S . A D O R N I V S

**N**Ec pretereundus nobis fuit GEORGIVS. ADORNIVS quem Hierosolymitana instituta ipsum quoque professum non minus conspecta virtus, quam clarum genus illustrat. Cui fortuna summum Magistri imperium adimere quidem potuit, merita omnium consentiente iudicio

iudicio tanto honori paria adimere non potuit, cum tamen honorum expertus omnino non fuerit summus maritimarum rerum Praefectus, qui bonos a magno Magistro proximus est.

## O C T A V I A N V S . F V L G O S I V S

**O**C T A V I A N I . F U L G O S I I ingentium meritorum atque eximiarum virtutum recordationem perpetua grati animi veneratione prosequi debes Genua Patria. Cui viro cum totius Italiae consensus consilij, prudentiae, fidei, constantiae, religionis, animi magnitudinis multis aduersis rebus infraacti, virtutum omnium clarissimum testimonium semper dedit, tum tu illas in primis in Principatu experta es. quem ille adeptus tanta cum moderatione gessit, vt innumericis praestantis virtutis documentis assidue edendis, id quod perraro ac vix vquam auditum est, affectus sit, vt in ardentibus Ciuium inter se odijs, partiumque vigentibus studijs non minus aduersus, quam suae factionis, cuius ipse erat caput, voluntates teneret, omnibusque aequae carus esset. Singula persequi non breuis Elogij, sed iustae historiae opus fuerit. Illud tantum vnicui exempli atque eximiae in patriam caritatis facinus silentio praeterire nefas ducerem, quod cum arcem munitissimam, ac portum imminentem de Gallis post lentam obsidionem tandem receptam in potestate haberet, qua veluti Genuae compede gentis suae Fulgosi opes firmare perpetuumque fortasse opulentissimae ac praepotentis in rebus maritimis vrbis imperium sibi posterisque suis posset stabilire, illam continuo sceleratorum dissuadentium oratione auribus non admissa demolitus sit, cum in omnibus fere rebus Raphaelis Ponsoni consilio vteretur, qui vir honorifico Senatus scriba munere relicto cum procul ab omnibus Ciuilibus curis, vitaeque huius ambitione abcessisset, totum se Diuino cultui dicauit in sacerdotum ordinem cooptatus. Huius viri pietas, innocentia, religio cum singulari prudentia coniunctae ita enituerunt, vt earum fama patriae fines egressa in Romanorum Pontificum notitiam venerit, qui multa de religionis rebus saepe cum illo per litteras conferre maiestate sua haud indignum duxerunt. OCTAVIANVS quidem eas virtutes familiaris usus cognitas ita suspexit, vt hominem apud se perpetuo haberet; illiusque consilio plurimum tribueret. Patris memoria haud parum virtute sua honorat Andreas fratris filius tanta tamque multiplici eruditione conspectus, vt medicinae scientia, qua in primis excellit, minima in illius comendatione partem obtineat. quippe ad quam eximia Philosophiae &

virium ac naturę herbarum intelligentiã addiderit : in Mathematicis vero disciplinis eos habeat progressus , vt nemo illum etate nostra antecedit , quã paucissimi euent . Ceterum OCTAVIANI , vt ad incœptum redeam , bellicę laudes ciuiliũ rerum gloriam non parum ornarunt , cõpluribus stipendijs sub maximis Principibus factis , honorificentissimisq̃ , muneribus illi mādatis . quibus ille se parē sēper ostendit .

A V R E L I V S . F U L G O S I V S

Tanto parente sese dignum ostendit AVRELIVS filius , quo nemo nostra etate maiore in militaribus rebus intelligentiã esse existimatur , per amplis muneribus a magnis Principibus delatis vsus . in quibus gerendis ea multis locis sui documenta dedit , vt quod nomini hominumq̃ , expectatiori dare , quodq̃ , tot illustrium maiorum contestatæ laudi reddere debuit , plane præstitisse dicendus sit .

E M A N U E L . C A B A L L V S

Quis EMANUELIS Caballi ardorem , patrięq̃ , caritatem incredibilis audaciã facinore suscipiendo non laudibus in cælum ferat ? quis generosum animi impetum non admiretur ? quem non caeca temeritate excitatum , sed a sapiente consilio profectum felix euentus docuit . nam cum Galli arcem natura loci munitissimam , at que adeo inexpugnabilem firmissimo presidio tenerent , qua in præcelso promontorio sita portuique imminente Urbem Genuam maritimis commeatibus clausam , Genuensiumq̃ , libertatem eo veluti compede constrictam tenerent , obsidionemq̃ , terra ac mari in sextum decimum mensem extraxissent , tandem extrema omnia perpeffi , ad summamq̃ , omnium rerum inopiam ac deditiõnis necessitatem adacti essent colloquijs ea de re iam institutis , ecce oneraria in remotissimis Oceani littoribus occulto comparata commeatumq̃ , ac bellicorum apparatus omnium generis referta cum in alto apparuisset , terręq̃ , appropinquans speciem primo præbuisset ad classẽ , quæ arcẽ obsidebat , at que ad nauim , quæ erat in statione , tendentis , propinquior facta secundo uento vtens cursu ad arcẽ flexit . quã classe elusa incredibili felicitate tenuit , promontoriq̃ , crepidini ponte prolato coniuncta est . Quo spectaculo ijs , qui erant in speculis , percussis & exanimatis , cum nuntius tota vrbe pernaisset , magnoq̃ ; cõtinuo luctu excitato , trepidi Genuenses ac mærore  
amentes

amentes tota vrbe discurrentes alij alios rogantes consilij inopes factum patriæ lamentarentur , desponsuriq̃ , animum essent , Emanuelis Caballi Diuina virtus abiectos excitauit , ac saluti desperare vetuit . Is enim veluti mente Diuinitus tacta in medium procedens . Non mulieribus , inquit , fletibus Cives , in quos vos turpiter abieciſtis , imminens patriæ interitus est prohibendus , sed audacia discutiendus , nauisq̃ , a Magistratu impetrata ad circumfusam turbam , nobiliumq̃ , adolescentium globum conuersus . Macti , inquit . virtute . qui Patriam seruatam , & a perpetuo seruitutis igno liberatam cupit , nauim hanc mecum conscendat . Qua adhortatione incitati multi & primæ nobilitatis & omnium ordnum Iuuenes salutis ac libertati patriæ animam deuouentes nauim conscenderunt . quam directã in arcem prora , plenisq̃ , velis ad sese euntem ex superiore loco conspicati Galli , temeritatem hominum integrã mente haudquaquam vtentium , atque desperatiõnẽ ipsa sese in voluntariam & apertam mortem proyicientium irridentes bombardis nauim petere cœperunt , breui haud dubie deprimeudam . quarum ictibus veluti creberrima grandine nauis saepe multis in locis percussa , superstantiumq̃ , nonnullis exanimatis , nonnullis a resiliensibus asseribus sopitis , Emanuel nihil atroci & formidoloso spectaculo ab audaci incœpto deterritus vir rerum nauticarum longo vsu peritissimus vento apte ad incœptum flante , nauim suam inter arcem & applicatam alligatamq̃ , scopulo Gallorum nauim insinuauit , funibusq̃ , præcis in nauem ipso impetu ab arce abstractam impigre primus insiluit , fortissimis iuuenibus consequentibus ; Ducq̃ , ac superstantibus Gallis miraculo audaciã obstupefactis , cum nonnulli , qui sese in mare proiecerunt , vndis hausti essent ; nauem captiuam ab arce abduxit , in vrbeq̃ , tantæ virtutis edito facinore reuersus ingentibus omnium ordinum atque etatum plausibus exceptus , matronis etiam ad habendos honores & gratias agendas effusis ; cunctisq̃ , prosequentibus , ac seruatorem & liberatorem patriæ acclamantibus domum reductus nomen suum in primis memorabile ac grata recordatione Genuensibus tanto beneficio obstrictis perpetuo colendum reliquit .

A N D R E A S . A V R I A

Non veterem modo gentis suæ Auriæ , qua nulla Ligusticarum rebus bello gestis clarior vquam fuit , gloriam rettulisse ANDREAS est existimandus , sed hoc vno saltem superasse , quod illorũ opera patrię Genuę fere nauata est , ANDRÆAE virtus toti Europę  
illiusq̃

illiusq; maximis Principibus vsui & ornamento fuit. *Classium enim Pontificij solij, Regis Francorum, Caroli Caesaris, Philippi filij Hispanie & vtriusq; Sicilia Regis cum summo imperio Praefectus, multis & praeclaris virtutis, audaciae, fortitudinis, consilij facinoribus assidue editis, summis discriminibus aditis, compluribus victorijs partis, classibus deletis, vrbibus expugnatis ad eum gloriae, atque in rebus maritimis potentiae gradum peruenit, vt nullius suae aetatis Ducis nomine clarius fuerit, remotissimisq; nationibus notius aut formidolosus. ad quod fastigium ex humili & tenui fortuna, in qua natus est, quamuis genere nobili ac claro ortus nullis externis opibus subnixus, sed laboribus tantum suis, ac meritorum gradibus peruenit, virtute & fortuna de homine extollendo inter se certantibus. Ut omittam praemia Principatus Melphic & torquis Burgundici ordinis a Caesare data, quae quamuis ampla & honorifica, splendore tamen clarissimi viri obruuntur. Sed nulla res Andreae nomen aequae commendat, atque eximia Patriae caritas. Nam cum Galli Saona occupata arcem sibi in media Liguria fecissent, qua Genuam faucibus oppressam tenerent, neque vt illam restitueret, vllis Andreae precibus fide promissorum obtestantis possent adduci, Andreas cum multis priuatis iniurijs, tum vero hac publica stipendia illis remnitiare coactus illos Genua expulit. Verum non ea tantum de causa Patriae libertatis assertor dici debet, sed quod illius opibus, opera, consilio Saona e Gallorum manibus extorta sit, iugumq; durissimum cervicibus imminens discussum. sed alterum quoque est Andreae in patriam haud leue promeritum, quod emendatum reipublicae statum, concordiamq; ciuium, sine qua libertatem ipsam breui cecidere, atque omnia ruere necesse fuisset, potentia & auctoritate sua firmavit et stabilivit. Ceterum bellicae Andreae laudes non tota vnus sunt, sed cum militibus, nauticisq; socijs, quorum opera & ministerio in egregijs facinoribus partandis vsus est, necessario commemoranda: illius virtutis neminem habet socium, quae summa fortunae perraro comes est, hoc est eximia animi moderationis, singularisq; clementiae. quippe qui cum Genua omnia posset, Genuaq; illius opibus in primis niteretur, neq; communi, neque priuata cuiusquam libertati grauis fuerit, neminemq; vnum aut in re, aut in sanguine lesit; tantumq; ab inferendis iniurijs abfuerit, vt contra nullas iniurias vnumquam vltus sit, cum illarum auctores Genuae obuersantes nutu euercere posset. Iure igitur Genuenses Andreae seruatae ac liberatae patriae statua publica testimonium dederunt, iustius parentis patriae memoriam grato animo sempiternaq; veneratione culturi.*

PHI-

## PHILIPPUS. AURIA

**Q**uamuis clarorum virorum, quos plurimos Auria gens tulit, PHILIPPVS temporum ordine in postremis sit; minoribusq; copijs quam veteres illi pugnauerit, eximia tamen virtus & fortitudo, reiq; gesta magnitudo in primoribus illum collocat. quippe qui cum Caesariana classe in Salernitano sinu congressus sit. in quam quidquid floris ac roboris in Caesariano exercitu fuit, conscendit. cum strenuissimus & spe etatissimus quisque miles carptim ac nominatim delectus esset, atrocissimo praelio, incertisq; Marte diu extracto. in quo tanto irarum certamine res gesta est, eaq; sunt vtriusq; edita virtutis, fortitudinis, incredibilis constantiae exempla, vt in classe Genuensi omnes fere milites ac Praefecti & nauales socij aut pugnantes ceciderint, aut ex mortiferis vulneribus acceptis paulo post decesserint; in nonnullis vero Caesarianae classis triremibus septies signiferi sint mutati, cum alius alij occumbenti, deinceps succederet. Philippus igitur clarissimam tandem victoriam peperit classe hostili deleta, Hugone a Moncada clarissimi nominis Duce in Regno Neapolitano Caesaris Vicario interfecto, Ascanio Columna, Alphonso Daualo, ac compluribus Proceribus summeq; nobilitatis viris, quorum ingens vis veluti ad certam & exploratam victoriam classem conscenderat, captis.

## VICECOMES. CICADA

**N**on suis tantum laboribus & meritis Andreas Auria patria & Christianae Reipublicae profuit; neque praestantes illius virtutes ex fuerunt, quae ipsum solum clarum facerent, verum ex eius disciplina praeter eos, quibus classis & summa rerum commissa est; suis sigillatim Elogijs decoratos, complures alij cum ex vrbe Genua, tum ex omni Liguria ora prodierunt, quorum nomen bellicae virtute ac nauali gloria multisq; egregijs facinoribus non in Liguria modo memorabile est, sed in exterorum quoque Principum, atq; in ipsius Caesaris notitiam venit illustri fauore ac praemijs exceptum. quos singulos persequi infinitum fuerit. Duo mihi erunt eximij, vt ipsi quoque virtute eximij fuerunt Vicecomes Cicada, & Christophorus Pallaucinus. **VICECOMES** igitur haudquaquam equali egregijs virtutibus fortuna vsus ad summos honores non peruenit, quibus illum dignum ostenderunt complura incredibilis audaciae & fortitudinis facinora. in quibus illa memorabilia in primis

in primis fuerunt, cum in prima adolescentia in nauali clade à Gallis, cum quibus stipendia faciebat, ad portum Delphini in Ligustico mari accepta, ipse, ut erat, lorica indutus, signum e manu signiferi arreptum in mare sese proiciens annatans prægrauantibus armis, hostibusque, ingentem telorum vim superne ingredientibus, quibus pene obrutus fuit; tot iniquitatibus superatis incolumis seruauit; vel cum vnâ tantum triremem habens cum tribus biremibus piraticam facientibus numero & genere bellatorum firmissimis longo & atroci certamine congressus æquo Marte discessit; vel cum fracta nauis ad littus Africæ cum cohorte militum & naualium sociorum eiectus hostilem nauem pretiosis mercibus refertam, quæ nauem eiectâ ab alto conspiciata ad eam spoliandâ accurrerat, astu & cõsilio cepit. Vir igitur virtutibus & meritis, quâ honoribus insignior ab hominû obliuione scriptis nostris vindicandus fuit.

C H R I S T O P H O R V S  
P A L A V I C I N V S

**A**T CHRISTOPHORVS Palauicinus, ut omittam multa audacia, fortitudinis, virtutis multis locis data documenta, cum Turcæ Coronen Peloponnesi maritimam urbem arctissima obsidione premerent, eamque terrestribus copijs ac validissima ducentarum nauium classe, quarum maxima pars longæ erant, terra marique, veluti corona cinxissent; omnesque maritimi aditus firmissimis stationibus essent in-fessis, atque oppidani vltima perpeffi desponsuri animos essent, deditio-nemque facturi; nisi spe introducendi præsidij, atque aliquo interea exi-guo præsidio, quo ingruentem Turcarum vim tolerarent, confirmaren-tur, id facinus ausus est, quod non inspectantes modo, sed audientes quoque horrore perfundat. Qui non in maximum modo discrimen, sed in certam pestem, ut ab omnibus putabatur, caput suum proijcere, ani-mamque Cæsari & Christiano nomini, cuius dignitas in ea vrbe reti-nenda agebatur, deuouere non dubitarit. Trireme enim ab Auria ac-cepta, qui cum tata classe haud procul substiterat, per mediam Turci-cam classem luce ac palam omnibus remorum viribus commixus transi-uit, cum Turcæ subite atque incredibilis rei miraculo oculis atque ani-mis defixi immobiles parumper stetissent, neque prius a stupore reci-pere animum possent, quam Christophorus præteruolasset, qui subsidium in urbem introduxit, oppidanosque læta & haud dubia spe subsidij ab Auria, qui cum tota classe aderat, introducendâ confirmauit. Ceterum longe

longe mirabilior reditus fuit, in quo audacia astu militarique, stratage-mate adiuta est, cum in Turcarum mentis alienatione spem ponere non posset, quos superiore audacia doctos ipsius conatus obseruantes ac pa-ratos & intentos ad ipsum excipiendum cerneret. Compluribus igitur conatibus captis, cum speciem tentantis exitum præberet, aliquantumque spatij progressus classi Turcarum appropinquaret, ipsosque, ad se excipien-dum commotos cerneret, proa conuersa sese in portum recipiebat, quæ rem cum crebro faceret, Turcas in eam opinionem adduxit, ut sese ab illo ludificari crederent. quos cum idcirco studium & intentionem re-misisse animaduertit, impetu capto, illis iterum elusis per mediam il-lorum classem præteruolauit, incolumisque ad Andream reuersus est.

A N T O N I V S . A V R I A

**E**ximia in ANTONIO. AVRIA non minus Ciuiliû artium scien-tia, quam bellicarum rerum intelligentia fuit, quibus virtutibus di-cibus cum in maximorum Principum notitiam venisset, ac sub illis per-honorificis conditionibus terra & mari militasset, magnum gratia & auctoritatis locum apud Carolum Quintum Cæsarem, & Philippum Regem filium omnium Christianorum Principum longe potentissimos & sapientissimos obtinuit, ad deliberationes de maximis rebus adhi-beri solitus. De cuius consilio maxima bella geri voluerunt, illo sum-mis belli Ducibus Regij generis hominibus comite ad res consilio regen-das addito. Equestris quoque Burgundici ordinis torque a Carolo do-natus est, quo ipsius Principis dignitas communicari videtur, qui hon-or nostra ætate rarus admodum fuit, ac non nisi summi fastigij viris haberi à Carolo solitus. A clari viri virtute et laudibus sese haud quæquam deflexuros Scipio, Ioannes Baptista, & Cæsar filij, & Petrus Franciscus, ac Georgius fratris filij egregia documenta dederunt. Ob-que a magnis Principibus accersiti honorificentissimis militariibus mu-neribus functi sunt, in quibus Petrus Franciscus apud Ioannem Au-strium Principem celsissimum in tanta existimatione fuit, ut ob eximiam & perspectam militarium & naualium rerum intelligentiam in inti-mam familiaritatē acceptus ad priuata interiora cõsilia adhiberetur.

A V G V S T I N V S . S P I N V L A

**C**ontraria æterno scribentium mori in AVGVSTINI. SPI-  
CVLAE. præconio via mihi ingredienda est, neque oratio ad  
OO laudes

laudes amplificandas dilatanda, sed ad fastidium vitandum contrahenda. nam si que per omnem vitam gesta ab eo sunt, persequi omnia stilo velim, satietas homines legendo ceperit, qua nulla virum ad arma naturam faciendo unquam cepit. nemo enim totam aetatem belli laboribus & discriminibus magis exercitam habuit; nemoq; aut tempestivius illo arma induit, aut serius exiit, que usque ad extremum spiritum Patrie fidelem ac forte operam navans, tractavit. Insigniora igitur tantummodo summatim perstringam. Principio Gallorum classe munitionem ad portum Delphini in ora ligustica excitata acri maritima ac terrestri oppugnatione urgente, eo prope cum delecta offingentorum armatorum manu ab Antonotto Adornio Genuensiu Duce subsidio missus itinere per ardua, aspera: confragosa omnia una nocte mira celeritate confecto, cum prima luce in cacumine imminentis montis in conspectu hostium fuisset, illiq; ab oppugnatione munimenti in Spinula versi ad pugnam sese comparassent, nihil maiore numero deterritus Spinula ( fuerunt autem quattuor millia ) suos cohortatus inter disrupta & abscissa prelium fortiter commisit, tantoq; sese impetu intulit, ut ipso incursum hostes fuderit ac profligarit Philippo Auria Duce capto, qui partim per inuias & ignotas rupes, quo eos inconsultus paucorū trepidantes rapuit, dispersi sunt, partim caeca & precipiti fuga omni alia via expedienda salutis deficiente in mare se se proicientes undis hausti sunt, cum per pauci incolumes ad naues adnatassent. quamquam felix victoria inscitia Trierarchorum classis Cesariane monitorum Spinula parum memorum mox luxuriant, cum Spinula subito nec opinato casu Genuam reuocatus est gemens ac moeres, tanta rei occasione sibi e manibus eripi. Libertate a Genuensibus recuperata, ac reipublica statu, & Civium concordia constituta, cum ipse terra, Philippus auria mari eius expeditionis summi Duces rem gererent, Saona ad deditiois necessitatem adacta reipublica recuperata est. In expeditione Africana Casarem ad Tunetum secutus ab iniuncto Principe haud exiguarum copiarum ductor factus strenuam & fortem operam navavit. Eodem munere in expeditione Gallica fungens cum auditum esset, Gallorum exercitum, dum Cesar in ea expeditione est occupatus, Guidone Rangonio Duce Genue manibus admotum, missus a Cesare eo prope subsidio accurrit; Civitatemq; metu sollicitam adventu suo recreavit, ac periculo direptionis & servitutis exemit, cum ipsemet hostium signiferum e manibus deturbasset, signumq; ab illo statutum deieccisset. Arcem Montobium natura atque opera munitissimam, queq; ad eum diem inexpugnabilis habitata erat,

erat, muralibus tormentis per abscissas rupes, atque impeditos ac pene inexpugnabiles saltus cum magna omnium admiratione eo attractis tandem in deditioem accepit. In bello Corsico ab Andrea Auria collega ascitus, quo praside & auctore omnia magna tum gerebantur, quiq; belli administrationem & omnium rerum curam Augustino aetate adhuc viginti ipse annis pregravis, atque amplissimorum honorum satietate defessus delegavit, Fanum Florentium munitissimum oppidum, ac valido Gallorum presidio firmatum tandem expugnavit, multis in Corsica perdomanda editis haudquaquam vulgata virtutis & consilij documentis. Effigiem parentis non tam vultu & oris lineamentis reddiderunt, quam indole & virtute expresserunt. quattuor ab illo relicti liberi, omnes honoribus insignes. Quorum Philippus sacris initiatus, atque ob eximias virtutes spectatamq; probitatem Episcopus Nola creatus, meritorum momentis sibi ad ampliores honores gradum facit. M. Antonius Maximiliano Cesari ab interioribus tam pacis quam belli consilijs fuit, eiusdemq; summus prasidiariorum corporis Prasectus. qui honos per amplius habetur, ac nunquam fere exteris, nec nisi magnis & conspecta virtutis viris mandari solet. Tribuit id Cesar multis & egregijs fortitudinis, audaciae, consilij a M. Antonio editis facinoribus in bellis & incursionibus, quibus accolere Turce Regna Austriaca continenter infesta faciunt. At Hector patria classis Prasectus in memorabili illo navali ad Echinadas prelio, dignum sese parente & maioribus suis ostendit, duobus vulneribus acceptis, dum in media mole pugnae versans nullis sese discriminibus subtrahit. spectatam virtutem & fortitudinem Philippus Rex celsissimus amplexus Hectorem pedestris legionis Ductorem creatum honorifico perpetuo stipendio auxit. Postremus natu Octavius in intimos cubicularios a Cesare acceptus, qui honos apud Germanos in amplis habetur, praeter ceteras haud vulgares laudes, ea est morum suavitatem, ita amabili ac modesto ingenio, ut omnem Cesarianam aulam, ac Germanam nationem exteros apud se crescentes minime aequis oculis aspicere solitam mira benevolentia teneat.

## C A E S A R. F V L G O S I V S

**H**aud poenitendus filius Iano parenti CAESAR. FVLGOSIVS fuit stipendij primum sub Venetis conditionibus honorificis factus, egregiaq; illis ac forti navata opera, quem Franciscus deinde Gallorum Rex vitro accersitum ita amplexus est, ut nemo Italorum altiore

existimationis & gratis locum apud celsissimum & prepotentem Regem obtineret; equitatusq; Italico prefectum multis insignibus militari-  
bus facinoribus conspectum ingentibus premijs & fortunis honesta-  
uit; equestri quoque torque donavit, qui honor non nisi Regij generis ho-  
minibus, aut magna amplitudinis, magnaq; gloria Proceribus tum ha-  
beri solitus amplissimus existimabatur, nunc multitudine compotum  
vulgatus, ac tenuis sortis hominibus leuissimis de causis impartitus  
non ita magno in pretio est.

M. ANTONIUS. CARRETTVS. AVRIA

MARCVS. ANTONIUS. CARRETTVS eximjs virtutibus  
suis effecit, vt in generis splendore, atque in tot maiorum stem-  
matibus exiguum momentum esset ad ipsum commendandū. Andreas,  
quidem Auriæ vricus ingenium, consiliū, audaciam, industriam, rerū  
naualium intelligentiā ita probauit, vt Casarianis classibus Legatū illū  
præferat. Cuius mandati muneris MARCVS. ANTONIUS ita  
omnes partes impleuit, vt Andreas merita viri egregiāq; ac pergratā  
nauatam operam remunerans illum in nomen & familiam cooptatum  
Principatu Melphie donarit; & Philippus Christianorum Regum lon-  
ge maximus & potentissimus sapiens Andream iudicium secutus uitro  
euocatum, & ab omni eiusmodi cogitatione iam diu remotum inter tot  
summis contentionibus perhonorificum munus ambientes in demortui  
Andree locum suffecerit; classiumq; suarum ac maritimarum rerum  
summum Præfectum creauit. Qui si diutius in eo imperio fuisset, in om-  
nibusq; quæ sunt eius muneris magna et præclara, prouidēdis & obedi-  
dis vim ingenij & consilij explicare potuisset, haud dubitatur, quin ex-  
spectationi in atatis flore excitata, in atatis robore respōsurus fuerit.

I O A N N E S. A U R I A

Quæ securis Deus immortalis Genuensi nomini tum iniecta est,  
quantus gloria cursus interruptus, eum Ioannes Auriæ inuidia  
& insidijs inimicorum circumuentus e mortaliū oculis raptus est. Quæ  
si vita longior contigisset, omnes magni iustiq; Ducis numeros expletu-  
rum fuisse, spem haud dubiam faciebat mira indoles tot expressis egre-  
giarum virtutum signis sese indicans. Fuit enim in eo viro expeditus  
generosi animi vigor, summa viridi ingenij vis, incredibilis in pericu-  
lis

lis capeffendis audacia, promptum in illis depellendis consiliū, in-  
deffesa in rebus agendis diligentia & vigilantia, inuisita in laboribus  
patientia, ea in ijs, qui sub illo merebant, regēdis moderatio, vt nullus  
Dux milites et nauticos socios imperijs obediētiore haberet. Quæ tot  
ac tam præclare virtutes ita omnium oculos in Ioannem conuerterāt,  
vt nullius nomen aut hostibus formidolosius, aut amicis maiori esset fi-  
ducia. Turcis quidem terribilis esse cœpit, cum Drogutem post Haria-  
denum Aenobarbum extinctum clarissimi inter illos nominis mariti-  
mum Ducem astu superatum cepit. Feruor ille adolescentiæ, ac paullo  
ferociore spiritus, quod vnum in illo nonnihil offendere videri poterat,  
profecto in bonum vertissent, tempore etatis ardorē mitigante, quodq;  
redundabat, amputante, ac robore animi, a quo illa manabant, omni-  
bus, quæ incommoda erant, expurgatis, sincero remanente. Ceterum do-  
lor amissi Ioannis mitigatur, quod vna cum illo tot ac tanta virtutes  
haudquaquam extinctæ sunt, quas nunc in Ioanne Andrea filio viuere  
ac vigere cernimus, qui in ipso adolescentiæ flore is extitit, qui paren-  
tem & patrū magnum non nomine tantum referat, sed virtutibus  
reddat. Cum Pagano quoque fratri singularis audacia præcelsusq; ani-  
mus nihil a parentis & maiorum contestata virtute degenerans feruo-  
re adolescentiæ etate lenito magnæ amplitudinis, & gloriæ spem cer-  
tam ostendant.

Q U I R I C Y S. S P I N U L A

Noua mihi oratio in QUIRICO. SPINULA ornando, si facta di-  
ctis velim æquare, inuisitatumq; præconiij genus conquirendum est,  
vt inuisitatum quoque illius atque ad eum diem vnici exempli facinus  
fuit. Turcarum enim immensis terrarum spatijs in omnes orbis partes  
extensum Imperium, immensaq; Ottomanorum opes toti Christiano  
orbi terribiles quidē sunt, nō tamē eæ, quas nō ipsas quoque non modo  
sustineri, verū etiā tā terra quā mari infringi & superari posse aliqua-  
do docuerint cumulatius ille omnibus bellicis laudibus Scaderbegus, ac  
patrum & auorum nostrorū memoria Inclyta Hungaria, non minori-  
bus Turcis redditus, quā ab illis acceptis cladibus: nonissimeq; memo-  
rabilis et ex omni seculorū memoria maxima naualis clades, qua ad  
Echinadas ab eximia Fæderatorū virtute affecti sūt. Ceterū vna tantū  
in re illorū vires intolerādæ ad eū diē fuerāt, hoc est in vrbū oppugna-  
tionibus, quas vires nulla munimēta eludere, nullaq; propugnatorū vir-  
tus & cōstātia potuit ferre, quin illi infinita pugnariū multitudine, &  
exuberanti



exuberanti operarum copia fulti recentes & integros in defunctorum & sauciorum locum suggeredo, continentibus oppugnationibus obsesos vexando, munimentisq; & suffusionibus, ac nouis alioque ex alio operibus urgendo, nocturnum laborem diurno continuando defendentium virtutem & industriam nulla quiete data, diuturnasq; malis vitam mole sua tandem obrueret. Quo igitur in loco ponenda erit Quirici virtus, qua prima in hac quoque parte nostra etate aduersus Turcas inuicta stetit? Caluum enim quo vno oppido omnes Genuensium spes nitabantur, reliqua omni Corsica in potestate Gallorum redacta, a Turcis & Gallis validissimis terrestribus ac naualibus copijs circumfessum, ac multorum dierum verberatione quassatum, crebrisq; & acerrimis oppugnationibus, atque vno eodemq; die saepe interdum repetitis concussum, Thermio & Dragute, illo terrestri, hoc nauali clarissimis Ducibus res administrantibus constantissime defendit. Ut hostes magna suorum parte amissa, magnisq; acceptis detrimentis, oppugnatione omissa, obsidioneq; tandem soluta in sua se recipere coacti sint. Idem animi ac virtutis specimen praclaro audacia edito facinore etate quoque nostra indicauit Alexander ex hac eadem nobili gente ortus strenuus copiarum Dux in bello Africano a Carolo Quinto Cesare gesto, qui in expugnatione arcis munitissima Guletæ vocatæ, qua ostium portus Tunetani in angustam longitudinem porrectum clauditur, in ipso statim flore primus omnium Cesare inspectate consensu manibus muralis coronæ premia a Cesare accepit. Militarem indolem decorabat copiosa & perelegans scribendi facultas tam soluta, quam numeris astricta oratione, atque aptum ad Poeticen ingenium, sublimesq; spiritus, ac mira inuentio; ad hoc ea in scribendo verborum & sententiarum lumina, ut si vita longior contigisset, isq; paullo diligentius id studium coluisset, haud dubitetur, quin ad summos, non modo quos nostra, sed quos præterita quoque etates tulerunt, peruenturus fuerit.

## I. O. A N D R E A S. A V R I A

Quod perraro etate procellis vix contigit, ut magnorum & iustorum Ducum nomen mererentur, id in ipso etatis flore affectus est IOANNES. ANDREAS. AVRIA. Ut expectationem, quam tot maiorum illustrium virorum gloria perpetuusq; gētilis splendor, in primis vero Andreae patris magni clarissimum nomen concitarunt, non modo sustinere & tueri, sed vincere quoque videatur. Eius siquidem

siquidem virtus, ingenium, consilium, audacia ita emittuerunt, ut ex tot tam multarum nationum nostræ etatis naualibus Ducibus neminem illo adolescentiam nondum egresso sapientiore aut intelligentiore esse ab ipsis æmulis etiam inuitis confessionem expresserit veritas. neque a Christiano tantum orbe IOANNES. ANDREAS suspiciatur, sed Turcis quoq; adolescentis Ducis nomen (ita enim illum appellant) terribile esse constet. Quarum virtutum multis locis egregium specimen apparuit. Nam audacia & patientia ad Pignonum sese indicauit in asperimis & difficillimis quibusq; ad periculum & laborem deposcendis, & alacritate obeundis. Et ingenium ad Oranum enituit, cum eius consilij auctor fuit, quod nisi alicuius suæ inscitia, suæ laudis obrectatio turbasset, hostilem classem improviso deprehendi & deleri potuisse constanter creditum sit. Utraq; res conspecta est in oppugnatione Melitenensi, cum sese triremibus delectum mille ducentorum hominum subsidium classe Turcica ostium portus insidente in urbem introdusturum professus est, explicatamq; rationem rei ad effectum perducendam probauit, quod consilium exequi prohibitus est, cum se Gasias eius capitum parcere dixisset. Sed nulla res æque illum conspectum facit, quam naualis victoria ex omni seculorum memoria clarissima ad Echinadas insulas a Ioanne Austro inclyto & excelso Principe parta, in qua Ioannis Andreae virtus ita eluxit, ut eius consilio magnam atq; adeo præcipuam laudis partem inter ceteros Duces, qui Austrium secuti sunt, quiq; ex omnibus nationibus in ea classe fuerunt, deberi, ipse Philippus Rex amplissimo litterarum testimonio confirmarit. quibus obrectationem & inuidiam retudit. quæ medijs intactis superiora tamquam ignis petere solita clarissimum iuuenem carpere non dubitauit. Verum quemadmodum fumus exiguum ignem obruit, idem ab ingenti emicante flamma discutitur, ita Ioannis andreae coruscans gloria offusas tenbras fulgore suo depellit. Cui utinam ea vitæ contingat longitudo, quæ Genuam Patriam spei ex mira indole magnisq; ex inuitis conceptæ cōpotem faciat.

## M. A N T O N I I. B O B B A E. C A R D.

Vestra ubi lethæis facta inclyta mersit in undis,  
Nomina molitur perdere tempus edax.  
Aeterno occurrit calamo Folietæ, suosq;  
Presenti Cines vindicat interitu.

DE VIRIS PACIS  
ARTIBVS. ET. LITTERARVM  
COMMENDATIONE  
INSIGNIBVS.

**B**ELLICAE ac nauali Genuensium gloria, qua post Carthaginensium & Romanorum imperium nulla gens clarior fuit, pacis quoque artes, ac res ciuiles responderunt, neque eos minus togatos, quam armatos floruisse, declarant magnorum honorum premia omnibus aetatibus Ligurum nationis hominibus tributa. In qua re cum Cardinales proximum a summis Pontificibus locum obtineant, nonnullos fore video, qui nostram rationem miraturi sint, quod illos armatis viris subicerimus. quos non dubito nostrum consilium, si quale illud fuerit, cognouerint, omni prorsus reprehensione liberaturos. neque enim Cardinales eadem classe, qua Diuos & Pontifices maximos locum & auctoritatem Diuini numinis in terris obtinentes comprehendere potuimus, ne illorum dignitatem Pontificibus tanto interuallo inferiorem illis aequasse videremur. Et si suum separatim locum Cardinalibus tribuissemus: illumque Pontificis classi continuassemus, haec togatorum virorum series ieiuna plane & obscura fuisset tot clarioribus luminibus orbata.

GVLIELMVS. LVCAS. IOANNES  
LVDOVICVS. GEORGIVS. FLISCI  
CARDINALES

**I**nitium igitur facientes ad vrbe Principe Genua, cum multorum ex ipsis Cardinalibus vita, mores, res gestae ob vetustatem, scriptorumque luce carentes non satis exploratę nobis essent, orationem in illis dilatere non potuimus, neque singulos suis Elogijs persequi. neque enim quibus virtutibus, quibusque artibus illos inter se distingueremus, satis explicatum habebamus, cum tamen illud dubium esse non debeat, quin spectata virtus & prudentia magnarumque ac sacrarum rerum scientia illos

illos tanti honoris compotes fecerit. Haec igitur nostra erit ratio, vt quorum res nobis sunt obscurae, eos acruatim vno Elogio comprehendamus, ac nomina tantummodo referamus. id quod de Gentis Fliscae Cardinalibus facere cogimur. quae nobilissima gens pacis artibus ac laudibus vt dignitate, ita tempore quoque ceteras Genuenses longe antecedit. Neque id circo exigua & coarctata videri debet nobilissima familia laus tamquam vnus Elogij angustijs conclusa, sed cogitatione numeri eorum, quibus ad tam altum honoris locum virtus & merita ascensum dederunt, amplificata & dilatata. Sunt qui putent ex hac familia plures, quam quos nominauimus, Cardinales extitisse. in nostram notitiam hi tantum venerunt, GVLIELMVS. LVCAS. IOANNES. LVDOVICVS. GEORGIVS. Quod si sacros quoque Antistites omnium ordinum, qui omnibus aetatibus ex hac gente prodierunt, stilo persequi voluissimus, nullum modum reperisset oratio innumerabiles enim fuerunt; copluresque ex ijs egregijs virtutibus clari. & peraplis publicis muneribus functi. quorum neminem attingere nominatim voluimus, ne nonnullos extollendo, ceterorum gloriam odiosa comparatione tacite perstringere voluisse videremur.

NICOLAVS. FLISCVS. CARD.

**A**T NICOLAVS, qui patrum nostrorum aetate floruit, vir fuit summa grauitate & sanctissimis moribus, acerque iurium Ecclesiae propugnator, nullasque pro illis quamuis magnorum virorum offensiones & simultates subire vnumquam veritus. Quo perpetuo vita tenore, quibusque meritorum gradibus cum ad summum auctoritatis & existimationis locum conscendisset, in Pontificis comitijs anteaetate vitae gloriae clarissimum fastigium imposuit. nam cum magna suffragiorum pars in illum inclinaret, multique auctores essent, vt venientes patres largitionibus ad sese attraheret, ingentemque pecuniam vim ea de causa a propinquis consecuta & parata ostenderent, vir integer in tanta re religioni suae proximus fuit. saepe enim rei mentionem abominatus nefariae suadetes magna vultus & vocis acerbitate & contentione a se repulit, maiorem haud dubie gloriae ex Pontificatu repudiato, quam multi ex adepto consecutus.

PAVLVS. FVLGOSIVS. CARD.

**E**Gregium ac memorabile in primis documentum in PAVLO. FVLGOSIO Cardinali, qui idem Principatum in Patria obtinuit, ijs, PP quorum

quorum opes excellunt, quiq; ad magnos honores magnamq; fortunæ amplitudinem peruenierunt, constitutum est, quâti sint ab illis scriptores rerum faciendi, quantum opere cauere ab eis sibi irritandis debeant: quippe in quorum stilo tanta sint ad illorum nomen ad posteritatis memoriam premendum, aut subleuandum momenta. Virum quippe egregium, & ad magnas res tractandas aptum fuisse Pauli dubitare non debemus, quæ Xylus classis in Turcas destinata Legatum creauit, cuiusq; egregia & approbata opes Innocentius Octauus, & Alexander sextus in magnis & arduis rebus sæpenumero vsi sint. Ceterum viri clarissimi memoria haud dubie ad posteros laborabit a Baptista fratris filio in eleganti libro, quem de dictis & factis memorabilibus conscripsit, omnibus probis conscissu. in quo se Baptista a Patro circumuentum, Principatumq; per summam fraudem & perfidiam dictum cõquerens tantam iniuriam stilo vltus est. Cuius dictis neque omnino fidem abrogauerim, neque rursus vnum eundemq; hominem tot tamq; immanibus sceleribus contaminatum facile crediderim. Verum in re minime compta iudicium meum non interponam.

FRIDERICUS. FVLGOSIUS. CARD.

**A**T FRIDERICUS. FVLGOSIUS tanto viro Octauiano haudquam pudendus frater fuit, quamquam ingenio longe diuerso. quod in Octauiano mite & clemens fuit, at in Friderico vehemens & impotens, atque ideo a moderatione Octauiani sæpe recedens, peracre tamen & prestans, in magnisq; rebus tractandis perpetuo versatum, in quibus magnum usum & intelligentiam consecutus est. Accessit ad hominem commendandum multiplex eruditio, sacrarumq; rerum haud mediocri cognitio. vt nobile hoc fratrum par illud extiterit, quo nullius nomen ab egregijs nostræ ætatis grauissimisq; scriptoribus magis celebratum sit. Illud vero solide, neque fucata, aut abumbrata virtutis rarum specimen fuit, quod humanos casus, fallacesq; huius vitæ fluxæ & caducæ spes secum reputans, mente Diuina monita, rationeq; vitæ conuersa fastui & ambitioni sese subtraxit, a ciuilibusq; muneribus & contentionibus procul abscessit, ac Diuino cultui se totum dedit, negotijsq; Aulicis plurima salute dicta ad gregem sibi commissum pascendum Eugubium ecessit. in quo regendo ita omnes diligentia, continentia, pietatis, liberalitatis in egentium inopia subleuanda partes impleuit, itaq; eius virtus & religio eluxit,

eluxit, vt non Italia sinitibus contineretur, sed totum orbem peruagata sit, aduersarij q; ipsi nostri hunc virum in perpauca illis numerarent, quos solos Episcoporum nomine dignos ducerent. quæ laus ab inuicis præsertim & sacerdotalis ordinis perpetuis obtrectatoribus & in sectatoribus expressa quanta sit, facile intelliget, si quis cogitauerit, quantum sit Episcopis impositum onus, cuiusq; muneris colendi causa sit institutus Episcopus. Nec minus continentie animiq; omnem fasti contentinentis signum expressit in Cardinalatus honore vitro delato recusando, quem retrahens ac gemens accepit Paulo Tertio pro imperio, ac pro iure sacrosanctæ potestatis cum illo agente, penasq; in contumaces & dicto non audientes statutas comminante. Verum cum multa Romæ offendisset, quæ minus illum delectarent, ipseq; libertatem suam in sententia dicenda cum officio ac pietate coniunctam non satis placere intelligenet, iterum relicta Aula ad priuatam Ecclesiam regendam reuersus antea vitæ cursum digno exitu conclusit.

LAURENTIUS. CIBO. CARD

**L**AURENTIUM. & INNOCENTIUM. CIBO Cardinales cum propria virtutes, tum generis nobilitas, & claræ propinquitates ab oblivione hominum vindicant. Gentilitium enim habent Pontificum decus Innocentij Octauiani nepotes, & clarissima Medicinæ gentis affinitate præfulgent. in qua gente maximum, atque haud scio, an præcipuum fuisse dicam Italia ornamentum, quippe quæ præter ceteras amplissimas laudes illam præclaris artibus exornarit, quas ex altissimis tenebris, quibus innumera secula obruta fuerant, in lucem extraxerit: ceterum vtriusq; sua sunt propria commendationes. nam LAURENTIUS religionis fama in primis clarus fuit, qui sacris cellis multas extruxerit, ac per amplis velligalibus dotarit, ad hoc natura ita miri, tantaq; morum comitate et suavitate fuerit, vt omnibus carnis & acceptis in principibus Cardinalibus numeraretur.

INNOCENTIUS. CIBO. CARD.

**A**T. INNOCENTIO acutus & vinctus ingenium fuit, cuius ille duabus maximis in rebus egregium specimen edidit. Altera fuit in verbis direptione; cum sacrosanctus Pontifex arce inclusus hostili arbitrio obnoxium animam auerteret, maximamq; Cardinalium pars

Placentiam conuenissent, ut capita conferrent. Qui cum rebus Romanis dissidentes de relinquenda Italia sedeque Pontificia Auenionē transferenda consilia agerent, INNOCENTIUS atrocis rei fama commotus eo statim aduolauit; Scipionisque egregia olim indolem; animūque nullis malis infractum nō minori in re nostro saeculo rettulit. Abiectos enim metu Patres atque animum despondentes erexit, ac salutis desperare vetuit, a degenereque consilio præclara oratione renouauit. Ut immortalē gratiam Pontificij solij retenti Italia patria INNOCENTII virtuti & constantiæ debeat; clarāque gens Cibo nobili & veteri Græcia oriunda sacra Romana ecclesiæ, a qua ad summum rerum fastigium elata est, si non quam debet gratiam (neque enim tanto accepto splendore ulla est par gratia) at certe quantam maximam quæuis vel in primis spectata virtus potest, reddidisse sit existimanda. Alterū eximij consilij nulli ve moli succumbentis animi documentum fuit, in rebus Florentinis Alexandro Medicio Duce interfecto ad tumultū spectantibus pacandis, causisque magnorum motuum præcidendis. Ut appareat INNOCENTIUM ad rempublicam gerendam in primis natum fuisse, nisi otium vitæ a contentione remota nimium amplexatus procul a Romana Aula maximam statim partem egisset.

## ANTONIOTTVS. ET. IO. BAPTISTA

## PALAVICINI. CARD.

Mutuis sese ornamentis, redundatibusque alterius in alterū laudibus illustrant ANTONIOTTVS pater & IO. BAPTISTA fratris filius Palauicini Cardinales diuerso virtutum genere ac diuersis vitæ institutis commendati. Summa enim grauitas, prudentia, consilium, integritas ANTONIOTTI ita eluxerunt, ut vacuo solio in Pontificijs comitijs multos ex candidatis dignitate longe antecederet, propeque sit factum, ut ad Apostolatus fastigium perueniret, multorum patrum consensu meritis & perspectæ virtuti summum locum destinante. Verum Pontificiæ ditionis partim e Tyrannorum, partim ex manibus exterorum Principum extorta & recuperata gloria Iulij ingenio Diuino consilio referuabatur. Neque tamen ANTONIOTTI Pontificatu præteriti opera in maximo & grauissimo omnium negotio nō Christianæ reipublice utilis fuit. Legatus enim ad Ferdinandum Hispaniæ, & Lodouicū Galliæ Reges de pace inter illos componenda missus est, in  
celebri

celebri illo Saonæ conuentu, quo omnium fere Christianorum Procerū concursus factus est ad tantum spectaculum oculis perfruendum. neque enim quidquam conspectius esse poterat, quam duos maximos omniumque potentissimos Reges, qui omnia Christiani orbis consilij suis traherēt, totius Europæ nobilitate stipatos in exigua vrbe coniunctos eodem contubernio, eademque mensa vtentes intueri, Legatumque Pontificium sacra purpura fulgentem inter tantos Reges medium considerare. ANTONIOTTVS igitur in tantorum Regum animis tractandis & permulcendis ita se gessit, ut haud paruum momentum in illius moderatione, lenitate, sapientia ad summorum Principum animos inter se conciliandos fuisse existimetur. At IOANNES. BAPTISTA eximia Pontificij, & Cæsariani iuris scientia præditus per omnes forensium honorum gradus, in quibus eius doctrina, ingenium, industria multos annos elaborauit, ad amplissimum ordinem peruenit, in quo cum haud diu fuisset, humanæ conditionis necessitate sublatus est, ut eius virtus minus in Cardinalatu enituerit.

Egregiorum hominum ferax fuit gens Palauicina, compluresque sacros Antistites tulit probitate & prudentia conspectos, in quibus Petri Francisci & Cypriani virtus enitet. quorum ille Alerix Episcopus dum in pastoris muneribus obeundis nihil sibi parcat, morbo ex Corsicæ noxio cælo contracto decessit. Hic Genuensem Ecclesiam Archiepiscopus regit, quaque disciplina sibi commissos sacerdotes formare contendit, eius ipse præclarū specimen vita & moribus exprimit. Petrus Franciscus peracri & viuido ingenio fuit eximius Pontificij & Cæsariani iuris interpres, neque elegantis eruditionis expertus; Cyprianus primos annos politioribus litteris & Philosophiæ studijs dedit, mox sese ad sacram doctrinam conuertit, in qua haud contemnendos habet processus.

## BENDINELVS. SAULIVS. CARD.

IN auspiciatus genti Sauliæ opibus florenti sacra purpura honor fuit, in quo BENDINELVS à Iulio Secundo donatus est. neque dubitatur, quin magni nominis Cardinalis euasurus fuerit, nisi ab indignatione sese in nefarij consilij contra Pontificem imiti societatem præcipitem dedisset. Viuido enim & præstanti ingenio fuit, neque politiorum litterarū rudis, quas in alijs quoque amauit, & amplexus est, quippe qui literatos homines in familiaritatem acceptos aluerit & fouerit. in quibus  
fuerunt

fuerunt Ioannes Maria Cat. meus, qui in heri gratiam urbem Genuam eleganti poemate descripsit & laudauit, ac Paulus Iouius, quo nemo in prophanis rebus plura scripsit, aut magis nostram etatem scriptis suis illustrauit, felicissima rerum copia, ingenij, vbertate, ac sili sublimate omnes profecto superaturus, nisi ingenio nimium indulgens, dum scribendi impotenti auaritate veluti rapidissimo astu effertur, in scriptis suis limandis ac poliendis supine negligens intercedi fuisset, vt fluere lutulentus aliquando existimeretur, quae res magnum de illius gloria curulum deiecit;

AVGUSTINUS. SPINULA. CARD.

**I**ta fore est vulgus, quod falsis rerum imaginibus ductu paucos ex veritate estimat, ac ferre omnia errantibus atque animo penitus iudentibus opinionibus metitur. Quod cum multis in rebus facere solet, tum vero hoc illi in primis vsuuenit in liberalitate & beneficentia iudicanda. quam in effusis quotidiani victus & domestici cultus sumptibus ponendam somniat; quique hoc morbo laborant, eos tanquam liberales et beneficos suspicit atque amplectitur, cum plerumque nihil hoc hominum genere sit sordidius, atque erga amicos & egentes malignius. Qui vero res suis momentis ponderare didicerunt, ac veras virtutes ab inanibus speciebus discernere possunt, ij liberalitatem longe alijs finibus terminant, quam in large donando, hominibus benigne faciendo, inopia hominum subleuanda versari intelligunt. Qua virtute cum AV-  
GUSTINUS. SPINULA Cardinalis, et. et. nostra insignis in priuatis fuerit, quippe quo neminem habuerit Romana Aula magis munificum, in cuiusq; opibus, quae per ample fuerunt, clientibus, domesticis, familiaribus, amicis, omnibus denique in illius benignitatem consurgentibus manus fuerit, aut certius praesidium, quique crebrius ac splendidius hanc virtutem coluerit, quia tamen vir frugi, & in quotidiano ac domestico cultu parcus, atque ab omni luxu & fastu adhorrens fuit, contracti animi & angusti vulgo nomen tulit. Quo circa maiore cotra in honore apud sapientes & cordatos homines vir large munificus esse debet, qui in splendidissima familia, quae nulla in Ligusticae egyptijs similitudine insignior & crebrior est, ne quid ad emulanda gentis decora desideraretur, sacra purpure honore, qui vnus decet, intulit, amplissimo Romane Quaesturae Magistratu, quae Camerarii vocat conulatu.

IIIE-

HIERONYMVS. GRIMALDVS. CARD

**M**ultis grauibsq; de causis mihi tamē haud satis compertis Hieronymus Grimaldus e priuata vita euocatus a Clemente VII. in amplissimum Cardinalium collegium cooptatus est, vir integer, & in sententia dicenda liberatis & senatorij officij memor. Grimaldus igitur gentis nobilissimae & praepotentis atque opibus florentis, castellorumq; & populorum veteri dominio insignis, quae in quattuor illis numeretur, quae turbulentis reipublicae temporibus, tum cum omnia Gibellinarum & Guelfarum factionum studijs arderet, capita rerum Genus fuerunt, Regnumq; in Patria diu possederunt, Hieronymus nouo hoc honoris titulo stemmata auxit. Neque vero vna cum Hieronimo gentis Grimaldae gloria occubuit, quae Dominici cognati viuendum versatileq; ingenium, & ad omnia magna natum magna spe & haud contentendis iniurijs incipit excitare, qui vir ad toge artes iurisq; civilis scientiam, & vtilis negotijs conspectam bellicarum quoque rerum cognitionem, & vsum addidit. Cuius rei praecleara dedit documenta Pontificiarum classium Procurator & Quaestor, cum in ceteris expeditionibus aduersus Turcas susceptis, tum in ea imprimis, in qua clarissimus & cesarissimus Princeps Ioannes Austriae maxima, ex omniq; seculorum memoria maxime memorabili victoria parta Turcarum mirum in opes fregit, in qua expeditione non omnia modo, quae fuerunt mandati muneris magna cum ingenij, consilij, diligentie, integritatis laude cumulate impieuit Dominicus, sed in ipso quoque prelij ardore strenue ac fortem operam acriter pugnans nauis in medio discrimine intrepide versatus. Vt Pio Quinto, & Gregorio Tertiodecimo sapientissimis Principibus plane satis fecerit, gradumq; sibi ex eo munere ad maiora fecisse existimeretur, neque dubiretur, quin in praestati eius virtute geri Grimaldae vtraq; commendatione insigni magnū sit futurum decus.

HIERONYMVS. AURIA. CARD

**E**odem Senatorij ordinis honore, quo ipsa quoque carebat, clarissimam gentē Auriam multitudine & magnitudine rerum gestarum omnium concessu inter Ligusticas eminentissimam decorauit HIERONYMVS. Ac res diu & multū quaesita est, magnisq; disputationibus iactata, in laude an in vitio ponendum sit illorum consilium, qui procul a republica, ab omnibusq; publicis numeribus abscedentes in priuatae  
vite

vita otio sibi etatem agendam censent. Nos rem ambiguam & contro-  
uersam, ex hominum, qui alterutram vitam sequuntur, ingenijs existi-  
mandā ducimus; eosq; qui priuatā vitā tranquillitatem reipublicā ge-  
rendā dignitatē præferunt, non quidem magis laudandos, aut ijs ante-  
ponendos existimamus, qui omne consiliū suum, ingenium, operam pa-  
triæ ac reipublicæ nauandam censent, sed excusandos, ac nonnumquam  
etiam imitandos. Qualis fuit HIERONYMUS. AVRIA Cardinalis. in quo viro tantum robur animi & consilij fuit, vt illum ignavia ac  
desidia; aut nequitia procul a Romana Aula etatem egisse nemo, cui  
vir ille notus fuerit, dicere audeat. quippe qui antequam in Andrea  
Auria gratiam a Clemente VII. in Senatū lectus esset, multa inge-  
nij, consilij, prudentiæ in reipublica Genuensi in vario munerum genere  
administranda, egregiaq; documenta dederit, vt a spectata virtute di-  
gnus habitus sit, qui esset in duodecim viris legum ferendarum, & sta-  
tus rerum emendandi ac constituendi. in quo munere obeundo opinioni  
hominum abunde respondit. Talem igitur virum quis non sapienti con-  
silio ac meditata ratione Aulam, atque illas contentionum procellas  
putet vitasse?

IO. BAPTISTA CICADA CARD.

Tot tamque eximia virtutes nomen tuum cōmendāt IOANNES  
BAPTISTA CICADA, vt difficilius sit in tuis laudibus exi-  
tum, quam principium inuenire. Quid enim in te primum mirer? præstā-  
tem ne doctrinam? an ciuiliū rerum cognitionem? vt nihil esset in vsu  
Romane Aule positum, quod tuā scientiam effugeret? an acerrimam il-  
lam cælestis prope ingenij vim, sollertemq; quandam mentis aciem ad  
omnia quamuis ardua & implicata expedienda, & ad exitum perdu-  
cenda? quibus virtutibus id affecutus es, vt Regnum in rebus forensi-  
bus, dum vixisti, obtineres, nullaq; magna esset res, quam non de tuo  
consilio Romani Pontifices gererent. Vt etiam ij, qui tibi parum equi  
fuerunt, te ad magnas deliberationes adhibere cogentur? an fidē &  
constantiam in iustitiæ & oppressorum defensione, vt nullam vquam  
pro amicis & clientibus dimicationem recusaueris? quorum firmis-  
simum presidium & columen semper fuisti: nemoq; in tuam opem &  
tutelam confugerit, quem sineres everti, quemq; non honoribus & for-  
tunis auctum reddideris. In me quidem ea tua sunt merita, vt Numi-  
nis cuiusdam venerationem apud me obrineas. Quibus quam aliam in  
præsentia

præsentia, quam eam, quæ facultatis nostræ est, hoc Elogio gratiam re-  
feram? cuius ea erit clausula, sacre purpure amplissimum honorē tan-  
torum meritorum minimi pretij instar fuisse. Vni nobis in tanto mæ-  
rore reliquum est solatium Carolus fratris filius Ingaunorum Episco-  
pus mitiore ingenio vir, qui vt te virtutibus reddidit, ita honoribus quo-  
que subsecutus existimatur. Cuius rei haud dubiam spem facit, quod  
iam a Gregorio Tertiodecimo ad grauissimas reipublicæ partes geren-  
das adhiberi cepit.

SIMON. PASQUA. CARD

Quæ duæ res in vnum eundemq; hominem cōuenire per raro, ac vix  
vquam solent, præstans ingenium, & summa animi moderatio,  
eæ ambæ in SIMONE. PASQUA ita enituerunt, vt de illo ornādo,  
certasse videantur. Nam & in Philosophiæ studijs, quibus primæ etā-  
tis tempora in Gymnasijs publicis dedit, ita excelluit, vt in nostræ etā-  
tis philosophorum principibus numeraretur. quam haud exiguum lau-  
dem cumulabant singularis morum facilitas, miraq; naturæ comitas,  
ac sermonis affabilitas, quibus virtutibus cum formæ dignitate coniun-  
ctis voluntates & studia hominū ita ad sese attraherat, vt apud prin-  
cipes viros, quorum frequenti consuetudine vsus est, in gratia & in ho-  
nore semper fuerit. Et virum tantis ingenij & industriæ præsidijs ad  
maxima quæque gerenda instructum priuatæ vitæ otium ambitionis  
studijs, & honorum cupiditati anteposuisse, proculq; a publicis mune-  
ribus & ciuilibus contentionibus quietam & tranquillam etatem egis-  
se, summæ moderationis, excelisq; animi, humanaq; desipientis atque  
infra se posita putantis præclarum specimen fuit. quamquam honores  
& legationes ad maximos Principes publice sibi in patria interdum  
mandatas declinare nō potuit. in quibus obeundis & magnam a Prin-  
cipibus, ad quos missus est, gratiam iniit, & apud ciues suos haud exi-  
guam laudem peperit. Quibus rebus id affecutus est, vt honores, quos  
numquam quæsiuit, illi sint vltro delati. Neq; enim Pius Quartus acer-  
ingeniorum existimator passus est, virtutes familiari vsu perspectas  
debiti honoris luce carere. qui simulatq; Pontificatum iniit, S I M O-  
N E M e patria euocatum Episcopalis insignibus ornauit. ad quod  
munus colendum cum sibi alia præsidia adiungenda intelligeret, S I-  
MON vir Græcarū litterarū scientissimus, omnīq; elegantī eruditione  
perpolitus sacre doctrine studia maiore opera repetijt; viuidiq; ingenij  
felicitate.



felicitate brevissimo temporis curriculo ad summos peruenit. quæ res ceteris diuturni laboris, ac temporis esse solent. cuius rei periculum factum est in Concilio Tridentino, quo ab eodem Pio septuagesimum annum natus missus egregium ingenij, doctrinæ, pietatis, religionis in celeberrimo Christiani orbis Theatro specimen dedit. Multiplici igitur doctrina, innocentia, prudentia, integritate commendatus SIMON ab eodem Pio in Cardinalium ordinem summa cum omnium honorum lætitia cooptatus genti sue Pasquæ, quæ complures Nobiles & insignes viros patriæq; in primis viles tulit, aditum ad eum honorum Princeps rese-ravit. qui in tanta dignitatis sede locatus is statim apparuit, ut omnes statuerent, amplissimo honore non tam premium meritis debitum persolutum, quam ex illo ad sublimiora SIMONI gradum factum, quam expectationem mors Romana Aula acerba, suis luctuosa, bonis omnibus grauis elusit.

B E N E D I C T V S . L O M E L I N V S . C A R D

**I**N BENEDICTO quoque LOMELINO amplissimo Elogio ornan-do nõ plus me studijs, quæ illi pro egregijs in me meritis summa debeo, quam veritati tribuisse, testis est Romana Aula, cui hominis virtutes per tot annos sunt spectatæ. æque enim hunc virum ingenij atque voluntatis bona commendant, Nam in Põtificij & Casariæ iuris sciẽtia ita excelluit, ut adolescentiam nondum egressus, quod tempus ceteris ad perdiscendum datur, profitendi munus publice mandatum summa cum ingenij ac doctrinæ laude sustinuerit. nec minores sunt integritatis et innocentiæ laudes. quibus accedunt mirus animi cador, naturaq; simplex & aperta, nullaq; malevolentia infuscata, quoq; nihil ex omnibus humanis rebus præstabilius est, ad bene merendum de omnibus, quicumq; in illius opem confugiunt, in primis propensa. comitatur incredibilis facilitas ac morum suauitas, singularisq; humanitas, quæ summe & præstantes virtutes cum relicto Gymnasio ad gerendam rempublicam accessisset, illum per omnes honorum gradus ad Cardinalatum tandem extulerunt. quem ille honorem in gentem suam Lomelinam nobilitate & opibus perpetuo florentem primus intulit, ut plus huic viro maiores sui, quam suis ipse maioribus debere videantur; maioraq; ipse illis ornamenta dignatione sua reddidisse, quam quantum ipse ab illorum splendore acceperit commendationis. Gentis Lomelinæ orientem sacerdotij gloriam haud parum cum egregijs virtutibus, tum dignatione sua condecorat

decorat IACOBY'S Petri filius. qui nullis externis præfidijs, nullisq; opibus, nullaue potètia aut gratia subnixus sed meritis ipse suis documentaq; sui in inferioribus ordinibus, honorumq; titulis dædo ad amplissimum Panhormitanum Archiepiscopatum sibi gradum fecit. Multa huius viri in rempublicam constant officia. Nam in Tridentino concilio eius doctrina et ingenium in arduis quæstionibus differendis, sententiæq; de grauissimis ecclesiæ negotijs dicenda enituit; ad hoc opera & industria sanctæ Pontificiæ sedi in exulceratis rebus multiplici vsui fuit. Prudentia vero in primis cõspecta est in honorifico legationis munere ad Gregorium Tertiumdecimum, quo pro Philippo Rege celsissimo de maximis Regni Siculi rebus perfuctus est. In qua Legatione Põtificis animam a postulatis abhorrentem leniter tractando tandem expugnauit, per arduumq; negotium, quo Siciliæ status nõ in postremis continebatur, cum magna vtriusq; Principis gratia trãsegit. Ut summum hoc beneficium nobilissima insula Iacobi prudentiæ & industriæ sese debere fateatur. Ut omittam multas Ditionis Põtificiæ vrbes, quibus summa cum iustitiæ & prudentiæ laude præfuit.

V I N C E N T I V S . I V S T I N I A N V S . C A R D

**E**A dedit VINCENTIUS. IVSTINIANVS in magnis rebus gerendis eximia virtutis documenta, ita sese in magnis Procurationibus administrandis maioribus dignum semper ostendit, ut Cardinalatum, qui honor in sacerdotum ordine proximum a Põtifice Maximo dignitatis locum obtinet, non minorem reddat splendorem, quam ipse ab illo illustretur. Huius enim viri tanta vis ingenij & consilij fuit in Dominicano ordine, cui duodecim annos summus Magister præfuit, cum octauum & trigessimum agens annum ad eum locum peruenisset, moderando, ut ex multorum seculorum memoria eum ordinem neq; pacatiorem, neq; maiorem in concordia & caritate inter se fuisse cõslet. quæ res quantæ virtutis ac prudentiæ fuerit, facile intelliget, si quis secum reputauerit, quam luge lateq; fusus sit is ordo, quippe qui omnes Christianas prouincias amplissimis cœnobijs occuparit, quot ex nationibus; quamq; ex varijs hominum ingenijs constet, quot viri in illo sint genere et doctrina præstantes. quæ res animos hominum inflare, & ad imperia contumaces efficere solent; quam dissidentia inter se studia in eo esse necesse sit. Quis igitur versatilis IVSTINIANVS ingenium ad omnes hominum naturas tractandas aptum nõ admiretur; illud vero longe mirabilius ac pene Diuinæ laudis specimen fuit, quod in tam contrarijs inter

se voluntatibus hominum regendis & moderandis, in tantaq; mole sustinenda nemini offensus gratiam omnium partium ac voluntates tenuit, inuidiamq; & obrectationem perpetuas eminentis virtutis & glorię comites *IVSTINI ANVS* magnitudine sua obruit. Neque vero laudibus in Dominicano ordine regendo cetera res gesta non responderit, aut minorem in maximis & grauissimis Christiana Ecclesia negotijs, prudentia, consilij, ingenij vim expressit, quippe cuius in primis iudicio, opera, industria, in rebusq; ducendis lenitate in Tridentino Concilio, quo quidquid floris Christiana habuit respublica, constat conuenisse, Legati Pontificij in arduis rebus expediendis vsi sunt, eoque interprete quamplurima graua & impedita negotia transegerunt. vt nullius omnino maiora opera pretia aut merita constet extitisse. Accedit quod non parum clarissimi viri laudes cumulat, Legatio ad Philippum Regem celsissimum de maximis & arcanis rebus obita, quo munere dum fugitur, absens Cardinalis est factus.

*XYSTVS. GALEOTTVS. CLEMENS*

*ROBOREII. CARDINALES*

**G**enuensibus ciuibus absolutis, vt ad reliqua Liguria Cardinales descendamus, quid clarissima genti Roboreia abesse dicemus de maximis omnis generis ornamentis? Si enim clarissima mortalium rerum spectemus, duos Pontifices Maximos tulit egregijs ambos virtutibus conspiciendos. *IV LII* quidem virtus Pontificio solio ita honorifica & utilis fuit, vt quidquid Romana Ecclesia ditioris prophana nunc possidet, id fere eius laboribus & constanti virtuti debeamus. Si ad militarem gloriam animum conuertamus, summum eius laudis fastigium etate nostra *Franciscus Maria Dux Urbini* tenuit. Si ceteros sacros ordines cogitatione complectamur, praeter innumeros Episcopos sex habuit Cardinales, Quorum quattuor Ligures ciues Saonenses fuerunt. omnes amplissima fortuna vsi *XYSTVS. GALEOTTVS. CLEMENS. LEONARDVS. XYSTM & GALEOTTVM* fratres clarissimi, generis splendor & amplissimus sacra purpura honor ab obsecritate eripit. ceterum non sane amplam materiam scribentibus praebent. Cuius rei in altero morbus, in altero breuis etatis cursus causa fuit. *Xystus* enim cum acerrimis podagrae doloribus continenter vreretur, procul ab Aula & a publicis muneribus abscedere coactus omnē fere ruri

ruri atatem egit. *Galeottus* in ipso etatis flore immatura morte sublatu est, vir litterarum politiorum non omnino rudis. extant nonnulla odæ populari lingua ingenij indices. Insignis huius viri liberalitas ac Regia magnificentia cum erga amicos, tum in quotidiani cultus splendore in primis conspecta est. His additur ex eadem familia *CLEMENS*, cuius memoria quibus priuatim ornamentis decoraremus, inuenire non potuimus. Tres igitur hi viri vt nomine, ita Elogio coniecti erunt, quod quibus moribus, quibusq; rebus gestis illos inter se distinguere, nihil sane nobis appareret.

*LEONARDVS. ROBOREIVS. CARD*

**A**T in *LEONARDO* ornando fortuna & natura inter se certasse videntur, si ethnicorum more loqui velimus. nam hanc fortunę vocem a Christiana professione abhorre non sum nescius, quæ hæc et cetera omnia Diuinæ voluntati merito attribuit. adeo quidquid boni vtraq; habuit, in illum cumulate conegit. nam illa clarissimi generis nobilitatem, amplissimas opes, summos honores dedit; hæc præstans ingenij, egregiamq; ac Diuinam quandam animi indolem contulit. Eximia enim in hoc viro fuit Pontificij & Cæsariani iuris scientia, præterea sanctissimi mores, perpetuo vitę cursu integerrime actæ. verū duæ in illo ingentes virtutes in primis conspectæ sunt, eximium iustitię studium, ac singularis misericordia; excellensq; in egentium inopia subleuanda liberalitatis. quę virtus inter Christianas altissimum locum tenet. quarum virtutum multa in omni vita clarissima edita sunt documenta, nos vtriusq; singula exempla protulisse contenti erimus. nam cum supplicibus libellis, tam ijs, qui ad forēses res regendas, quam ijs, qui ad beneficiorum distributionem pertinēt, multos annos præfuisse, in eoq; munere fungendo caste & integre perpetuo esset versatus, factum est, vt quidam ex cubicularijs longa & intima familiaritate illi in primis acceptus illum comonescerit, etiam atque etiam animaduerteret. quę enim in libello oblato continebatur, ea rē fratris oblique attingere. At *Leonardus* hominem verbis male acceptū oculis & auribus aspernatus, facesse, inquit, protinus e conspectu meo scelestæ, qui tantum nefas mente concipere ausus sis, vt pluris esse apud me ponderis fratris respectum, quam iustitię studium suaderes, hominēq; domo exegit. Et mortuum *Leonardum* miserorum & egentium parentem paupere res diu multumq; luxerunt.

*CARO-*

**Q**uot Deus immortalis. quantæq; laudes CAROLI. DOMINI-  
CI. CARRETI nomen verendum faciunt. nam ad præclari  
& peruetusti generis nobilitatem accesserunt immensæ opes. quæ res  
cum per se ad homines illustrandos satis valeant, tamē tanta est in Ca-  
rolo clarissimarum virtutum gloria, vt illarum splendore reliqua ampli-  
tudo pene obscuratur, fortunæq; & generis commendationes animi  
& ingenij bonis obruantur. Fuit enim in hoc viro præstans ingenium,  
ad hoc singularis prudētia, tum autem eximius rerum humanarū vsus,  
in primis vero summum religionis ac pietatis studium. Accedebat Re-  
giæ in omni genere magnificentia, quæ ingentes virtutes mirifice deco-  
raret. Neque vero indefessa virtus aut labore vquam infracta est,  
aut negotiorū multitudini succubuit, aut tædio & satietate relanguit,  
sed eodem perpetuo tenore viruit ac viguit; omnisq; vitæ cursus Caro-  
lo in assiduis laboribus, atq; in reipublicæ administratione acerrimæq;  
animi contentione continenter actus est. Prima gerendæ reipublicæ  
tempora Gallis data sunt, pro quibus multis et per amplis legationibus  
de maximis rebus perfunctus est, in quibus obcundis ea sui documenta  
dedit, itaq; nominis sui fama Christianas prouincias impleuit, vt Iulius  
Secundus quantus qualisq; Pontifex execrabilis interneciniq; odij, quo  
Galli a se dissidebant, oblitus aduersarum partium virum, ac pro illa-  
rum propugnatione expertæ constantiæ ad se euocatum sacræ purpuræ  
honore collato in Senatum legerit, quod sapiens Pontificis consilium  
ea quæ consecuta sunt, comprobarunt. In Pisano enim conciliabulo Ca-  
rolus raro ac neutiquam vulgatæ virtutis exemplo amplissimorum be-  
neficiorum ac partium immemor, sese a seditiosorum consilijs & socie-  
tate penitus segregauit, studijsq; cum pijs viris coniunctis in Romani  
Pontificis causam penitus demisit, adeo vir pius ceteros omnes huma-  
nos respectus præ religionis studio leues duxit. Præclaræ actioni omnis  
reliqua Caroli vita respondit. Cui in Lateranensi Concilio vna cum  
nonnullis alijs negotium omnium grauissimum pacis inter Christianos  
Principes componendæ datum sit. Iam vero immanes sacrarum A-  
edij substructiones Regio sumptu, ac miro opere excitatarum, amplif-  
simaq; illis facta donaria quantum cumulum reliquis laudibus addunt  
vt iure duo Principes Christianarum rerum capita Leo Decimus Pon-  
tifex Maximus, & Maximilianus Cæsar Elogijs suis amplissimis  
verbis

verbis conscriptis ingentium meritorum & virtutum Carolo testi-  
monium dederint.

P E T R V S . E T . R A P H A E L

R I A R I I . C A R D D

**I**llud fere nobis natura est insitum vitium, vt peccata ipsi nostra vel  
temporibus assignemus, vel in negotia conferamus, vel fortuna dele-  
gemus, vel alienæ voluntati et imperio tribuamus, vel in necessitatem,  
cui parendū fuisse dicamus, reijcere conemur, vel aliquam deniq; causam  
criminis a nobis remouendi comminiscamur. Ut sunt hominum in-  
genia ad suam eleuandam culpam nimio plus copiosa. Sunt tamen nõ-  
nulli, qui hæc omnia in rebus humanis plurimum posse contendunt, ma-  
gnamq; in mortaliū actionibus ponderandis vim habere, ac multum  
in vtramq; partem vel ad laudem vel ad vituperationem imminuendā  
valere. quæ opinio etsi tamquam a Christiana doctrina & pietate ab-  
horrens a nobis & a pijs omnibus explodenda est, tamen minime mira-  
mur PETRI ac RAPHAELIS. RIARIORVM magni nominis  
Cardinalium Regium cultum & splendorem, quem illi in omni vita se-  
cuti sunt, temporibus a nonnullis excusari. Ceterum hæc nobis in præ-  
sentia querenda non sunt, neq; viri amplissimi suo testimonio fraudan-  
di, quos Saonenses ciues cum Xysti Quarti affinitas, tum merita &  
virtutes ad amplissimum ordinem, & ad summam opes extulerunt, qui  
bus ceteros suæ ætatis superarunt. PETRUS haud vulgari sacræ do-  
ctrinæ scientia præditus fuit. RAPHAEL Pontificij iuris haud con-  
temnendus consultus. PETRVS in ipso ætatis flore extinctus est am-  
plissimo Legationis Italiæ munere perhonorifice & cum laude perfun-  
ctus. At RAPHAELIS Regia magnificentia cum multis in rebus  
tuo vero in immanibus substructionibus sese ostendit, nam præter Ho-  
stiam & Portū instauratas, eas Aedes Romæ edificauit, quæ Lauren-  
tianum templum laxitate sua includentes magnitudine, opere, mate-  
ria cetera Europeæ adificia facile exuperare existimentur. Ut Peregri-  
ni vrbe adeuntes duo duorū Ligurū eiusdem vrbis Saonæ Ciuum, has  
nimirū aedes, ac templū Vaticanū Romanam magnitudinem spirantia  
horrore defixi mirentur. Hic vir quamquam vitæ vno eodemq; tenore  
innocenter actæ perpetuum cursum tenuit, ac mira comitate morumq;  
iuauiate omnibus carus fuit, multa tamē ætatis tēpora infesta habuit,  
ac varijs

ac varijs & atrocibus fortunę casibus exercitus & iactatus fuit. nam in prima adolescentia, cum recenter in Senatum lectus esset, in coniuratione Paffiana, quę Iulianum alterum ex Medicijs fratribus sustulit, concitati Florentini populi impetum vix effugit Laurętij alterius ex fratribus superstitis cura in primis & auctoritate e summo discrimine ereptus. præterea Valentino ad Sfortiam matronam & Riarios suos Foro Iulij expellēdos profecto sibi timens noctu clam ex vrbe profugit, ac Mediolanum concessit. Iam vero in consilijs in Leonis vitam Alphonso Petrutio auctore in carcerem inclusus est, non quidē, quod societatis parricidij insimularētur, sed quod coniurationis conscius illam Pontifici non enuntiasse argueretur. quam rem horum sæculorum Principes ad parricidij crimen ex frequentiore Iurisconsultorum sententiā reuocare solent. Postremo carcere emissus est pecunia a familiaribus collata redemptus. fuerunt autem ducenta millia aureorum numum. vt ex tam immani summa illis præsertim temporibus, cum tanta auri & argenti vis ex nouis occidentalis Indię prouincijs in nostrum orbem ab Hispanis continenter inuecta nondum Regna Europe supra modum ditasset, appareat, quod familiarium genus vir amplissimus apud se haberet, quantaq; in caritate cum illis esset. Successores habuit tres fratris filios omnes amplis sacerdotijs ornatos Cæsarem Patriarcham Alexandrinum, eundemq; Archiepiscopum Senensem, & Episcopum Malacitanum, Octavianum Episcopum Viterbiensem, Sfortiam Episcopum Lucensem.

#### HIERONYMVS. BASSVS. CARD

Egregium virum fuisse HIERONYMVM. BASSVM eiusdem vrbis ciuem necesse est. quem Iulius secundus tantus Princeps af suum habere gloriari solitus sit; eiq; magnificentissimum sepulchrum extruxerit. huius perpetuus vitę cursus constantissime actę morumq; candor & integritas, singulareq; religionis studium vna omnium voce laudantur.

#### ANTONIVS. FERRERIVS. CARD

GRAUES CASVS & INFELIX EXITVS Antonij Ferrerij illum ex memoria hominum delere potuerūt, verum sacrę purpurę splendor, qua ipse quoq; a Iulio secundo indutus est, hominem qualicumq; tandem ingenio

ingenio vsus silentio præteriri prohibuit, illumq; si non ad laudes Patrię cumulas, ac certe ad stemmatum numerum augendum in nostris elogijs locum habere iussit.

#### MARCVS. VIGERIVS. CARD

GENS Roboreia in summo sacrarum rerum fastigio posita, pena & premijs rempublicam contineri probe intelligens, vt in nonnullos seueritatis suę aculeos malefactorum hominum excitatos contorquere coacta est, id quod in Antonio Ferrerio ostēdit, ita innumerabilium merita & virtutem amplexa, illos fortunis, opibus, honoribus amplificauit. qualis fuit M. ABCVS. VICERIVS ipse quoque Saonęsis ciuis. cuius mirificam sacrarum rerum doctrinam, qua in primis suę ætatis hominum excelluit, probitatem, prudentiam tanto fauore profecuta est, vt in nemine extollendo clarius aut maius grati beneficij, animi specimē expresserit. Xystus enim Pontifex beneficiorum a Marco Vigerio seniore acceptorum memor, a quo cū in cœnobio ab omni opę desertus summa inopia summisq; omnium rerum angustijs premeretur, alendus & tuendus susceptus fuerat, cum ipse tandem ad primos, & ad summam dignitatem in Franciscanis peruenisset, EM. ANŒLEM ad se vocatum, ac Franciscana vota ipsum quoque professum prioreq; nomine ex Monachorū instituto in illud, quod benemeritū patrum referet, commutato, apud se habuit, ac quibuscūq; rebus potuit, augendū & ornandum suscepit. Denique Pontifex Maximus creatus ex cœnobij umbra in lucem Aulicam eductum sacerdotijs ac per amplis fortunis honestauit, arcisq; Hadriani præfecit, At Iulius inchoatū opus absoluit, MARCVMQ; experta fidelitate, doctrina, meritis commendatum in amplissimum collegium cooptauit, armisq; Alphonso Duci Ferraricensi illatis exercitus Legatum creauit. in quo munere fugendo cum egregia illius opera fuisset, tum vero longe magis eluxit in concilio Lateranensi, in quo multo maxima grauiorum negotiorum pars in eius procuratione & consilio versata est, cum etiam apologeticam disputationem doctam & per acutam contra Pisanum cætum edidisset. quæ vna cū alijs egregijs & approbatis extat scriptis. Quibus meritis ita delectatus est Iulius, vt ad cetera amoris vincula noua quoque affinitatis necessitudine VIGERIVM sibi coniungere non indignatus sit, Nicoleta Roboreia fratris filia Marci fratri in matrimonium data.

B A R P T O L O M A E U S : C V C V R

N V S. C A R D

**B**ARTOLOMÆVM. CV CURNUM ex oppido Clauaro nobili & peruetusto genere ortum libenter praterijsem, ne infelici exitu, quo vitæ cursum terminauit, funestum hoc opus nostrum facerem. Ceterum viro, cuius memoriam sacra purpura illustrem faciat, omisso Liguria Patria numero clarorum virorum fraudanda visa non est.

P H I L I P P V S. C A L A N D R I N V S. C A R D

**P**HILIPPVM. CALANDRINVM Sergianensem praterquam quod Nicolaus V. Vterinus frater. conspiciendum facit, suæ quoque laudes haud parum commendant. ingenio enim mansueto, ac com moribusque, suauissimis fuit. A Nicolaoque, Episcopus Bononiensis, Cardinalis, ac maximus, vt vocant, Pœnitentiarius, Piceni, Legatus creatus amplissima mandata munera summa cum integritatis, æquitatis, iustitiæ, humanitatis laude administravit.

C L E M E N S. D O L E R A. C A R D

**H**umani ingenij imbecillitate, naturæque, dona sua inter mortales partientis decreto fieri videmus, vt idem quamuis excellenti ingenio præditus vir, & ad res gerendas natus non omni negotiorum generi aptus sit, neque satis feliciter sese varijs hominum ingenijs & studijs accommodet. Quam rem CLEMEN TI. D O L E R A E ex oppido Monelia vsuuenisse constat. Is vir cum Fræscianum ordinem, cui multos annos summus Minister præfuit, & ad quod fastigium ab inferioribus muneribus ad superiora sibi deinceps gradum faciens cum summa omnium approbatione conscendit, Is igitur vir cum eum ordinem summa cum prudentiæ, ingenij, probitatis laude rexisset, Cardinalis creatus famam tot meritorum & officiorum momentis diu collectam nihil sane auxit, vt sacræ purpuræ insignis titulus plus honori & amplitudini adiecisset, quam priori gloriæ & existimationi addidisse videatur.

ALBER-

ALBERTVS. CLAVARVS. S V M M V S

M A G. D O M I N I C A N O R V M

**V**eterum illorum patrum, quos inter homines adhuc degentes necdum huius corporis vinculis solutos celestium vitam imitatos laudibus in calum extulit antiquitas, quippe qui vt sese ab omni vitiorum contagione puros atque integros seruarent, procul ab hominum coetu in vastas solitudines, locaque, deserta concedentes omni mente in assidua Diuinarum rerum meditatione defixa totam ætatem egerunt, Horum igitur sanctissimorum virorum continentiam, morum castitatem, humanarum rerum contemptum, animi demissionem tercentum circiter ab hinc annis rettulit Albertus Clauarus Genuensis ciuis Dominicanæ instituta professus. cuius vt omittam perpetuum vitæ tenorem in ieiunijs, cum a carnium vsu perpetuo abstinerit, vigilijs, precationibus actæ, quibus rebus carnis luxuriantem contumaciam, mentisque, legi reluctantem perdomandam didicerat, cum Diuinarum virtutum ac meritorum commendatione ad summum Magistri vniuersi ordinis. locum elatus esset, nihil de pristina vitæ ratione immutauit tenuissimo cultu contentus; tantaque, fuit in homine animi ab omni fastu & superbia abhorrentis demissio, vt in tota Europa obeunda ad cœnobias sibi subiunctas lustranda, resque, ordinis de more inspiciendas & constituendas, numquam equo vsus tam immensa itinerum spatia vir prouectus iam ætate pedes conficere solitus fuerit. Eadem gens Clauara ætate nostra Marcum tulit auunculum meum Fræscianæ instituta professum earundem virtutum æmulum, quamquam acriore ingenio virum, quem genibus flexis in preces effusum, mente a sensibus abducta, & in Diuinarum rerum cogitationem elata, sublimen a se conspectum complures graues viri asseueranter affirmarunt. itaque, huius viri sanctitatis opinio in mentibus hominum penitus infedit, vt ad mortui corpus concursus facti sint, partem vestis vnoquoque sibi petente, vt sancti viri reliquias apud se haberet. Vt mihi gloriari libeat, me maternum genus a gente Clauara ducere, ex qua tam clari Christi discipuli extiterint.

P O R C H E T T V S. S A L V A G V S

**I**dem est gloria, qui virtutis modus; quantoque, hæc clarius excellit, tanto illi altior debetur locus. Virtutis vero magnitudinē cū operis RR 2 præstantia,

præstantia, tum utilitate metimur. Præstantissimū porro illud est opus, in quo maxima ingenij & industriæ vis exprimitur. At utilitas eo maior est, quo vel ad nobiliorem rem accommodatur, vel latius patet. Quæ si vere dicuntur, non facile video, quem de togatis Liguribus cum Porchetto Saluago conferamus, qui superiora omnia mirifice expressit in duobus illis libris, quos aduersus Hebræos conscripsit. in quibus omnes quicumq; idem argumentum tractarunt, communi doctorum sententia haud exiguo interuallo antecessit. Nam ut omittā eximiam doctrinam, cum fere nihil sit aut in sacris ipsis libris, aut in omni genere & varietate Hebræicarum litterarum tam reconditum, quod clari viri scientiam effugerit, quam admirabile Deus immortalis specimen ingenij editum est cum in intimis præsei testamenti sententijs penetrandis, tum in Hebræorum peruicaci cecitate firmissimis argumentis refellenda. Quod autem maius opera pretiū fieri, aut qui utilior & præstantior fructus ex doctissimi viri laboribus et ingenio existere potuit, quam Christianam veritatem, Christiq; Domini Diuinitatem, ac promissum a sacris vaticibus Messia aduentum aduersus infensissimos religionis nostræ hostes ex ipsorummet scriptis & testimonijs asseruisse, & in clarissima luce collocasse? Quæ utilitas non Urbe Genua, aut Liguria prouincia terminatur, aut aliquo temporis curriculo circumscribitur, ut multa aliorum Ciuium merita, sed cunctum Christianum populum toto orbe terrarum latissime diffusum, sempiternasq; sæculorum ætates complectitur.

P O R C H E T V S . S P I N V L A  
A R C H I E P I S C O P V S

**D**uo clarissima documenta in PORCHETI. SPINVLAE eximia virtute nobis prodita sunt. alterum ingentes ac nimios spiritus, quos præcelsa nobilitas facere hominibus solet, a Christiana animi demissione comprimere posse; alterum ex hac ipsa demissione gradum sepe ad sublimia fieri. Quippe qui rebus mortalibus in prima ipsa adolescentia valere iussis cum in Franciscana instituta nomen dedisset, morum sanctissimorum commendatione, & doctrina suffragatione ad summum Ministrum locum conscendit. A quo loco ad Archiepiscopatum Genuensem vocatus est. Verum cum sensisset sese in illo honore positum Pontifici minus gratum esse, proximus vilitate animi demissioni sue fuit. Nam Archiepiscopatus honore & munere sese sponte abdicauit, atque

atque ad omnem partium suspicionem detestandam, declarandumq; nullam offensionis memoriam in miti animo residuam esse, non prius quietuit, quam gentem Spinulam apud Pontificem in gratiam poneret. Quo ille merito, simul hominis lenitate & pietate commotus Porchetum in suum solium restituit.

P I L E V S . M A R I N V S  
A R C H I E P I S C O P V S

**V**nicuique profecto exempli virum ex multorum seculorum memoria fuisse PILEVM. MARINVM, omnes ad quos fama peruenit, fatebuntur. qui Archiepiscopus Genuensium creatus præter diligentem & sedulam operam, assiduosq; exhaustos labores in sacerdotum moribus emendandis, lapsaq; Ecclesie disciplina restituenda illud edidit celsissimi animi, supraq; humanum captum inferiora hæc sordida & humilia desipientis specimen, quod omnis ætas cunctaq; nationes in vno Pileo mirentur. amplissima enim Genuensis Ecclesie vectigalia non in priuatum cultum domesticumq; splendorem, aut in suos opibus amplificandos vertenda, sed ad egentium inopiam subleuandam a pijs hominibus relicta intelligens, vltro auctor fuit, collegarum sibi publice ascensionum, quem Magistratum a re Misericordie appellauit. qui munus hoc honorum Ecclesie quotannis distribuendorum ipsi obirent, tanta summa ex illis Archiepiscopo relicta, quanta ad cultum modice tuendum sufficeret. Qua sanctissima lege Romani quoq; Pontificis auctoritate & decreto comprobata atque sancita facultatem bonis Ecclesie abutendi, illaq; per luxuriam & fastum profundendi sibi ipse vir in primis memorabilis & colenda memoria, ac successoribus Genuensibus Antistitibus præcidit.

V B E R T V S . S P I N V L A

**D**uo VBERTI. SPINVLAE continuandi mihi elogijs fuerunt. Ambo ingentes viri ac celebri nomine, ceterum gloria magna quidem vterq; sed dispari, quæ in hoc, quem in manibus habemus sincera ac nulla turpi nota deformata nitet, at in eo, quem subiciemus, non exigua labe aspergitur. Is igitur Vbertus de quo nobis institutus est sermo, egregius quidem pace ac bello vir fuit, ceterum quia res a togato gesta longe præfulgent, eius nominis splendore decorandam hanc classem duximus. Nemo omnino ciuis fuit, ex omni annalium nostrorum memoria,



memoriam, cuius opera magis multa ac varia, aut Patriæ pace et bello utilior, magisque honorifica, quam illius fuerit. In summis enim magistratibus, aut in legationibus, aut in expeditionibus vno ac nunquam interrupto tenore omnem ætatem egit nulla quiete a continentibus laboribus data, ut clari viri consilio & auctoritate rem Genuensem ea tempestate in primis steterit, haud immerito existimatum sit. Singula stilo persequi Elogij modum longè excederit. insigniora tantum strictim attingam. Principio consul, qui tum summus Magistratus erat, vna cum collegis cum omnia Genue negligentia superiorum consulum soluta & neglecta essent, atque ab omni presidio flagitiose imparata, neque magistratibus debita obsequia tribuerentur, curamque reipublicæ omnes aspernarentur, ac res in dies magis ac magis labrentur, seueritatem pristinae disciplinae restituit, res AÆrarij constituit, reipublica ære alieno liberata; ad hoc magnum trirremium numerum edificauit atque omnibus necessarijs rebus instruxit. Quibus rebus factum est, ut animos ciuium labantes, quod Friderici minaci aduentu animis Italorum perterritis nemo fere illis temporibus reipublicæ attingere auderet, confirmaret, & ad reipublicam capeffendam erigeret. Legatus ad Fridericum AEnobarbū Mediolanum obsidentem, Genueque, minitantē cum collegis missus animum Cesaris mitigatū reipublice conciliauit, atque ab impotentibus postulatis reuocauit, veteri reipublica iure defenso, pacemque cum illo honorificis conditionibus composuit. Quartum consul in Hispaniam cum classe nauigauit, atque in itinere littoribus Sardinie et Corsicæ a Saracenorum incursionibus pacatis, latrocinijque repressis portum Denie tenuit; tantaque fuit nominis Uberti auctoritas, ut Lupus Castellæ Rex celsissimus, cui virtus & integritas hominis in superioris anni legatione perspecta erat, oratoribus ad eum missis controuersiarum inter ipsum & populum Genuensem ipsummet Ubertū Iudicem fecerit; eiusque iudicio sine vlla retractatione steterit, ingenti enim pecunia damnatus iudicatum soluit, ac pacem in conditiones ab Uberto prescriptas cum Genuensibus sanciuit, libero commercio nationi Genuensi in Regnis suis permisso. Alterius expeditionis Praefectus Pisanorum classē in fugam coniecit, quos urgendo cum nulla esset elabendi spes, iam animum despondentes casus seruauit. Decem enim Saracenorum naues forte superuenerunt in quas appropinquantes Ubertus turpe ratus religionis communibus hostibus iucundum spectaculum præbere duarum christianarum classium internecino prælio inter se commissarū, Pisanis omissis in Barbaros proras conuertit. quos in turpem fugam

fugam coniectos instando & urgendo haud dubie magna ex parte capturus fuit, nisi nox interueniens illos ex ipsius manibus eripuisset; ut duplex decus duarum classium fugatarum eodem die atque eodem pene conatu assecutus sit. Ceterum ex innumerabilibus præclare gestis nihil est quod Uberti nomen insignius faciat, magisque ad posteritatem commendet, quam quod in controuersijs cum Pisanis de Sardinie rebus utroque populo eam Insulam vindicantē Cesari in causam Pisanorum propendenti Genuensibusque pro imperio mandanti, ut libera possessione Sardinie Pisanis cederent, Legatus Genuensium constantissime restitit; iniustumque imperium appellare non dubitauit; ac Genuenses prius vita discessuros, quam ea parte Insula, que iuris ipsorum sit, excessuros affirmauit. Non igitur se aut Genuenses iniusta imperata facturos, aut illa vilo modo accipere, sed causam per iudicium cognoscere oportere. cuius æquitati Genuenses sese sint submissuri, aliter armatos iuris & dignitatis sue vindices non aduersus Pisanos modo, quos contemnunt, sed aduersus quemuis honestam mortem fortiter oppetere paratos. Ad extremum luculentam orationem splendida clausula conclusit; Pisanumque Consulem ad singulare certamen prouocauit. In quo singulis utriusque trirēibus vel pluribus usque ad decem æquo Marte concurrendum esset; periculumque faciendum, utra gens fortior ac melior bello esset, digniorque cui a Romano Imperio populi regendi & defendendi tribuerentur. Que orationis libertas commotum Cesarem in viri admirationem versum flexit, qui ab imperio destitit, causamque cognoscendam ad Iudices reiecit. Summum igitur hoc beneficium rerum in Sardinia retentarū Uberto Spinula Genuenses debent, qui imperterriti animi robore tantos imminētes motus discussit, tantasque bellorum causas præcidit. Cum dubium non sit, quin eius insule retentio; si res ad arma deducta fuisset, Cesare presertim hoste accedente, multarum cladum multique sanguinis mercede Genuensibus statuta fuerit. Egregium vitæ cursum ac cum laude semper actus dignus exitus conclusit. animo enim a caducarum & mortalium rerum curatione ad sempiternæ Patriæ cognitionem conuerso Ubertus templum Diuo Lucae sacrum, collegio sacerdotum ornatum per ampliusque vestigalibus in sacrorum cultum & colentium alimenta donatum extruxit, septemque relictis liberis non magis rei, quam virtutis paternæ hereditibus, quorumque singulorum opera in reipublica gerenda illustris fuit, cum omnium ciuium luctu, quibus nihil fuit ea ætate ad venerationem sanctius, plenus gloriæ & meritorum ex humanis excessit.

ALTER

**H**oc fere vitio laborare celsa & praestantia ingenia solent, ut dignitatis & potentiae plus nimio appetentia sint, atque immodica regnandi cupiditate plerumque auferantur. quae res multorum egregia facinora saepe foedauit; meritorumque gratiam extinxit. Ubertus quidem Spinula nimis auro popularis captator imperium Patria Vberto Auriaria collega sibi adiuncto fauore plebis subnixus inuadendo minus conspectas fecit multas, & eximias virtutes suas, hoc est summam animi moderationem, aequitatem, liberalitatem, mansuetudinem, quae laudes quantae in illo fuerint, ardentes & perpetuum populi in eum studium declarauit, quod sine illis parari non potest. Quarum virtutum cum multa neque ea obscura edita sint ab illo per omnem vitam documenta, duo exempla alterum incredibilis lenitatis & clementiae, alterum singularis animi moderationis ad omnem posteritatem memorabilia protulisse contenti erimus. Nam cum aduersae factionis Principes ad res noxandas, Ubertosque imperio deiiciendos ingentibus motibus consurrexissent, victos tandem atque in sacram adem conclusos, cum populus iracundia & caritate Uberti ardens viuos illos comburendos minaciter vociferaretur, iamque faces subdere inciperet, tanta fuit in Uberto animi altitudo, ut iracundiam suam recenti stimulo iniuriae incitatum reipublicae, & humanitati condonaret. Quare eo accurrens ipsos eosdem hostes suos, qui in eius caput coniurabant; quibusque sublati quietum imperium sibi stabilire in perpetuum poterat, populi impetu agre compresso, e furcentium manibus eripuit, incolumesque dimisit. Cuius beneficii memoriam iidem ipsi aduersae factionis homines in viri obitu lacrymis suis testati sunt. Moderatio vero conspecta est in se magistratu abdicando tum cum maxime in flore virium esset. Vt dubitetur damnabilius ne ab illo imperium appetitum sit, an gloriosius depositum. Lacerauimus nos quidem clari viri memoriam alijs scriptis nostris, neque sententiam mutamus, ceterum consilium nostrum illud tum fuit, facinus improbandum, materia quam tractabamus ita postulante, damnare; & odio civium subijcere; non ceterarum virtutum splendorem obscurare, quae cum Uberti nomen celebre apud exteros scriptores fecerint, illud a Genuesi homine praeteriri, maleuoli & ieiuni plane animi duxissemus.

Huic elogio annexendus mihi visus est Simon ex eadem Spinula gente ortus, quae nostra atate mira ingenij, & animi iuuales per omnes publi-

corum

corum honorum gradus, ab ipsa pubertate initio facto, tandem ad Ducatus fastigium extulit. ad quod egregia ac multiplicia documenta suidando in magistratibus gerendis, in legationibus obeundis, in mandato munere legum corrigendarum exequendo, denique in omni genere tractanda reipublica peruenit, cum omnis priuatae vitae cursus honorifice ac senatorie actus ab omni sordae intactus fuisset, ab omni quoque questus genere tamquam patritio homini parum decoro liberale ingenium perpetuo abhorruisset, sua sorte honestoque patrimonio a maioribus relicto, in quo etiam Dominatus populorum fuit, contentum. In summo honore positum vero animi ingenijque bona in primis apparuerunt. Nemo enim acrior maiestatis publicae assertor aut iustitiae studiosior cultor, aut delictorum seuerior vindex fuit, nemo maiori bonis caritati, malis terrori; nemo in negotijs publicis procurandis & expediendis vigilantior. Cuius rei duplex illud specimen fuit, occulte gliscentia seditionis initia conspiratione nonnullorum humilis quidem sortis hominum inchoata, ceterum paulatim vires assumentia detecta, & compressa; & Corsica Insula tandem pacata, multis pagis ad sanitatem & obedientiam tandem reuersis. Nemo denique in copia ac vilitate annonae providenda ac tuenda, ac maiore cum fructu diligentior fuit. quod beneficium illo mortuo magis eluxit, cum annona ingrauescente parentem alimentorum extinctum vulgo lugentes clamitarent. Condecorabat virtutes & merita neutiquam vulgata eloquentia, propterea & suavis, atque etiam ornata dicendi copia. quae responsa legationibus, ac magnatibus danti concursum hominum, & audientiam faciebant. Cumque commentarium legum, atque emendanda reipublicae composuisset, quem ad senatum referret, mors interueniens praecleara consilia interrupit. Extremumque Ducatus tempus honorum, & vitae clausula fuit.

R A P H A E L . A D O R N I V S

**C**opia honorum omnis generis exemplorum diues fuit Genuesis Civitas. in quibus memorabile facinus RAPHALIS. ADORNII in primis enitet. cuius viri quis silentio praetereat, atque adeo quis non aeterna laude in caelum ferat admirabilem animi magnitudinem, singularemque patriam caritatem? qua inductus ea se responte & a nemine coactus ipse priuauit, quam homines omni dimicatione petere solent, ac pro qua assequenda viri ceteroqui egregij ius violare turpe fere non ducant, hoc est Regno. qua lae ne ipse quidem Iulius Caesar

S S caruit

caruit. Raphaël igitur spe a ciuibus facta, si ipse sese Ducatu abdicare in animum induceret, fore, vt sublatis partium studijs concordia inter ciues conueniret, pacatusq; ac tranquillus Ciuitatis status constitueretur, nulla mora interposita nihilq; retractans Principatu, quem non inuaserat, sed liberis suffragijs delatum acceperat, exemplo sese abdicauit, atque in priuatas Aedes concessit. Neque imminuitur egregij in Patriam promeriti gratia, quod sanctū consilium effectu caruerit, animis ciuium alio tendentibus, sed augetur laus, quod in deprauatis ceterorum studijs ipse in diligenda patria vnici exempli ea etate fuerit.

### L V C H I N U S . V I V A L D U S

**C**um memorabili Adornij animi magnitudine apte coniungitur LVCHINI. VIUALDI non minoris virtutis, minorisue gloriae facinus, quamquam generis diuersi. neque enim minus acres minusue impotentis sunt in iuuenili praesertim pectore amoris stimuli, quam regnandi cupido. Vt hi duo Ciues nobile par continentia in ciuitate nostra fuerint. Atque haud scio an LVCHINVS melius inter viros bellica virtute et insignibus victorijs claros, quam in hac togatorum classe locatus fuisset, atrocior et periculosior preludio victor. Grauius enim bellum multis de causis sapientes semper existimarunt, quod cum cupiditatibus nostris; atque adeo nobiscum ipsi, quam quod cum externo hoste gerimus; maioreq; multis partibus virtute maioreq; gloria quam exterior, interior hostis vincitur. qui eo acrior est, quo propior, quoq; illius petitiones ad interiora semper penetrant, cum ad externos ictus varijs rationibus tecti esse possimus; ad hoc non semper externus hostis utiliter vincitur. quin etiam damnosa saepe est victoria, quae meliori et sapientiori nos parere vetat, at interiori hosti, qui Tyrannus omnium est terribissimus, parere sine pernicio et exitio nostro non possumus. Huc accedit, quod in externo hoste vincendo ius saepe violamus, cum ille causa et iustitia superior est: at in interiore hoste perdomando tantum abest, vt iniusti vniquam simus, vt hoc ipsum vincere, reluctantemq; rationis imperio obcedentem reddere, opus iustitiae vel maximum sit. In hominibus igitur hac victoria; quae rara admodum semper fuit, claris LVCHINVS. VIUALDVS altissimum gloriae locum obtinere est existimandus. qui cum Genue matronam forma praestantem ac genere nobilem, ceterum castitate inuictamq; pudicitia nobiliorē deperiret, ueque animū aduersus omnes oppugnationes pudore munitū

vllis

vllis aut precibus, et blandimentis flectere, aut donis corrumpere potuisset, factum est, vt mulieris vir vna cum nauis omnibusq; mercibus a piratis captus et in seruitutem sit abductus. quare mulier ad egestatem, extremamq; omnium rerum inopiam redacta cum vnde paruulos liberos aleret, nihil haberet, necessitatibus victa ad LVCHINI occulto ad se accersiti genua prouoluta, atque in flebiles questus effusa. Quādoquidem, inquit, mentē tantūmodo posthac pudicā gestura, vt vtraq; parte meī casta perpetuo manerem, fortuna iniquitas prohibet, animūq; illum aduersus omnia inuictum famas, carissimorumq; pignorum aliter periturorum amor et misericordia expugnauit, dona illa Luchine, quae a te sponte acceptura numquam fui, nunc accipere, hocq; corpore in ea, quae libido tua feret, morem tibi gerere parata sum. Consopitam atque a libidine constrictam generosi animi virtutem misericordia excitauit, et indomita cupiditatis estumtum, vt cum maxime, ardentem subito extinxit. quare ad meliorem mentē conuersus LVCHINVS lachrymas ipse quoque non tenens. Ne istuc, inquit, Deus optimus Maximus, virgoq; Regina sinant permittatq;, vt tam pudicum corpus violare audeam, mentemq; tam castam, et a flagitio tantopere abhorrentem fortuna iniurijs victam ad detestabilem re descendere patiar. quae dona prostrata pudicitiae habitura a me fueras, eadem atque etiam cumulatiores serua. haec habebis, domumq; reuersus, vt omnem prorsus suspicionem tolleret, coniuge particeps consilij facta, eademq; ministra et internuntia tantum mulieri subinde suppeditauit, quantum in illius et filiorum alimenta abunde sufficeret. Quod LVCHINI factū, quaeq; singularis animi magnitudo Africani continentiae tantis laudibus tamq; magnifica oratione a scriptoribus in caelum sublatae, si quis rem suis momentis ponderet, infinito interuallo est anteferenda. nam neque Scipio puellam numquam ante conspectam amabat, vt nullis veteris atq; animo infidentis amoris facibus illius libido accenderetur, facileq; fuerit a re non expetita oculos et cupiditatem abstinere. ad hoc Scipionis peccatum occultum esse non poterat, vt neque inuidiam apud suos, atque inimicorum, qui nimio plures erant, obrectatorumq; vituperationem subterfugere, neque grauem offensionem apud Hispanos populos flagitium admittendo posset vitare. quae re nihil splendidis susceptis consilijs magis aduersabatur. Vt subita libido, quaeq; nondum alte radices egerat, non tam a virtute et continentia perdomita. quā ab alia lege maiore inueteratq;, gloriae cupiditate consopita videri possit. quod totum contra in LVCHINO fuit, animo veteri

SS 2 flamma

flamma estuante , occultoq; peccato nulli inuidia aut fraudi obnoxio,  
nihilq; priuata vitæ susceptas rationes lædent e.

FRANCISCVS. MARCHESIVS

**B**ellicis artibus ac naualibus studijs Ciuitas nostra perpetuo inten-  
ta, quibus nomen suum toto mari mediteraneo celebre Regibus &  
Ciuitatibus accolis verendum in primis, atque adeo formidolosum fe-  
cit, eos tantum Ciues suo splendore illustrat, qui militarem rem colue-  
runt, At quibus pacis & togæ artes magis cordi fuerunt, ijs vel a do-  
ctrina studijs, vel ab exterarum rerum tractatione commendatio pe-  
tenda est. Nonnullorum tamen ingenium ita excelluit, vt illorum vir-  
tus etiam Ciuitatem nostram non egressa eximios illos faciat. In qui-  
bus auorum nostrorum memoria insignis fuit FRANCISCVS Mar-  
chesius Ioanis haud obscuri nominis iuriconsulti filius nobili & per-  
ueto genere ortus, cuius nomen multorum scriptis celebre duplex  
laus commendat & doctrinæ & reipublicæ gerendæ scientiæ. Cui Ale-  
xander Imolenfis quanti qualisq; nominis Iuriconsultus egregium iu-  
ris scientiæ testimonium dedit. in reipublica vero gerenda is fuit, vt  
nullius magis consilio & virtute ea tempestare ciuitas nostra nitere-  
tur. quippe cuius prudentia & ingenium cum in omni gerenda reipubli-  
cæ genere sese explicuit, tum vero in Legationibus in primis enituit,  
quibus compluribus magna semper cum gloria ad magnos Principes  
de grauibus negotijs functus est. in quibus illa prætereunda non est ab  
Annalibus, & a Baptista Fulgoso celebri laude commemorata, qua  
seruit utem a patria depulisse, ac magnorum tumultuum causas præci-  
disse existimatus est, cum idem complures legationes eadē de re missæ  
frustra tentassent, Galeatum enim Mediolanensem Ducem ad non con-  
cessā tendentem, atque idem quod ceteris Ditionis suæ urbibus iugum  
spretis scæderibus Genuæ imponere molientem a prauo consilio reuoca-  
uit egregio commento orzimi ad illum missi. cuius herba cum ea natura  
sit, vt leniter attrēfata suauis odore, nimis pressa graui & tetro attrē-  
fantium manus perfundat, Genuensis populi ingenium sapientibus  
ambagibus declarauit, haud omnino absimili, verum tanto feliciore  
commento, quam quod traditur de sicu Catoniana, quanto præstabilius  
est vrbes seruare, quam euertere. Egregij viri, cuius posteritas quam-  
plurimas nobiles familias affinitatibus complexa est, nulla virilis ex-  
tat stirps, quæ Marchesium nomen Genuæ perenne faciat, non tamē suc-  
cessione

cessione omnino carere dicendum est. quæ ex materno genere in OCTA-  
UIANO Pasqua iuriconsulto viget, qui in Romana Aula in vtroque  
supplicum libellorum munere ea ingenij, industriæ, doctrinæ dedit docu-  
menta, vt appareat illum neque Simoni Cardinali patruo, neque tanto  
abauo fratreq; Leonardo Inganorum Episcopo viro sancto indignum  
successorem fore. vt omittam comitatem, morumq; & naturæ suauita-  
tem, quæ illum in consuetudine omnibus carum & iucundum faciunt.  
quod vero virtutum suarum maius aut clarius testimonium optare pos-  
sit Octavianus, quam illud, quod ipse summus Pontifex Gregorius ter-  
tiusdecimus ei per amplum dedit, honorifico Locrorum Episcopatu,  
quem nunc Hieracensem vocant, illi delator

IOANNES BAPTISTA

L A Z A N I A

**I**n eodem reipublicæ gerendæ genere, atque in pari ingenij & consi-  
lij laude memoria nostra versatus est IOANNES BAPTISTA  
LAZANIA ipse quoque eximius Iuriconsultus. cuius omnis fere  
ætas, dum itinerum laboribus ferendis fuit, legationibus obeundis, usq;  
de maximis semper rebus contrita est. Vt nullius opera & industriæ  
maiori vsui reipublicæ, magisq; multa fuerit, quas legationes non neces-  
se habeo singulas persequi. nam id infinitum pene fuerit. carptim igitur  
nonnullas fructuosiores & illustriores attingam. Quarum illa in pri-  
mis est insignis, cum Saonenses continuatis amplissimis sacerdotij hono-  
ribus, alteroq; Pontificatu maximo sublatis ad spem Genuensis imperij  
exuendi animos erexissent; Ludouicoq; duodecimo Gallorum Regi sua-  
dere cepissent, e re Gallorum esse, duo capita Liguriæ fieri; Saonamq;  
a reliquo corpore separari, ibiq; alteram imperij sedem constitui. sic  
fore, vt Ligures in duo corpora distracti, ac propterea eneruatiorez fa-  
cti minus in posterum ad imperia contumaces essent, magisq; dicto au-  
dientes, missus Ioannes Baptista Regem cum specie vtilis consilij per-  
motum, tum quod Genuensium dominatus non certi & explorati, sed  
dubij & controuersi iuris ipsi videretur, in causam saonenisum pro-  
pendentem a sententia deduxit, Genuensium iure acerrime defenso, im-  
perioq; asserto. Quare ad eum diem nutantem Regem ab omni studio  
sensuq; Saonenisum ad Genuensis ciuitatis dignitatem amplectendam  
traduxit. Vt summum hoc beneficium Saonenis imperij retenti Ioannis  
Baptistæ

Baptista virtuti & industriæ magna ex parte civitas nostra debeat. id quod ad hoc usque tempus Saonenses sepe querentes audivi, cum palam profiterentur, sese Lazania opera in servitute esse. Cumulatur egregium ingenij specimen haud minus insigni eximie in patriam caritatis documento. nam cum legationis munere defunctus comteatum petisset. Ioannes Baptista, Rex hominis ingenio & eloquentia captus, Quandoquidē, inquit, Lazania tam multa a me publice impetrasti, te quoque privatim volo aliquid meæ in te voluntatis pignus auferre. postula quodcumque; animo libet, nullo postulato frustrandus. Hic Ioannes Baptista manum Regis apprehensam exosculatus. Per ego te istam, inquit, dextram fide & liberalitate prostantem oro queso, Rex, ut benignitatem istam tuam in me commotam omnē in patriam meam conferas. quamq̄, olim opibus & gloria florentem, nunc diurnis malis fessam & afflictam in fidem recepisti, cam recrees, ac tueare. hoc summum a te habere beneficium, possum. Tum Rex in viri admirationem versus, Generosi, inquit, voti, ac magnifici istius responsi cum fructum, si in Italiam unquam venero, capias faxo, cuius tu, posterit asq̄, tua in perpetuum meminerit. Mox ad Iulium Secundum eadem de causa missus Ioannes Baptista ingenium illud acre ac vehemens, impotentemq̄, illam iracundiam, atque animum recenti offensione Genuensibus irritatum, Ut Saonæ patriæ favere natura cogebat; tum autem ipsi legato odiosæ & acerbæ rei ministro insensum leniter tractando ita paulatim permulsi, ac mitigavit, ut ad Genuensium benevolentiam tandem flecteret, ad illorumq̄, causam & dignitatem amplectendam traduceret, Nec minus Patriæ honorifica ea legatio fuit, in qua ipse Princeps ad obedientiam Leoni decimo deferendam missus Gallos acriter resistentes, ac Pontificis fidem implorantes, ne tanta iniuria ipsorum Regi imponeretur; obrestantesq̄, nullum ius esse, obedientiam recipi ab hominibus delatam, qui non suæ potestatis, sed Gallicæ sint ditionis, firmissimis rationibus refutavit; docuitq̄, Genuenses in fide quidem Gallorum aliquando, in ditione numquam fuisse. qua fide solutos in libertate esse eo iure, quo qui optimo; ac proinde tenuit, ut obedientia acciperetur. Iam vero illa legatio tempore quidem sed non utilitate posterior fuit, qua ad Carolum Regem Hispaniarum celsissimū functus est, ad amicitiam sancendam, fœdusq̄, inter illam Regiam & Genuensem nationem scribendum missus. in quo negotio ducendo ita sese gessit. Lazania, ut conditionibus superioribus, longeque, magis secundam rationes atque usus populi Genuensis amicitie fœdus composuerit. Legationibus exterisque laboribus

laboribus res urbanæ responderunt. nam & consilium ita enituit, ut nihil magnum publice nisi illo adhibito decerneretur; ipsiq̄, Duodecimviri in scribendis legibus reipublice constituendæ eius ingenio & opera perpetuo vsi sint; & ea fuit eloquentia, ut siue in senatu sententiam diceret, siue in concione verba faceret, siue ad Iudices causam peroraret, coetus hominum mirifice teneret. Atque ego neminem puto fore, cui Ioannis Baptistæ virtutes et egregia in patriam merita nota sunt, qui non existimet, me officio adductū præclarū virum meritis laudibus fraudare noluisse; neque suspicetur, me hoc dedisse amicitie animorumq̄, coniunctioni, quæ mihi cum Ioāne Bernardo nepote summa intercedit. quem tanto auro non indignū facit cum præstans & viuidum ingenium, eximiaq̄, iuris scientia, tum egregij facinoris similitudo. Rebus enim inter Pium Quintū, & Perafranū Riberam Alcalanorū Ducem Vicarium Regni Neapolitani exulceratis, & ad apertum dissidiū spectantibus Romam missus Pontificis animum indignatione ardentem, tum autem suæ & Apostolaris dignitatis contempte accerrimum vindicem, ad hoc iuris Pontificij retinentissimum placavit; gravissimisq̄, offensionum causis præcis mutuam gratiam inter illos reconciliauit.

## A R A N V S. C I B O

EA fuit ARANI. CIBO virtus, eeq̄, res gestæ, ut non multum sit illi ad nominis commendationem de domestica nobilitate petendum. quam is non modo ut fere ceteri, ex maiorum splendore ducit, quos in Grecia, unde gens Cibo oriunda est, claros multisq̄, honorū & rerum gestarum titulis insignes fuisse, gravissimis auctoribus testibus constat, verum multo magis ex posteriorum gloria trahit. Cuius Ioannes Baptista filius Pōtifex Maximus fuerit INNOCENTIVS OCTAVVS nominatus. ceterū eximie & præstantes Innocentij virtutes, quæ illū ad summū & altissimū rerū humanarū gradum extulerunt, suo sunt a nobis Elogio decoratæ. ARANI vero prudentia, consilium, fides, constantia quam enituerint, res ab illo gestæ, ac summus gratiæ & auctoritatis locus, quem ille apud maximos Reges obtinuit, declarant, egregia ac multiplici opera Genuæ patriæ in magnis ac dubijs rebus navata, eius classis aduersus Alphosum Aragoniū pro Renato Andegavensi decretæ Præfectus, urbisq̄, Romæ Senator a Calisto creatus. qui honos illis temporibus nō nisi magnis Proceribus haberi solebat, in primis vero urbis & Regni Neapolitani procuratore cū sima omnium

omnium rerum potestate bis illi commissa, primum ab Andegauenfi, qui Arani spectatam fidem in tanto munere mandando sese ceteris Proceribus protulisse egregio verborum testimonio declarauit, cum dixit, fidem cuncta antecedere, quod praeclarum Elogium populari Gallico sermone, ut fuit a Rege pronuntiatum, nouo pavonis insigni galea in locum conis superposito ab ARANO inscriptum Innocentius ipse Pontifex ac posteri deinceps ad memoriam gentilitij decoris seruandam retinuerunt. Idem honos, idemque munus iterum illi ab Aragonio ipso, aduersus quem arma tulerat, mandatum est, quod Alphonsus cum perspecta ARANI virtuti, quam etiam in hoste amauit, tum precibus Neapolitanorum dedit, qui hominis innocentiam, moderationem, prudentiam in priore administratione experti fuerant. Vir igitur tot maiorum stemmatibus clarus, suis ipse virtutibus, ac rebus gestis, honorumque insignibus clarior, posteritatis gloria longe clarissimus merito Elogio inter ceteros Genueses Proceres fraudandus non fuit.

#### ALBERICVS. CIBO

IN tantas opes creuit perillustris hac gens Cibo, ut clarissimis & prepotentibus aliquot Italicis familijs affinitate coniuncta multas passim Ditiones possideat, in quibus est vetus ac celebris nominis Marchionatus Massa, quem a matre nobilissima Malispina hereditarium acceptum ALBERICVS Innocentij Octauij pronepos vna cum ceteris Ditionibus obtinet, quem Caesar cum nobilitate vtriusque generis tum meritis & virtutibus commendatum ampliore & splendidiore Principatus titulo auctum in sacri Imperij Principibus numerari voluit.

#### BAPTISTA. PINELLVS

#### ARCHIEPISCOPVS

GENS Pinella nobilis & peruetusta multos egregios atque insignes viros patriaeque perutiles tulit, in quibus BAPTISTAE Franci filij nomen eminent, cuius prudentiam in multis difficultatibus expediendis, animasque ciuium inter se conciliandis, atque in alijs arduis negotijs in patria multipliciter conspectam Innocentius Octauus Pontifex Maximus, cuius pronepos fuit Baptista, ita amplexus est, ut hominem Romanam euocatum atque Archiepiscopum Consentinum creatum ad magnarum

gnarum rerum deliberationes adhiberet, eiusque fideli opera in perarduis rebus uteretur, ac magnam illi fidem haberet. Quo Pontifice facto functo cum ad Ecclesiam suam se contulisset BAPTISTA in Diocesi illustranda, moribus emendandis, collapsa Ecclesiae disciplina erigenda, templis adificandis, valetudinarijs reparandis, egentium inopia subleuanda, in omnibus denique, quae sunt pastoralis muneris explicandis ita viri religio, pietas, liberalitas, prudentia, diligentia enituit, ut eius virtus in tantis saeculi tenebris veluti clarissimum lumen eluceret. ad hoc tanta in caritate & veneratione cum populis suis fuit mira comitate, ac naturae suauitate seueritatem in corrigendo temperante, ut factum de honorifice efferendo & sepultura mandando Canonico collegij, & Ciuitatis Magistratus medijs certaminibus egerint, eius sepeliendi utroque sibi vindicante. Neque vero tantarum virtutum memoriam ac populorum beneuolentiam vna cum illo extinctam, sed adhuc in animis hominum viuere, ac vigere illustre documentum Consentini dederunt, cum in sepulchro BAPTISTAE Archiepiscopi ex decreto Tridentini Concilij vna cum ceteris, quae in templis constructa sunt, demoliendo, legatione decreta omnibus precibus contulerunt, impetraruntque, ne sancti viri memoria, quam cum Diuorum veneratione prope coniungerent, sepulchro eo sublato iniuria fieret. Huius gentilis ac pronepos Dominicus Paridis filius in Romana Aula, in qua Magister est supplicum libellorum, ac nobilissima for ensi iurisdictioni, quam Auditoris Camera vocant, etiam praefuit, ea ab ipsa adolescentia doctissima, ingenij, grauitatis, probitatis documenta dedit, ut maxima queque omnium iudicio & spe illi destinentur.

#### OCTAVIANVS. FURNARIVS EPISCOPVS

GENS Furnaria inter primarias ac vetusta nobilitate conspectas familias Genuae perpetuo insignis fuit, compluresque egregios viros tulit, qui iam inde a primordijs nostrorum annalium summis reipublicae Magistratibus vsi omnia debita Patriae officia non modo pacis, verum etiam belli temporibus illi tribuerunt. Ceterum nemo illam magis illustrat, quam OCTAVIANI EPISCOPI Marianensis nunquam interiturum nomen. Cuius admirabilis ac Diuina prope virtus aurore nostrorum memoria in Romana Aula, atque adeo in Christiana Ecclesia ita enituit, ut ad Episcopatus honorem, quo nihil est in sacris ordi-

TT nibus



nibus aliis, multa accedant, in quibus ad hominum commendandum maxima sint momenta. Ut enim omniam multiplicem eruditionem, & ingenuas artes, quibus mirifice excultus fuit, ad hoc eximiam Pontificij & Casariani iuris scientiam in scriptis mirabili Quæstorij Magistratu, & in munere supplicum libellorum referendorum perspectam; grauitatem præterea, consilium ac cetera ingenij bona, quibus nemo ea ætate instructior habitus est; ea fuit in homine clara pietas, & innocentissimorum sanctitas morum, ipsa perpetuus tenor vita ab omnibus voluptatum illecebris, atque ab omni libidine disinctus, ut in corruptis illius sæculi moribus laxataq; disciplina in vno Octauiano eluceret prisorum Ecclesie temporum specimen; hominesq; qui priorum instituto viuere cuperent, sese in illius mores veluti vnici exempli conformarent. Vt felix in primis natio Genuensis fuerit, quæ omnibus temporibus talia lumina Ecclesia tulerit. Neque parum splendoris ætate nostra dignatione sua familiae addidisse existimandus est Thomas. qui egregiam, fidem, diligentem operam suam in rebus Aerarij Hispaniensis & publicorum vestigalium tractandis, lapsisq; erigendis & constituendis Carolo Casari ita probauit, ut haud exiguis præmijs affectus sit, per amplis magnorum exercituum Procuracionibus illis sæpe mandatis, ac Mediolanensi Quæstura illi credita, in qua gerenda dum omnes numeros caste, atque integre explet, dum pro iuribus publicis aduersus peculatores constantè tuendis nulla discrimina recusat, nullasq; præpotentium hominum offensiones reformidat, eum gratia & auctoritatis locum sibi apud summum & sapientissimum Principem peperit, ut etiam fato sancti memoria valuerit ad eandem Procuracionem in familia continuandum. Nam de multa ac perutili a Francisco & Luca Iurifconsulto Patrie nauata opera, ab illo cum multis locis, tum in rebus Corsicæ bello prostratis erigendis, prouinciaq; pacanda; ab hoc in legationibus compluribus obeundis hæc omnia nobis stilo persèquenda reseruamus in Annalibus Genuensibus, cum ad ea temporum litterarum monumentis mandanda venerimus.

#### G A L E A T I V S . P I N E L L V S

**N**obili ac præclaro amularum virtutum certamine inter se cõtendisse videtur COSMVS parës, & GALEATIVS Pinellus filius; mutuoq; splendore alter alterius nomẽ illustrare. Cosmi enim eximia animi moderatio & nostræ ætati cõspecta, & posteritati memorabilis in pri-

in primis est. nam nemo in quorẽdis opibus castius est versatus, famamq; & mentem ab omni fordidũ & auaritię labe integriorẽ purioremue seruauit; & ijs opibus partis, quę ad cultum honorifice tuendũ sufficeret, modo cupiditati salubriter posito, omniq; quęstus genere, ac sollicitudine valere iussa præclarũ exemplũ posteris ad imitandũ in se cõstituit; præterea nulla in re priuata ac ciuilibus vitę modũ excessit, præterquã in edificiorum magnificentia, sumptibusq; in filiorum cultũ in bellis, in Aulis Regum, in Gymnasijs magnifice tuendũ large suppeditadis. qua in laude perpetuę & cõtēstatę gẽtilitię cõmendationi proximus fuit. Gēs enim Pinella apprime nobilis turbulentissimis Ciuitatis nostrę tẽporibus procul ab omni fastu & ambitione, ab omnibusq; ciuilibus cõtentionibus remota cũ nullo loco operã & industriã suam reipublicę subtraxerit, nullumq; illius procurandę aut munus vniquã intermiserit; aut laborem subterfugerit, nõ tamẽ aut ex malis publicis crescere vniquam studeuit; aut per publicã priuatamue cuiusquam iniuriã in altiorẽ potētię aut dignitatis locum ascendere cõtēdit. GALEATIVM in paterno sinu paternaq; cura & ligētia educatũ omnesq; artes nõ modo libero homine, sed summę fortunę amplitudine dignas edocũm non magis paternę per amplã opes, quam suę ipsius virtutes ac merita extulerunt, quippe qui omnia vitę munera cumulate implerit, omnesq; officij gradus erga propinquos & ditioni subiunctos, atque adeo omnes homines, persanctę & diligenter, seruarit. nam propinquos & amicos liberalitate & hospitalitate subiunctos vero equitate, iustitia, caritate coluit, veritatis in omni vita retinentissimus: & Philippo Regi celsissimo fidelem bello operam plurimis locis nauauit. Quę merita Philippus grato animo recognoscens Galeatium simul cum Ditione Turoensi ab illo parta insigni Marchionatus titulo eodem tẽpore ornauit.

#### P A V L V S . C E N T V R I O

**N**on minus præclara consilia quamuis effectu caruerint, si modo cũ ratione coniuncta sunt, quam res ipse gestę laudari solent. atque haud scio, an maior illis interdum laus sit tribuenda. siquidem ex Syramis sapientissimi Ducis sentētia cõsilia tota nostra sunt, exitus rerũ plerumq; ac maxima ex parte ab aliena voluntate pendent. Quis igitur PAULI CENTVRIONIS egregia cogitata, et incœpta quauis temporum vitijs & aliena culpa ad exitũ perducta nõ sint, debita laude prætereunda duxerit? Is enim Lusitanis multis de causis insensas

cum orbis vastitatem immensosq; terrarum tractus ac fluminum cursus, regionumq; & montium situs & naturam animo perlustrasset, solertis ingenij vi rem magni animi, magniq; incepti excogitauit, & aggressus est. Consilijs enim Leoni X. Pontifici Maximo probatis, litterisq; ab eodem impetratis ad Basilium magnum Moscouitarum Principem se contulit, duarumq; rerum, quae ipsi, ipsiusq; Regnis per amplam & honorificam, altera etiam illarum fructuosissima futura esset, illi auctor fuit. docuit enim aromatum commercia a Lusitanis auerti, & in Moscouiam maiore itinerum et subuectionum compendio transferri posse. quam rem Paulus Iouius in Moscouitarum historia planius explicat. Suasit praeterea, ut secta Graecorum relicta, ad Romani solij auctoritatem, Romanaeq; Ecclesia instituta sese applicaret, sacraq; , ut ceteri Christiani Principes a Romano Pontifice peteret. verum Basilius alterum de aromatum commercio repudiavit, siue vano metu, ne ignotas regiones exteris & ferocibus gentibus patefaceret; siue quod rudia ingenia splendidis consilijs, quae multum ipsorum captum antecedunt, imparia fere sunt; omnisq; nouitas raro apud imperitos animos fidem & assensum inuenit. Ad alterum de sese cum Romana Ecclesia coniungendo animum adiecit, spe illi facta, facile illum Regij nominis titulum, cuius ille per cupidus erat, regiaq; insignia a Romano Pontifice impetraturum. Eaq; de causa Paulus longis periculosissq; itineribus saepe ultra citroq; commeauit. Legato etiam a Basilio Pauli suasio ad Clementem VII. misso. Ceterum bene inchoata, et procedentia consilia obitu Pauli aetate ac diuturnis laboribus & curis confecta Pontificisq; aduersis rebus interrupta ac plane euersa sunt.

#### HIERONYMVS. ADORNIVS

**E**A fuit in HIERONYMO. ADORNIO animi & ingenij indoles, ut si iusta spatia illi contigissent, vnicus sua aetate euasurus fuisset, constanti omnium opinione credatur. Cuius expeditus animi vigor, vniuersi ingenij acies, in consilijs de magnis & dubijs rebus capiendis & expediendis solertis mentis celeritas, eximia eloquentia ita conspectae sunt, ut tantarum virtutum fama Italiae fines egressa in summorum Principum notitiam venerit, admirationiq; illis fuerit. CAROLVS quidem Caesaris, qui non minus sapientia & clarissimis virtutibus, quam opibus & imperio ceteros Christianos Principes longe antecessit, ita illas amplexus est, ut omnia sua in Italia de HIERONYMI consi-

MI consilio geri & administrari vellet. Nec mirum, quem ingenio tantum valuisse esset expertus, ut Leonem X. Pontificem Max. retrahentem, ac sese in tanti discriminis aleam demittere verentem consilijs cum Folietis coniunctis tandem ad faedus illud cum Caesare sancientem pertraxerit, quo Gallorum opes, quae in Italia supra quam modice erant, sunt fractae, Caesarisq; dignitas mire aucta. Ceterum HIERONYMVS cum in cursu maximarum rerum esset, in ipso aetatis flore luctuoso suorum fato sublatu est, spesq; immensa amplitudinis, ad quam haud dubie peruenturus fuit, concenterunt.

#### STEPHANVS. IVSTINIANVS

**I**Vos insignes viros vna eademq; Iustiniana gens memoria nostra tulit, quamquam ingenio & professione longe diuersos STEPHANVM & ANGELVM quorum ANGELVS sacris initiatus Franciscanis institutis sese addixit, STEPHANVS Ciuilem vitam secutus totum sese reipublicae gerendae a prima iuuentute dedit. In quo viro tanta vis animi ingenijq; fuit, ut ciuili illius viri exemplar, quod Philosophi verbis adumbrarunt, ipse re expresserit. qui perpetuum vitae cursum eodem tenore a prima adolescentia ad extremam usq; senectutem tenuerit, & in quo tot prudentiae, consilij, admirabilis in omni genere continentiae ab omni cupiditate disinctae exempla conspecta sunt, ad eamq; opinionem & auctoritatem peruenit, ut omnia Genuae in eius consilio, & moderatione versarentur, quodq; de Pythagora in rerum natura inuestigationibus traditur, id Stephanus in rebus ciuilibus, & in republica gerenda rettulerit. Pro ratione enim habebatur, cui nemo contradicere auderet, quidquid ipse dixisset. Neque vero leuem Stephano, si quis rem vere existimare velit, Genuae Patria concordiae statusq; reipublicae emendati gratiam debet. quippe qui assiduis suis monitis & adhortationibus ciuium studia partim ad rem non magnopere incensa, partim etiam ab ea abhorrentia ad eam mentem excitare numquam destitit. In Duodecimuirali vero Magistratu ferendarum legum causa creato positus leges ipse condidisse, ac statim rerum, quo nunc ciuitas nostra utitur, formasse dicendus sit, cum omnia eius ingenio, & consilio constituta sint.

ANGELVS

T O G A E . A R T .  
 A N G E L V S . I N S T I N I A N V S  
 E P I S C O P V S .

**A**T. ANGELVS ad solidam doctrinam, qua in principibus etatis nostrae numeratur, versatilis ingenij felicitatem ad omnia quaecumque aggreditur aptam, multiplicemque, eruditionem adiecit, ut nemo illo omnibus ingenuis artibus instructior sit. ad hoc motibus ita ad excogitandum atque inueniendum acutis et celeribus, itaque ad explicandum verberibus est, ut nemo maiore et firmiore argumentorum copia et vi haereticorum dogmata refellat. in quibus perpetuo insectandis, et exagitandis vehementissimus et accerrimus est, cum ea dicendi copia sit, eaque in animis hominum permouendis. vi, quae res in oratione haud dubie primas tenet, ut nemo etate nostra maiorem sibi audientiam, maioresque concursus faciat, quem laudis fructum non in ceteris modo locis, quaecumque illum adire contigit; percepit, sed Romae quoque in illa clarissima orbis luce, in illo ingeniorum teatro, ubi de omnibus rebus per agria et exquisita iudicia fiunt; nec minus in Gallorum Regia, quo turbulentissimis temporibus, cum omnis Gallia seditionibus et tumultibus arderet, damnatae sectae hominibus omnia miscentibus a Pontifice missus est, Hippolyto Cardinali Ferrariensi Legationis comes additus, ipsis aduersariorum Principibus concionantem, ac disputantem mirantibus, acumenque et copiam formidantibus. ut summa cum ratione Pius Quintus Episcopatum Gebennensem, qui inter imperij Principes connumeratur, illi mandarit, corruptissimam Diocesim, in qua haeresis principem sedem ac domicilium sibi constituit, vtilitati et saluti praestanti maximeque, apto remedio consulens.

I O . M A T T H A E V S . G I B E R T V S

E P I S C O P V S

**A**D communem Ecclesiae sanctissime rectae laudem, in qua IO. MATTHAEVS. GIBERTVS duos populares suos equales temporum suorum socios habuit, multa eximia ac magna in illo fuerunt, quibus vi ri nomen tota Europa in primis celebre, ac clarum suo separatim Elogio decorandum fuit. Tanta enim in illo ad magnas res iam inde a prima adulescentia indoles fuit, ut in familiaritatem Iulij Medicij Cardinalis ascitus breui omnium oculos in se conuerterit; Iuliusque ipse pa-

tronus

tronus et Leo Pontifex hominis nondum adolescentiam egressi ingenium, consilium, prudentiam, grauitatem admirari maxima illi republicae munera mandarint: breuique ille apud Pontificem in eum gratiae et auctoritatis locum peruenit, ut maxima quaeque Pontificij solij negotia in illius administratione et arbitrio versarentur, quibus rebus non modo in Pontificia Aula summum potentiae et dignitatis locum multos annos obtinuit, sed maximi Europae Reges illius gratiam, et beneuolentiam, in qua ad consilia de maximis rebus expedienda plurimum ponerent, amplissimis donis et beneficijs vltro delatis sibi conciliare studuerunt. Magna haec quidem sunt, verum illud longe maius, quod in tanta fortunae amplitudine, in tanta omnium rerum copia, in tantisque vniuersis affluentibus voluptatibus, quae cuiuscumque confirmatam iam et atque labefactare et euertere possent, tanto fuit animi robore, ut aduersus omnia blandimenta se inuictum praebuerit, et atatemque illam sua sponte infirmam ab omni flagitiorum et vitiorum contagione integram seruarit, quem perpetuum vitae ac seuerissimorum morum tenorem constantissime retinuit. Ceterum GIBERTI virtus in vniuersa republica gerenda clara, in priuata Veronensi Ecclesia regenda et moderanda longe magis enituit, nam cum temporibus cedens, fastumque ac potentiam aulicam relinquens eo concessisset, ipsi moribus, legibus, institutis corruptas res emendauit, ut Sacerdotum suorum ordo veluti princeps illius, ac sanctae disciplinae reliquis Diocesibus specimen esset; ceterique, qui illius virtutis amuli fuerunt, Episcopi in Ecclesiae suae rebus ac statu emendando, moribusque corrigendis nullam expeditiorem viam inuenerint, quam descriptas GIBERTI leges Diocesibus suis proponere, quae leges usque adeo probatae sunt, ut non modo aliquot priuatum Episcopi illas sibi ascuerint, sed Tridentinum ipsum Concilium, in quod ipsa Ecclesiae lumina conuenerunt, in moribus sacrorum virorum emendandis, disciplinaque lapsa Ecclesiae restituenda GIBERTI leges exemplar habuerint, ad quas sese conformare ipsi vniuersae Ecclesiae correctores sibi erubescendum non ducerent. quam laudem iam inde ab ipsis Ecclesiae primordijs repetendo quam paucissimis constat accidisse.

A V G V S T I N V S . F O L I E T A

**I**psae in me domumque mea inuiosus fuero, si tantum mihi gentiliu de-  
 icus inuidero, ac si AVGVSTINI. FOLIETAE patrii eximias  
 virtutes debita laude fraudaro, quasi arrogantiæ et vanitatis inuidia  
 veritus

veritus. quã illius ætatis consensus a me plane detestatur, cū omnes singulari AVGVSTINI prudentia, consilio, & in futuris providendis Diuino prope ingenio tantum tribuerent, vt fore, quidquid ille prædixisset, vulgo prædicaretur, constanterq; crederetur. Quibus virtutibus cum admirabili eloquentia coniunctis eum auctoritatis locū apud Iulium II. Leonem X. Clementem VII. Pontifices Maximos est affectus, vt illi omnia maxima Pontificatus negotia eius consilio gererent. Duplexq; hominis sapientiæ inter cetera extat specimen. alterum quod Leonem ad fœdus illud inuendum impulit, quo Gallorum opes in Italia fractæ sunt. & Pontificij solij dignitas firmata. Alterum, quod a fœdere contra Casarem sanciendo Clementem renouare frustra est conatus. cui capto atque in arce incluso confessionem euentus expressit, sese vnus Folietæ futura providentis sapientibus monitis cum magna vrbs direpta & rerum euerfarum mercede praua consilia prætulisse. Extat & vsigne in Genuam patriam promeritum; quod Giberto contrahente eundem Clementem ad Genuenses libertatem & ordinum concordiam nouamq; emendatæ reipublicæ formam molientes in fidem accipiendos impulit. quamuis res Folietæ obitu Pontificisq; aduersis rebus effectū caruerit, credo vt honos conseruaretur libertatis Andree Aurie Diuino consilio reseruarietur, eaq; ipsa libertas ciuis potius quam exterorum opibus niteretur. Neque vero AVGVSTINI fama Italijs finibus terminata est, sed ad exterarum quoq; prouincias delatam Carolus Casar ita amplexus est, vt inuictus ac maximus Christianorū Princeps omnia sua Romæ FOLIETÆ consilio administrari voluerit. Is demum fuit AVGVSTINVS qui Vberti parentis nomen, a quo adolescentiæ initia haud parum commendationis acceperunt, virtute sua illustrius fecerit. cuius Vberti ingenium & prudentia cum in multis legationibus ad Maximos Principes de grauibus negotijs, tum vero in Quatuoruirali Magistratu status ciuitatis lapsi erigendi, rei q; publicæ constituendæ conspecta est. cum summa igitur approbatione sepulchrum, quod in æde Diuæ Mariæ super Mineruã illi positum est, insigni inscriptione clari Poetæ Antonij Tibaldei ingenio decoratum est.

Illius quoq; obitum, cum is in miserabili vrbs direptione luctuoso casu sclopi ietū sublatu esset, Petrus Bembus elegantissimo carmine deplorauit. neque æquius quidquam fuit, quam cui uiro prudentiæ & consilij primas sæculum illud concessu omnium dabat, eius memoriam ab eo viro, cui illius ætatis principes primum eloquentiæ locum facile concedebant, ab interitu vindicari.

Vuidum IOANNIS IOACHIMI PASSANI ingenium, quod non vna cum corpore consenuit, sed in vegeto pectore vsq; ad extremam senectam integris sensibus vixit ac viruit, haudquaquam in obscuritate debet versari. Huius enim viri industriam sollemtemq; mentem, & ad publicas res tractandas in primis aptam in Legatione pro Genua patria perspectam Franciscus Galliarum Rex cellissimus peracutus ingeniorum æstimator amplexus hominem legatione perfunctum apud se retinuit, in honoreq; habuit, ac plurimas & grauiissimas reipublicæ partes illi sæpe mandauit. quas ille in Legationibus de maximis rebus apud summos Reges & Romanos Pontifices obeundis, in maximis exercitibus regendis, quibus sæpe Quæstor præfuit, in omni deniq; negotiorum varietate ita sustinuit, vt eius multiplicem, & assiduam operam rebus Gallorum magno vsui fuisse, ipsimet Galli amplissimis præmijs & castellorum donationibus testificati sint. Illud eximium, ac neutiquam vulgatæ prudentiæ specimen haud quaquam prætereundum est, quod cum in cursu magnarum rerum esset, humanos casus, ac vitæ huius vicissitudines secum reputans, ne longam atatem Auicæ inuidiæ, & obrectationi vertentiq; se fortuna diutius obiectam haberet, publicis muneribus vltro abcessit. In Italiamq; reuersus in priuatæ vitæ otium concessit. in quo reliquum ætatis cursum tranquillum & ab omni contentione, & fortunæ iactatione remotum confecit. Nec sæpe a Gallis euocatus vltis aut præmijs, aut amplis delatis Procuracionibus a prudenti suscepto consilio abduci potuit. Haud mediocriter ornant res gestas liberalitas & eximia in Patriam caritas, ea pecuniæ collata vi in alienum æs publicum leuandum, vt grata Patria beneficium statua decreta remunerata sit. Is deniq; fuit Ioannes Iachimus, cui ad gloriam non multum sit. de nobilitate generis repetendum, quod vetustissimum ducit a Passani Dominis, vnde familia nominata est. qui iam inde a primordijs nostrorum Annalium duorum castellorum dominatu reipublicæ Genuensi cesserunt. quæ contra respublica Passanos Dominos fauore suo complexa financiarios suos fecit, vsitatis eius honoris insignibus traditis; immunitateq; tributorū & publicorum onerum donauit. quam omnis eorū posteritas, & is ipse Ioannes Ioachimus ad nostra vsq; tempora perpetuo vsu retinerunt.

**C**Lari nominis in Italīs fuit DOMINICVS SAVLIVS nemoq̄, omnino nostra aetate inuentus est, in quem plura congesta fuerint naturæ & industriæ ornāmēta. ad præstans enim & versatile ingenium, atque ad omnia magna natum, quod formæ quoque dignitas commendabat, accesserunt eximia eloquentia, multiplex doctrina, & eruditio, tum autem civilium rerum singularis intelligentia. quam ille ex plurimo usu, magnarumq̄ rerum iam inde a prima adolescentia assidua tractatione affectus est. Ut nemo pluribus maioribusq̄ præsidij ad res publicas gerendas instructior haberetur. quibus virtutibus eum apud Franciscum secundum Mediolanensium Ducem auctoritatis & honoris locum obtinuit, ut omnia Princeps ille de Dominici consilio gereret, meritaq̄ hominis amplissimis præmijs, in quibus fuit Ditio insignis oppidi Puteoli, remuneranda censuerit. Vir egregius fratrem habuit PHILIPPUM longe diuerso ingenio virum, quem nescio an illo memorabiliorem dicam. nobilitate certe finis, quem propositum habuit; venerabilior esse debet. Is enim cum in Romana Aula Magister supplicum libellorum ita versaretur, ut eius nomen in primis excelleret, in cursuq̄, maximæ spei esset, illa Euangelij voce, qua nihil prodesse homini dicitur, si omnia, quæ sub cælo sunt lucrifaciat, atque interea in anima detrimentum accipiat, mente Diuinitus monita, quamquam bono animo vtens in omnibus negotijs caste & integre versabatur, tamen ab Aulicis curis, atque a vita illa periculosis offensionibus obnoxia abscedere decreuit, ad Ecclesiamq̄, suam Brugnatesem regendam veluti in portum tutissimum concessit. cumq̄, sese sacræ doctrinæ studijs, ac Diuinarum rerum meditationi totum penitus dedisset, non magis oratione, quam sanctissimæ vitæ exemplo concionando populos sibi commissos ad cælestium rerum amorem accendebat, illosq̄, in suos mores formabat. quarum rerum fama in longe distitas provincias delata, confessionem expressit ab ipsis sacerdotalis ordinis virulentis insectatoribus, hunc virum in corrupto illo sæculo eximium esse, qui vna cum perpauca Episcopatus munere & nomine dignus haberetur. Domesticæ sanctitatis gloriâ subsecutus est ALEXANDER huius ipsius Dominici filius patris potius quam patris virtutum emulus. in ipso enim adolescentiæ initio lumine Diuinitus mætri prelato in cœnobij procul a iuuentutis illecebris cœcessit, arctissimisq̄, vitæ institutis sese dicauit; atque in morum sanctitate & sacrarum rerum doctrina ita processit, ut eius nomen

nomen in Pij Quinti notitiam venerit. qui iuueni præscorum instituto viuenti, proculq̄, ab Aula atque ab omni ambitione omnique, eiusmodi cogitatione degenti Aleriensis Episcopatum vltro mandauit, recusantemq̄, & retractantem impositum onus pro imperio proq̄, iure Sacrosanctæ potestatis accipere cogit. Neque vero genti Saulia ac Dominico & Philippo tantis patris paruum decus & ornamentum futurum est in ANTONII fratris filij virtute, doctrina, prudentia, qui aetatem præcurrere vere dicendus est, quiq̄, ita Romana Aula probatur, ut haud leuia reipublicæ gerendæ munera illi mandari cepta sint. in quibus est Legatio, qua in Regno Neapolitano Natus in præsentia fungitur, in qua obenda ita versatur, ut non modo se commisso muneri parem, sed longe superiore dignum ostendat.

S T E P H A N V S . V S V S M A R I V S . S V M M V S  
M A G . D O M I N I C A N O R V M

**C**um egregia rerum Diuinarum scientia, tum eximia prudentia, acrisq̄, ingenij vis per omnes procuratorum gradus spectata STEPHANVM VSVSMARIVM ad Dominicani ordinis summum Magistratum extulit. in quo ille ordine per multos annos regendo & moderando ita omnia, quæ sunt eius muneris, sancte & diligenter coluit, ut eius virtutibus & meritis tantam gratiam sese debere ordo vniuersus Dominicanus existimarit, vnde etiam redundaret, quod eius discipulo & alumno Vincentio Iustiniano persolueretur. STEPHANO enim mortuo haud dubium fuit, quin Iustinianus iuuentutis annos nondum egressus consentientibus vniuersi ordinis suffragijs raro exemplo in eius locum summus Magister sufficeretur, compluribus Antistitibus aetate prouectis, ac singularis doctrinæ, & prudentiæ fama insignibus præteritis. quibus omnibus rebus homines mores, & disciplinam a STEPHANO acceptam prætulerunt. Quamquam Iustinianus admirabilibus virtutibus suis breui effecit, ut Magistri nomen paruum momentum ad illum commedandum haberet. Id quod in eius Elogio planius explicauimus.

L E O N A R D V S . M A R I N V S  
A R C H I E P I S C O P V S

**M**agna animum admiratio tacitis cogitationibus versare nonnumquam solet, qui fiat, ut quæ duæ res omnium humanarum luge præclarissimæ

clarissimę doctrina & prudentia eam inte se habeant similitudinem, vt ad sui perceptionem non nisi præstantia admittant ingenia, eę rursus inter se ita diuersę sint, vt ab vno eodemq; quamuis splendido ingenio vtraq; aut numquam, aut perraro plane percipiuntur. Siquidem eos videmus, qui in sapientię studijs, atque in cęlestium & Diuinarum rerum inuestigatione excellant, ad res ciuiles tractandas & ad rempublicam gerendam minus aptos esse; eos contra, qui in reipublicę administratione, & in ciuiliū rerum procuratione cum laude versantur, si sese ad doctrinę studia contulerint, numquam fere ad primos peruenire. Ut nonnulli inueniantur, qui hæc inter se prorsus pugnare existiment; eiusq; rei in scholis sæpe ac multum quasię & disputationibus agitatae rationes non omnino improbabiles afferant. Nos quamquam vtramq; laudem raro vni eidemq; contingere non negamus, neq; facile reperiri, qui vnus idemq; vtraq; re excellat, vt & doctrinę studijs, & ciuilibus artibus sit princeps, tamen opinionem præstantibus ingenijs iniquam multis omnium temporum exemplis refelli affirmamus. verum ne longius abeamus, perspicuę rei aperto argumęto est nostra etate LEONARDI MARINI felix versatilesq; ingenium. qui vir cum mira cęlestium & Diuinarum rerum cognitione naturalem quoq; prudentiam, ac consilium, rerumq; ciuiliū vsum & intelligentiã coniunxit, eximia eloquentię gloria egregias laudes cumulante. nemo enim sacram doctrinam aut in scholis doctius interpretatus est, aut copiosius in concionibus explanauit, nemoq; in animis ad virtutem inflammandis; & a vitijs reuocandis acrior, aut vehementior, aut ornatior orator fuit. Idem cum e cęnobio & e schola ad Episcopatum euocatus ad publicas res tractandas animum conuertit, is extitit, eiusq; ingenium & consilium ita enituerunt, vt nemo magis multam pluribusue locis, aut maiore cum approbatione reipublicę ac Maximis Principibus operam nauarit, cum in vario genere reipublicę administrandę, tum vero in legationibus de maximis semper rebus odeundis. Nam apud Carolum Cæsarem ac Philippum Regem filium difficilimis temporibus multos annos magna cum laude Pontificius Nuntius fuit Regi ita acceptus & probatus vt ampliore Lanciani Archiepiscopatu honestatus sit. Ad hoc a sacro Tridentino Concilio, in quod ipsos omnis doctrinę & sapientię Antistites ex tota Europa conuenisse vidimus, dignus habitus est, qui de maximis maximeq; arduis Christianę Ecclesię negotijs ad summū Pontificem mitteretur, itaq; ipse omnia que fuerunt eius muneris, executus est, vt tã excellentibus de se factis iudicijs

iudicijs abunde respondiße sit existimatus. Neque vero illud exiguum munus fuit, cū Catechismo Christianę disciplinę componendo vna cum grauissimis & doctissimis collegis præfectus est. adeo in nullas non partes præstans ingenium valuit. Præterea a Pontifice in controuersia de grauissima re ad Ferdinandum Cæsarem missus eam moderationem adhibuit, eamq; in animo Cæsaris tractando & mitigando lenitatem, vt propositi pertinaciter retinentem Principem flexerit, & a sententiã animo penitus insidente deduxerit, magnorumq; instantium dissidiorum ac magnarum offensionum causas præciderit, summasq; difficultates magna ab vtroq; Principe inita gratia expedierit. Iam vero a Pio Quinto pestiferę doctrinę lue in Subalpina prouincia serpente ad Episcopatu Albensem translatus est, vt piorum dogmatum oppugnantibus acer veritatis propugnator opponeretur. postremo a Gregorio Tertio Pontifice Maximo de summa republica, ac de fœdere et expeditione in Turcas legatus est. quod munus ita impleuit, itaq; hominum opinioni respondit, vt Romam reuersus, ac legatione vix remunita Legatus ad Cæsarem destinatus ex humanis exceßerit.

BARTOLOMÆVS. FACIUS

JACOBVS. BRACELLIUS

**H**Aud sane pudoris mei fuerit, affirmare, in pari litterarum, atque armorum ciuiliūq; rerum tractandarum laude Genuense nomen versari. nam vt hac nulli Italicarum urbium post extinctum Romanū imperium est secunda, nullusq; populus clarorum bello virorum copia ditior fuit, ita litteras modice attigit Genuensis natio. quod idem omnibus fere gentibus, dum in illis militaria studia viguerunt, vsu venisse constat. non tamen hac quoque parte Genuã omnino claudicare non nulli doctrina & eloquentia præstantes viri scriptis suis declararunt. in quibus fuerunt BARTOLOMÆVS. FACIUS & JACOBVS. BRACELLIUS Genuenses ciues. quos vno eodemq; Elogio ambos complexi summus. neq; ideo illos non prætereundos duximus, quod aliquid lucis clarissimo illorū nomini studio nostro nos addere posse speraremus, quod ipsi singulari eloquentia præclarissimisq; scriptis suis immortalitati cōsecrarunt, sed ne in recēsendis claris Liguribus, quos omnes hoc volumine nos amplexuros professi sumus, patria mea numero fraudaretur. FACIUS igitur Alphonso Aragoniæ, Siciliae, ac Nea-



ac Neapolis Regi ab epistolis fuit, BRACELLIVS Genuensis Senatus scriba eumdem honoris locum a Nicolao V. Pontifice Maximo vltro delatum repudiavit mediocritate sua contentus. FACIVS vitam & res gestas Alphonſi conſcripſit, BRACELLIVS hiſtoriam belli Hiſpanienſis, quod cum eodẽ Alphonſo Populus Genuenſis geſſit, quinque libris eſt complexus; tanta vterque cum ingenij, prudentiæ, eloquentiæ laude, vt non modo illam ætatem, in qua præclaræ artes, quæ multa ante ſæcula ſummis ſordibus, ac ſqualore obſitæ iacuerant, ex altiffimis tenebris emerſæ multũ iam veteris ſplendoris aſſumpſerant, longe ſuperarint, ſed noſtra quoque, in qua politiora ſtudia et eloquentiæ omnis generis gloria in flore maxime eſt, illos in Principibus numeret.

BAPTISTA. FVLGOSIVS

AT in BAPTISTA. FVLGOSIO qui patrum noſtrorum ætate principatum in patria obtinuit, tanta fuit, ac tam multiplex eruditio, tantæque vetuſtatis atque omnium ætatum cognitio, vt quem cum illo conferas, haud facile reperias. id quod manifeſte docet opus laborioſiſſimum, quo Valerium Maximum imitatus de factis & dictis memorabilibus conſcripſit. In quo omnium nationum, omniumque temporum exempla ita collegit, vt cum ſæculorum hiſtoriam breui perſtrictam ante oculos hominum poſuiſſe videatur. quæ res immenſi operis atque inſiniti pene laboris fuit. Iam vero ſimplici rerum narratione minime contentum fuiſſe, ſed vnamquamque momento ſuo ponderaſſe, ac de ſingulis ſapientia iudicia feciſſe, egregium proſecto acerrimi, ac pene Diuini ingenij, & ad omnia humana expendenda & tractandam & fructũ ſpectet, quod omnium humanorum caſuum exempla tanta copia ſuggerat, ex quibus quid ſædum, quid honeſtũ incaptu ſit, qui exitus vtrumque; conſilium conſequi ſoleant, innumerabilia documenta petantur, tum ad delectationem mentem conuertat, quæ tanta rerum varietate legentium animos tenet, proſecto hoc eſſe illud opus ſtatuat, quo noſtra ætas, quæ ſibi omnis eruditionis omniſque generis eloquentiæ iure primas vindicat, præſtabilis tulerit nihil.

RAPHAEL. FVLGOSIVS

Magno ipſe quoque ornamento patriæ ac genti ſuæ Fulgoſiæ RAPHAEL fuit, clariffimi nominis Iuriſconſultus. quem eximium ingenij

ingenij acumen a communi interpretum ſententia ſepe abduxit. Multa huius viri extant egregia ſcripta tum iure civili interpretando, tum de illo reſpondendo, quæ FVLGOSIVM nomen cum in Gymnaſijs, tum in iudicijs ac forenſibus cauſis perpetuo celebre ſint factura.

FVLCO. ANDALOVVS. NIGRIVS

BARTOLOMÆVS

FALLAMONICA

Quam gloriam Genuæ patriæ FVLCO inuidit ſedibus ac domicilio Maſſiliam tranſlato, alienaque civitate ſibi aſſumpta, eam ego illi non inuidebo, neque vlla vel iuſta indignatio officio mihi erit antiquior. quod a me poſtulare videtur, vt quem virum duo ipſa clariffima Hetruria lumina Dantes & Petrarca æternis carminibus ſuis illuſtrandum duxiſſent, eum ego Genuenſis homo ſcriptis meis ne ſiterem. Porro FVLCO ſimile conſilio fatum habuit. qui enim in aliena, quam in ſua Civitate vivere maluit, eius memoria in alienis magis, quam in ſuis ipſius ſcriptis vivit ac viget. quæ nõ ignobilitate ſua interiiſſe ſunt exiſtimanda, quis enim eum ignobilem Poetã dicere audeat, qui duorum tantorum virorum laudatione nobilitetur? ſed quod iam pridem obſoleverit apud Italos Prouincialis gloria non tã vetuſtatis tenebris obruta, quàm præfulgentis Hetruſcæ Muſæ ſplendore oppreſſa. Eadem quoque eſt ANDALOI, NIGRI & BARTOLOMÆI. FALLAMONICÆ Genuenſium civium fortuna. vt virorum clarorum nomen alienis magis quam ſuis ſcriptis nit eat. quorum ille omni doctrina mirifice excultus, cum ne poetices quidem experts omnino fuerit, in Mathematicis ita excelluit, vt Boccacius, in quo viro ſoluta orationis laus Hetruſcorum carminum gloriam aliorum potius quam meo iudicio æquavit, hoc præceptore in primis gloriatur. At FALLAMONICA ſublimi poemate Philoſophiæ & Theologiæ res complexus & ornate explicavit, vt qui materiæ ſumptæ gravitate Dantem æquet, eundem carminum elegantia & ſtili felicitate longe antecedit. Neque dubium eſt, quin celſiſſimum ipſe quoque in Hetruſcæ Poëſis laudibus locum obtenturus fuerit, niſi gentiliũ ſuorum ſibi ipſis ac gentis nomini iniquorum ſcelus clari viri memoria obſtaret. quam Diuino volumine inepta ratione compreſſo obſcuratam & oppreſſam tenent.

**D**Vos præstantes & memorabiles in primis viros Genuensiq; nomi-  
ni perhonorificos atas nostra tulit, Augustinum Iustinianum &  
Marcum Catanium ambos Dominicana instituta a prima adolescentia  
secutos illum Nebiensem Episcopum, hunc Archiepiscopum Rhodiens-  
sem. Quorum Augustinus ad armorum gloriam, qua Iustiniana gens  
sua præfulget tot claris editis Ducibus litterarum quoque addidit non  
exiguam splendorem. Cuius quanta quamq; varia fuerit eruditio; quan-  
ta quam absoluta linguarum illustriorum cognitio, quam eximia sacra-  
rum rerum scientia, quantum ac quam præstans ingenium & industria,  
quam deniq; in bonarum artium studijs indefessus labor, docet liber sa-  
crorum Hymnorum ab illo quinq; linguis editur Latina nostra, Græca,  
Hebræa, Caldæa, Araba. in quo omnium supra memoratarum rerum  
perspicua ac non leuia vestigia exprimuntur. Nam cognitionem lingua-  
rum sacrum Poema in Latinam linguam ex Hebræo, & Caldæo ser-  
mone conuersum ostendit, laborem, doctrinam, multiplicem eruditio-  
nem testantur omnium fere veterum doctorum, non Latinorum modo,  
& Gregorum, sed Hebræorum quoque quicumq; hoc negotium tracta-  
runt, scripta acri studio euoluta, ad quorum intimam sententiam pene-  
trauit. Ingenium vero, & industria elucent tam in sententia scriptio-  
nis plerumq; obscura illustranda, quod ipsum tamen per se haud exigue  
laudis, est, quam (quod ingentem habet admirationem) in abditis vati-  
cinijs, ac sacris latentibus mysterijs, peracuta explanatione ac doctis-  
simis scholijs in apertam lucem proferendis. Neq; reprehensione apud  
me, & apud candidi ingenij homines omnino caruerit Paulus Iouius.  
qui cui viro eruditionis & doctrinæ elogio suo clarum ac non leue te-  
stimonium dederit; Genuenses ab eo scriptos annales nimis aspere per-  
stringat, rude, & incomptum scribendi genus irridens. cum potius lau-  
dandus fuerit optimi senis utilis & sedulus labor, qui plurimus ab illo  
exudatus est in monumentis rerum Genuensium e tenebris eruendis, il-  
lisq; multifariam distractis colligendis, & in vnum veluti corpus con-  
flandis, qui labor arte & facultate scribendi pollentibus Viris mate-  
riam præbeat, in qua polienda & ornanda elaborare ipsorum possit in-  
genium & industria.

MAR-

**A**T MARCVS. CATANIVS ad egregiam doctrinam  
& præstantem sacrarum rerum scientiam miram addidit eloquen-  
tiam. quam vtramq; rem tam dicendo quam scribendo multipliciter  
expressit. Celebris enim nominis Concionator fuit: quiq; suavi qua-  
dam & ornata, eademq; graui orationis copia & ad mouendum in pri-  
mis apta non modo vulgus & coetus hominum teneret, sed nemo om-  
nino esset ea tempestate, qui doctorum quoque aures magis impleret.  
Et duo confecit volumina, quorum alterum institutio Christianæ vitæ  
inscribitur, alterum quod in quinq; libros partitum est, titulo quinq;  
Diuini amoris folium a re ipsa indito est insigne. Quo vtroq; opere  
præter haud vulgarem doctrinam & scribendi facultatem nihil ad-  
homines a cura mortalium rerum abducendos & ad celestis Patriæ  
amorem inflammandos fieri potest ardentius. Quæ duo opera in lu-  
cem edita memoria Marcæ ab hominum obliuione egregie vindicare  
poterant, nunc cognatorum negligentia compressa e tenebris scrip-  
torum nostrorum monumentis eximenda fuerunt, nomenq; Marcæ  
viri etiam de Patriæ salute, atque ordinum concordia, deq; emen-  
data forma reipublica optime meriti nostro testimonio posteritati  
mandandum.

## SYLVESTER. PRIERIAS

**O**bscurum Liguria vicum Prierium SYLVESTER qui humili lo-  
co ortus ac familiæ nomine carens ab ipso vico cognominatus  
est, gloria sua nobilitauit. Is vir cum a prima adolescentia Domi-  
nicanis institutis se quoque vsitato vcto dedicasset, inter Theologos  
sue ætatis præstantissimus, atque altera Dominicani gregis lux euasit;  
compluribusq; ac varijs scriptis suis haud vulgatam doctrinam redo-  
lentibus Theologiam illustrauit. in quibus cœtet summa eius nomine  
insignis, qua nihil in eo genere aut vsu melius, aut doctrina perfectius  
est. Memorabilem quoq; virum illa res facit, atque eadem argumento  
est, quanti eius nomen fuerit, quod Magister sacri Palatij in caussa om-  
nium, qua sub celo sunt, maxima a Sancto Pontificio Solio electus Iu-  
dex execrabilem Luteranâ doctrinam ad præscâ & constitutâ ecclesiæ  
disciplinam,

XX

disciplinam, veteremq; religionis cultum, ac sacrosancta Ecclesia mysteria, quae sacramenta uocamus, euertenda in gentibus captis con-  
surgentem damnauit.

## I N G H E T V S . E T . C A E S A R

## C O N T A R D I

**Q**uod ex innumeris hominum millibus, qui sese litterarum studijs totos dederunt, omnemq; operam in illis posuerunt, per pauci admodum diuturno studio, assiduaq; animi contentione efficere potuerunt, ut ad magnū & memorabile nomē in scientiā laudibus peruenirent, id eum virum assecutum, cuius omnis vita mercatorijs curis & sollicitudinibus fuerit districta, omnisq; opera & industria in eo quaestu perpetuo occupata, magnam profecto habet præcellentis ingenij admirationem. Magno igitur in pretio perpetuaq; in gloria esse debet **I N G H E T I . C O N T A R D I** Ciuis Genuensis nomen. quam illi conciliat acerrima disputatio in vrbe maioris Balearicæ trecentis circiter abhinc annis cū doctissimis Hebraicæ sectæ Antistitibus habita de summa religione, ac de Christiana lege litterarū monumentis quamuis rudi scribendi genere consignata. in qua **I N G H E T V S** acutissimis & firmissimis argumentis e media Theologia sumptis Christiana doctrinæ veritatem confirmauit; Asturchumq; cui tum suæ sectæ homines primas deferebāt, victum manus dare coegit; opinionemq; menti penitus comprehensam inuito ac diu renitenti tandem extorsit. quare ille cum **I N G H E T I** disputatione & ingenio victus, tum lumine mēti Diuinitus prelato, inueterato, ac cum lacte imbibito errore abdicato in Christi militiā sacro fonte ablutus nomen dedit. quod idem complures eiusdem sectæ homines fecerunt, cum tanti viri exemplo inducti, tum Diuino numine mentem dante attracti. Huius Cōtardæ gentis nobilis apprime ac peruetusta, quæ perpetua reipublicæ administratione olim floruit iacens nomen, ac litterarum consenscentem gloriam longo interuallo atate nostra **C A E S A R . C O N T A R D V S** eximius Iurisconsultus rettulit. qui per arduas iuris ciuilibus quaestiones acutissime & copiose tractatas & illustratas litterarum monumentis aternitati consecrauit. quæ ita probantur, ut nomen **C O N T A R D I** haud exigua cum ciuitatis nostræ gloria in Gymnasijs & in forensibus iudicijs etiam iam nunc videntis iactetur,

iactetur, & perpetuo celebre futurum sit. Accedit Pontificatus Ne-  
biensis honos, quo **C A E S A R** a Gregorio tertio decimo ob specta-  
tas virtutes & morum grauitatem donatus est.

## I O A N N E S . C A G N A T I V S

## T A B I E N S I S

**O**ppidum Tabiam non tam generosa vna nulli orbis terrarum re-  
gioni pretio cedentia celebre faciunt, quam **I O A N N I S . C A G N A T I I** Dominicani monachi excellens ingenium & exquisita do-  
ctrina. qui summam composuit a nomine Patriæ Tabiensem inscriptā. Equidem non sum nescius, in eiusmodi summis magis solere laborem & diligentiam scribentium commendari, quam ingenium suspici. sed ta-  
men si quis acriter intendat animum, eam esse hanc Tabiensem dixe-  
rit, quæ præter infinitum exantlatum laborem singularem doctrinam redoleat; quæq; multis peracris ingenij ac grauis iudicij luminibus sit referta. magna certe est eius vtilitas, multiplexq; ac quotidianus in Ec-  
clesia vsus. ut opus tam varium, tam copiosum, tam eruditum nostris in elogijs silentio transeundum non fuerit.

## G V L I E L M V S . R O D O A N V S

**N**ec minorem gloriam, quam olim patriæ suæ Tabiæ Ioannes, no-  
stra etate **G V L I E L M V S . R O D O A N V S** Quinquop-  
pidano Liguriæ agro, in quo natus est, virtute & ingenio suo peperit. qui ager duri atque aspersi soli ipse quoque generosissimi vini commen-  
datione celebris est. nec minorem lucem rebus forensibus ingenio, do-  
ctrina, industria, diligentia sua prætulit, duobus editis voluminibus, altero de sacerdotum spolijs; altero de rerum Ecclesiæ alienatione. quæ vtraque res in forensi vsu frequens, ac prope quotidiana a nemine tamen certa ratione ac via tradita fuerat. Prudenter igitur & vti-  
liter locum desertum a ceteris **G V L I E L M V S** occupauit; quæq; plurima a scriptoribus passim tractata fuerant, in vnum collegit, atque vtramq; materiam in ordinem digessit; luculentisq; ac subtilibus disputationibus illustrauit & amplificauit. ut **R O D O A N I**  
XX 2 nomine

nomine magna cū gloria tribunalia perpetuo personatura sint . Cuius etiam virtutes ac laudati mores . a Gregorio tertiodecimo Nebiensi Pontificatu ornati sunt . in quo tamen honoris titulo haud diu fuit immatur a morte post initum Pontificatum mox sublatus .

## M A T T A E V S . S E N A R E G A

**M**atthæum Senaregam quamquam Facio & Bracellio professione coniunctum , tamen magna quædam alia sunt , quæ proprij elogij testimonio dignum faciant . neque enim in scribendi tantummodo facultate , qua cum in historia , tum in omni genere excellit , id quod in homine ex domestica Pauli Manutij qualis quantiq; huius artis antistitis disciplina profecto minime mirum videri debet , sed in dicendo quoque & in publicis rebus tractandis , ac ciuilibus contentionibus , quæ longe diuersa laus est , incredibilem eloquentiæ vim exprimit . Accedunt eximia quedam , viuida sollertis ingenij vis . quæ tanta fuit , vt prudentiâ ipsam nõ nisi diuturno vsu acquiri solitâ ante annos representarit . ad hoc in negotijs ducendis & voluntatibus hominum sibi conciliandis mira lenitas . quæ virtutes in illo ita enituerunt , vt oculis omnium in tantam indolem conuersis adolescentiam vix ingressus ad rempublicam gerendam grauissimo arcanarum rerum munere illi commisso vocatus eum se cum in Legationibus obeundis , tum in sententia de magnis & arduis rebus exponenda ostenderit , vt illud plane constet , ætate nostra pacis artibus , atque ad publicas & magnas res tractandas naturæ & fortuna præsidij instructiorem esse neminem .

Quarum virtutum illustre illi testimonium dedit vniuersæ Romana Aula consensus in nobili illa legatione pro communi causa populi Genuensis , ac pro constituta Ciuitatis concordia apud Gregorium tertium decimum obita . quam causam tam prius Genuæ , quam postea in illo Christiani orbis Theatro nullas potentissimorum hominum offensiones veritus , nullisq; periculis perterritus magna cum sui nominis gloria constantissime defendit : fide & officio in experienti viro & egregio ciue omnia vincente .

## L V C A S . C A M B I A S I V S

**E**st genuensium hominum belli pacisq; artium gloria , vt non multum sit illis ad nomen suum illustrandum de alienis studijs acersendum .

dum . Igitur litterarum scientiam , qua tamen laude omnino non caret , ac pingendi & fingendi artem , ceterasq; eiusmodi facultates multis nationibus non iniquo animo concedunt . quod idem ceteris claris populis , apud quos militaria & magnarum rerum gerendarum studia vigerunt , vsu venisse constat . Romani quidem adeo Philosophandi scientia ac Poetica & mechanicis artibus sese vinci a Grecis non indignabantur , vt grauissimi eorum eiusmodi rebus cum Grecis certare , atque adco eas res omnino tractare , turpe sibi , ac maiestate Romana inferius ducerent . In eadem vestigia ingenij similitudine Genuenses incurrentes ea tantum studia coluerunt , quæ in Ciuitate sua in pretio & in honore esse videbant . non quod doctrinæ , & liberalium , ac mechanicarum artium studijs minus aptum esset illorum ingenium , sed quod sublimioribus curis intentæ mentes ad inferiora sese demittere non possent . Id quod ætate nostra manifeste declarauit Lucas Cambiasius . quem pingendi arte ita constat excellere , vt siue admirabilem inuentionem & varietatem spectes , siue formandi & delineandi scientiam consideres , siue artem in colorando contemplere , in quibus rebus omnis pingendi facultas exprimitur , eum esse illum statuas , quo hac in arte nihil fieri possit absolutius , cum ne fingendi quidem laude careat ; cuiusq; tabulæ ad veritatem ita adductæ sint , vt non ad naturam imitando proxime accedere , sed naturam ipsam spirando & gestum agendo exprimere videantur . Egregium artificem Paulus frater meus eleganti carmine populari lingua conscripto ornauit , quod in Latinum sermonem conuertit Rainaldus Corsus Corrigiensis mihi amicissimus , summaq; humanitate ac morum suauitate præditus . Qui vir perhonorifico munere , quod est a supplicibus libellis , in præsentia fungens , longeq; maiore & ampliore dignus ad Pontificij , & Cesariani iuris scientiam haud minorem eloquentiam , politioresq; litteras ac multiplicem addidit eruditionem , miramq; in carminibus faciendis felicitatem . quas virtutes comitantur singularis prudentia ac rerum vsus , & ad publicas , ac magnas res tractandas in primis aptum ingenium . Vt virum præstantiorem , pluribusue , aut maioribus animi , & ingenij bonis ornatum Romana Aula habeat neminem .

ARGEN-

TOGAE. ART.  
 ARGENTINÆ. SPINULÆ  
 VIOLANTIS. AVRIÆ  
 ELISABELLÆ. FLISCÆ

Non sua tantum nobilitate illustres sunt nonnullæ Genuenses familiae, sed a magnorum quoque Principum coniunctione haud parùm trahunt splendoris. Siquidem Andronicus Palæologus Cæsar; & Mathæus magnus Vicecomes Mediolani Princeps Spinulæ & Aurix gentium affinitatem petiuerunt, ut ea necessitudine uterq; laborantes res suas Genuensium Gibellinorum haud mediocribus opibus, quorum capita erant hæc due præpotentes familiæ, communiret. Andronicus igitur Argentinæ Opicij Spinulæ filiam, ut in eius Elogio diximus, Theodoro filio suo Marchioni Montisferacis matrimonio coniunxit. At Mathæus Violantem Barnabæ Aurix filiam Stephano filio suo uxorẽ accepit felici futuræ prolis auspicio, ex qua tot heroes ac summi fastigij Principes prodituri essent. qui rerum gestarum gloria, clarissimamq; fama orbem terrarum implerent, quib; magnam Europæ partem, atque opulentissimas eius provincias occuparent. Ex eo enim coniugio Barnabas Vicecomes ortus est, haud pudendum materni aui nomen referens. qui Viridam genuit. quæ Augustissimæ genti Austriæ in nupsit, Leopoldo Alberti Ducis filio collocata. Is ex Virida Albertum & Fridericum tertium Cæsarem suscepit. Fridericus Maximilianus Cæsaris pater fuit. Ex quo natus est Philippus Hispaniæ Rex, ac Belgicæ Galliæ Princeps. Ex Philippo orti sunt Carolus Quintus & Ferdinandus ambo Cæsares, illæ Belgicæ Galliæ Princeps; atque Hispaniæ & utriusq; Siciliæ, hic Hungariæ & Boemiæ Rex. Carolus Philippum genuit, opibus, potentia, amplissimisq; Regnis ceteros Christianos Reges longe antecedentem. Ex Ferdinando orti sunt Maximilianus Cæsar ipse quoque Hungariæ & Boemiæ Rex, ac Carolus & Ferdinandus amplissimarum Ditionum Domini. At nobilissimæ genti Fliscæ eandem Vicecomitum affinitatem Elisabetha Fliscæ Luce filia Luchino Vicecomiti Mediolani Principi nupta suis moribus inauspicatam fecit. quos aliorum scriptorum monumentis consignatos attingere ab instituto opere est alienum.

PAV-

Gentis tuæ gloriam celesti prope ingenio subsecutus es PAVLE frater. Ipsaq; me fraterna pietas impium plane fecerit, si ea sola illi gloriæ obstet, quam tibi Poeticæ studium tam varie a te ex cultu conciliat; atque ideo te Elogijs nostris præteream, quod verear, ne plus illi ipsi pietati, quam veritati tribuisse videar. a quo metu me & egregia scripta tua vario carminum genere, & hominum, quibuscumq; notus es, de te facta iudicia liberant. Illud enim constat, te inventione, quæ cum in hac ipsa poetica, tum in univèrsa eloquentia, atque in omni scribendi facultate multo maximam proculdubio laudis partem occupat, ita excellere, ut etatem nostram ingeniorum feracissimam superes, veterum aequas. Atque utinam eadem natura, quæ munera inter nos ita partita est, ut sese Ducem tibi ad poeticen, mihi ad solutam orationem præberet, quemadmodum tantam animorum similitudinem, & coniunctionem nobis indidit, ut si quis oculis illos introspicere possit, dimidiatos dicat, eandem quoque ingeniorum similitudinem et præstantiam pariter dedisset. profecto in Historia nostrorum temporum conscribenda altissimum me gloriæ locum obtinere considerem. quod naturæ incommodum felicitate compensatur, qua tibi tanto superior sum, quanto ingenio inferior. Ea enim lingua scribo, quæ tota Europa intellecta nomen meum omnium gentium notitia celebret, cum famam tuam angustis Liguriæ finibus concludi necesse sit, eadem natura, cui reluctandum non est, te ad scribendum patria lingua compellente ab exteris hominibus aut nihil omnino, aut non satis commode percepta. quæ tamem infelicitas eo in bonum vertit, eorum, si non clariorem, at certe maiorem laudem tuam facit, quod is extiteris, qui acerrima ingenij vi docueris, nullam quamvis rudem & incomptam linguam eloquentiæ omnisq; generis ornamentorum non capace esse. Postremo ita tibi habile ad Poeticen Natura ingenium dedit, ut te etiam ad eius mutam imaginem & æmulatricem artem, hoc est picturam idoneum finxerit. ad eam enim tu omnium, quæ sunt eius artis, intelligentiam natura ipsa Duce sine Magistro peruenisti, ut non modo de egregijs artificum operibus certa & vera iudicia facias, sed ipsi summi illius artis Antistites multa in tabulis suis te monente & commostrate corrigant & mutant. Neque æquius quidquam fuit, quam ut nostra Elogia, quæ initium ducunt a nostro nomine, atque ab ijs laudibus, quas non modo nobis non asciscimus, sed ab alijs datas libenter remittimus, tuo nomine, tuisq; veris laudibus frater concluderentur.

P O M-

P O M P E I I . A R N O L P H I N I

*Dum folijs pascentur oues, dum Sylua quotannis*

*Exurget folijs conspicienda nouis,*

*Nulla dies læto folia hæc spoliabit honore*

*Exornat Ligures quævis Folieta viros.*

I N D E X



ELIUS Perti-	Barptolomæus Facius	341
nax. 224	Baptista Fulgofius	342
Anfaldus Em-	Barptolomeus Fallamonica.	343
briacus. 229	Christophorus Columbus	225
Anfaldus Au-	Caffarus	238
ria. 229	Conradus Auria	245
Anfaldus Pizo.	Conradus Spinula	247
229	Christophorus Palauicinus	288
Amicus Grillus	Cæsar Fulgofius	291
238	Clemens Roboreius	308
Anfaldus Marius	242	
Andreolus Marius	242	
Anfaldus Soldanus	243	
Aegidius Buccanigra	258	
258	tus	310
Anrieta Auria	258	
Clemens Dolera	314	
259	Cæsar Contardus	346
Aaron Spinula	265	
Defiderius Diuus	218	
Ambrosius Nigrius	280	
Dominicus Saulius	338	
Aurelius Fulgofius	284	
Emanuel Caballus	284	
Andreas Auria	285	
Elifabella Flifca	350	
Antonius Auria	289	
Felix Diuus	217	
289	Fridericus Marabottus	252
Antoniotus Palauicinus Car-	Franciscus Catalufius	258
dinalis. 300	Franciscus Spinula	273
Augustinus Spinula Card.	302	
Franciscus Spinula	274	
Antonius Ferrerius Card.	312	
Fabritius Iuftinianus	275	
Albertus Clauarus	315	
Franciscus Maria Robore-		
Aranus Cibo	327	
ius	281	
Albericus Cibo	328	
Fabritius Carrettus	282	
Angelus Iuftinianus	334	
Fridericus Fulgofius Card.	298	
Augustinus Folieta	335	
Franciscus Marchefius	324	
Andalous Nigrius	335	
Fulco	343	
Augustinus Iuftinianus	344	
Gulielmus Embriacus	228	
Argentina Spinula	350	
Gulielmus Gabernia	243	
Balduinus	229	
Guido Spinula	244	
Blafius Axeretus	236	
Gerardus Spinula	245	
Branca Auria	246	
Gandus Marius	249	
Baptista Fulgofius	270	
Gaspar Spinula	262	
Baptista Iuftinianus	275	
Galeatius Iuftinianus	275	
Baltasar Baffia	278	
Georgius Adornius	282	
Bendinelus Saulius	301	
Gulielmus Flifcus Card.	296	
Benedictus Lomellinus	306	
Georgius Flifcus Card.	296	
Barptolomeus Cucurnus	314	
Galeottus Roboreius, Car.	308	
Baptista Pinellus	328	
Galeatius Pinellus	330	
	YY	Guliel



Gulielmus Rodoanus	347	Lucas Fliscus	296
Hadrianus Quintus	220	Ludovicus Fliscus	296
Hugo Embriacus	229	Laurentius Cibo	299
Henricus Marius	244	Leonardus Roboreius	309
Hieronymus Riarius	281	Luchinus Vinaldus	322
Hieronymus Grimaldus	303	Leonardus Marinus	339
Hieronymus Auria	303	Lucas Cambiasius	348
Hieronymus Bassus	312	Martinus Zacharius	254
Hieronymus Adornius	332	Megolus Lercarius	263
Innocentius Quartus	219	Matthæus Marruffus	265
Innocentius Octauus	228	Marcus Antonius Carrëttus	
Iulius Secundus	223	Auria	292
Ingo	229	Marcus Vigerius	313
Iacobus Marocellus	242	Marcus Catanius	345
Iacobus Leuantus	243	Matthæus Senarëga	348
Iacobus Fliscus	252	Nicolaus Quintus	220
Isnardus Guarcus	266	Nicolaus Spinula	239
Iacobus Passanus	266	Nicolaus Spinula	240
Ioannes Fulgosius	268	Nicolaus Fulgosius	272
Ioannes Grimaldus	270	Nicolaus Fliscus	297
Ioannes Iustinianus	272	Opicius Spinula	248
Ianus Fulgosius	275	Opicius Carrëttus	254
Ioannes Roboreius	280	Orthobonus Iustinianus	256
Ioannes Auria	292	Octavianus Fulgosius	283
Ioannes Andreas Auria	294	Octavianus Furnarius	329
Ioannes Fliscus	296	Philippus Longus	229
Innocentius Cibo	299	Paganus Auria	233
Io. Baptista Palatincinus	300	Petrus Fulgosius	235
Ioannes Baptista Cicada	304	Princiuales Fliscus	252
Ioannes Baptista Lazania	325	Philippus Auria	255
Io. Mattheus Gibertus	334	Petrus Spinula	256
Io. Ioachimus Passanus	337	Petrus Atiria	261
Iacobus Bracellius	341	Philippus Auria	287
Inghetus Contardus	346	Paulus Fulgosius	297
Ioannes Cagnatius	347	Petrus Riarius	311
Lambas Auria	233	Philippus Calandrinus	314
Lambertus Cibo	237	Porchetus Saliagus	315
Lanfrancus Vlusmarius	260	Porchetus Spinula	316
Lucianus Auria	261	Pileus Marinus	317
Lucas Fliscus	266	Paulus Centurio	331
Laurentius Folieta	267	Paulus Folieta	351
Laurentius Mutinus	277	Quiricus Spinula	293
Leonardus Roboreius	280	Romulus Diuus	218

Roscus

Roscus Auria	249	Syluester Prierias	345
Renatus Grimaldus	250	Thomas Spinula	241
Raphael Adornius	255	Thomas Murchius	255
Raphael Auria	257	Valentinus Diuus	217
Raphael Montaltus	271	Vbertus Turrius	229
Raphael Riarius	311	Vbertus Auria	230. & 231
Raphael Adornius	321	Vbertus Turrius	238
Raphael Fulgosius	342	Vicecomes Cicada	287
Syrus Diuus	217	Vincetius Iustinianus Car.	307
Simon Vignofus	234	Vbertus Spinula	317
Salagrus Nigrius	253	Vbertus Spinula	320
Simon Buccanigra	257	Violantis Auria	350
Stephanus Mutinus	277	Xyftus Quartus	221
Simon Pasqua Card.	305	Xyftus Roboreius Card.	308
Stephanus Iustinianus	333	Zacharias Spinula	278
Stephanus Vfus marius	339		

F I N I S

Regestum.

† A B C D E F G H I K L M N O P Q R S T V X Y Z  
AA BB CC DD EE FF GG HH II KK LL MM NN OO  
PP QQ RR SS TT VV XX YY.

Omnes sunt folia, preter YY qui sunt media folia.

R. O M A E,  
Apud Franciscum Zannetum.  
M. D. LXXIX.

